
3 1761 07920426 9

II. RÁKÓCZI FERENCZ

ÖNÉLETRAJZA

ÉS

EGY KERESZTÉNY FEJEDELEM ÁHÍTÁSAI

CZÍMŰ MUNKÁJA.

A PÁRISI NEMZETI KÖNYVTÁRBAN ŐRZÖTT EREDETI KÉZIRATBÓL

KIADJA

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADÉMIA
TÖRTÉNELMI BIZOTTSÁGA.

BUDAPESTEN.

A MAGYAR TUD. AKADÉMIA KÖNYVKIADÓ HIVATALA.

1876.



Budapesten. 1876. Nyomatott a magy. kir. tud.-egyetemi nyomdában.

ELÖSZÓ.

II. Rákóczi Ferencz fejedelem a magyarországi háborúról 1703-tól annak végeig, emlékrajzokat írt franczia nyelven, melyek halála után (1739) Hágában láttak napvilágot,[1]) és magyar fordításban is többször közre vannak bocsátva.[2])

Emlékrajzainak több helyén hivatkozik egy másik önéletrajzi munkájára: „Vallomásaira" (Mes Confessions), melyekben — mint maga említi — életének történetét beszéli el, és cselekedeteinek indító okait deríti fel.[3])

Ezen munka sajtó utján soha sem jelent meg, sőt legújabb időkig holléte sem volt ismeretes: bár a kamalduli szerzetes-rend évkönyveiben olvasható.

[1]) Histoire des Revolutions de Hongrie, ou l'on donne une idée juste de son legitime Gouvernement. Avec les Memoires du Prince Rakoczy sur la guerre de Hongrie depuis 1703 jusqu'à sa fin. Et ceux du Comte Betlem Miklos sur les affaires de Transsilvanie. A la Haye, 1739. (Negyedrétű kiadása két kötet, melynek másodika 1—165 ll. tartalmazza Rákóczi emlékrajzait. Ezek a nyolczadrétű hat kötetes kiadásban az ötödik és hatodik kötetben foglaltatnak.)

[2]) Második Rákóczi Ferencz fejedelem emlékiratai. Közlik Ráth Károly és Thaly Kálmán. Pest, 1866. Továbbá: II. Rákóczi F. fejedelem Emlékiratai. Közli Thaly Kálmán. Javított, történelmi jegyzetekkel kísért kiadás. Pest, 1872. Ráth Mórnál.

[3]) A nyolczadrétű kiadásban V. 4. l. és VI. 67. l.

hogy a fejedelem halála előtt kifejezett óhajtása szerint „bebalzsamozott szíve. Rodostóban szerkesztett vallomásaival és a szent írás felett írt elmélkedéseivel együtt“ Párisba küldetett, hogy a grosbois-i kamalduli szerzetesek által őríztessék. [1])

Köztudomású, mily benső viszonyban állott Rákóczy, francziaországi tartózkodásának kivált utolsó éveiben, ama szerzetes rend tagjaival. Míg Párisban lakott, már XIV. Lajos fényes udvarából is gyakran elvonult a grosbois-i zárdába, hol sokat hányatott lelke az áhitat gyakorlataiban keresett megnyugvást: az agg király — kedvelt pártfogója — halála utáni éveket pedig, Orleansi Fülöp regens-herczeg udvarától visszavonúlva, barátjával Tessée marechallal majdnem teljesen ott élte át.

Nem lehet tehát feltünő, hogy szívét, és az iratokat, melyekben e szív legbensőbb redőit feltárta, Grosbois őrízetére kívánta bízni.

Itt lappangott Rákóczi kézirata a nagy forradalomig. 1792-ben a szerzetes-rendek eltörlése után, a zárdák irományai között, a párisi nemzeti könyvtárba jutott, — hol hazánkfia Grisza Ágost, a kamalduli évkönyvek újmutatása nyomán, első tett kisérletet annak felkutatására.

Nyomozásairól és azok eredményéről — a M. Tud. Akadémia Történelmi Bizottságához 1872. ja-

[1]) Annales Camaldulenses. VIII. 652. l. „Defunctus est hoc anno Franciscus Leopoldus Princeps Rakoczy . . . Editum fuit sub ejus nomine testamentum politicum et morale Principis Rakoczy, sed a nonnullis dubitatur, an fuerit eius foetus. Certiora sunt opera, quae Rodostii composuit, nimirum Meditationes in Sacram Scripturam et Confessiones, quas ad eremitas Parisienses transmisit, post eius obitum consignandas, una cum corde balsamo condito, apud ipsos humando.“

nuár 15-én intézett jelentésében — így nyilatkozik:

„E sorok irója több ízben megkereste a nemzeti könyvtár kézirattárnokait; de ezek az illető lajstrom átvizsgálása után mindannyiszor tagadó választ adtak. Ennek folytán alólirt nemcsak Páris valamennyi közkönyvtáraiban kerestetett a kézirat után, hanem kieszközölvén magának a bemenetet az „Archives de l'Empire"-be, ott átvizsgálta mindazon csomagokat, melyek Magyarországra vonatkozó iratokat tartalmaznak. Továbbá ezen intézet egyik levéltárnoka előzékenységétől megnyerte, hogy a versaillesi és meluni megyei levéltárakban is tétettek kutatások. De mind hiába. Ez történt 1857-ben. Hónapok múltak el, mialatt alólirt le is mondott a további kutatásról, azt hivén, hogy a kézirat a forradalom alatt vagy elégett, mint számtalan oklevél, vagy hogy a szerzetesek magokkal vitték könyvtáruk könyveivel, mi az első időben gyakran történt. De még utolsó kísérletül a Dangeau családnak, melylyel Rákóczi sógorságban volt, örökösei után tudakozódott, — midőn 1858-ik évi márczius havában a nemzeti könyvtár egyik tudós kézirati őre, Claude úr, tudtára adá, hogy a keresett kézirat véletlenül kezébe került. Meg volt ekkor fejtve a lappangás oka. Alólirt t. i. latin nyelven irottnak jelezvén a munkát, az irattárnok urak mindig csak a latin osztályt és lajstromokat vizsgálták; de minthogy a „Confessio"-hoz két más franczia nyelven írt dolgozat van ugyanegy kötetbe foglalva, az első lajstromozó a művet a franczia osztályba sorozta, ilyen hátirattal: „S. G. F. (Saint Germain Français) 1458." Azóta áttétetett a munka a latin osztályba, s ezt a

jegyet viseli: „13628 fonds St. Germain des Pres latin."

A kézirat kis negyedrétű, 1111 lapot tartalmazó kötetből áll, mely három külön munkát foglal magában.

A 671 lapra terjedő első rész, latin nyelven, Rákóczi által sajátkezűleg van írva. Czíme: „Confessio Peccatoris, ad praesepe in corde suo nati Salvatoris, vitam suam deflentis, et gratias ductumque Providentiae recolentis, per formam soliloquiorum, diebus Nativitatis Christi solemnitatem praecedentibus inchoata 1716." [1])

Az 1—116. lapokon életrajzát adja születésétől 1700-ig.

A 117—160. lapokat két elmélkedés tölti be. „Meditationes in forma soliloquiorum de misterio reparationis naturae humanae per Adam." És „In nocte Nativitatis Domini, Meditatio in forma soliloquiorum super Evangelio Lucae."

A 165—671. lapokon folytatja önéletrajzának leírását törökországi tartózkodásáig. [2])

A 673—904. lapokra terjedő második résznek czíme: „Aspirationes Principis Christiani", hasábosan latin és franczia nyelven. Idegen kéz, — tán franczia titkárának Bechon-nak — írása, de minden lap a

---

[1]) Az 1. lapon, későbbi kézírással e jegyzet olvasható: „Ouvruge du Prince Ragotski, ecrit de sa propre main, communiqué en 1746 par le R. P. Carbonnier, Camaldule de Grosbois, entre les mains de qui le Prince l'avoit deposé."

[2]) A 237-ik lapon e kelet áll: „Adrianapoli 21-a februarii 1717." A 367-ik lapon „Jeniku 14-a Octobris 1718." A 433-ik lapon: „Jeniku 9-a Novembris 1718."

fejedelem nevének kezdő betűivel van láttamozva. (paraphé) [1])

A harmadik rész (909—1111. ll.) Rákóczinak ily czímű dolgozatát tartalmazza; „Reflexions sur les principes de la vie civile et de la politesse d'un chretien." Az előszó végén a fejedelem sajátkezű aláírása „François Prince" áll. [2]) Ezen dolgozat a „Testament politique et moral du Prince Rákoczy" czímű munkában ki van nyomatva [3]): de a szöveg sok tekintetben eltér a kézirattól, a mennyiben a kiadó Rákóczinak franczia nyelvezetét kijavította.

Grisza úr a két első részről hű és pontos másolatot készített, s azt kiadás végett a M. T. Akadémia Történelmi Bizottságának felajánlotta.

A Bizottság ezennel közrebocsátja II. Rákóczi Ferencz „Vallomásait" vagy is Önéletrajzát, és „Egy keresztény fejedelem áhításai" czímű munkáját.

Az Önéletrajz, melynek formája és hangja élénken emlékeztet szent Ágoston Confessióira, mint hazai történelmünk nagyjelentőségű és egyik legnemesebb szereplő egyéniségének munkája, különös figyelmet érdemel: egy úttal mint történelmi kútforrás elsőrendű fontossággal bír.

A fejedelem Istenhez intézi vallomásait. Tartózkodás nélkül, korlátozatlan őszinteséggel tárja fel

[1]) A 673-ik lapon e jegyzet áll: „Ouvrage du Prince Ragotski paraphé de sa propre main."

[2]) A 999-ik lapon e jegyzet olvasható: „Ouvrage du Prince Ragotski, paraphé et signé de sa propre main. Le R. P. J. B. Carbonnier Camaldule de Grosbois en a donné une copie aux deux fils de ce prince."

[3]) Hága 1751. II. 257—509. ll.

cselekedeteinek indokait és beszéli el lezajlott életének cselekményekben gazdag történeteit.

A földi vágyakról lemondott, „immár porrá és hamuvá válandó“ fejedelem egy műve sem bizonyítja inkább e Vallomásainál, mély érzelmű lelkének nemességét, s egyszersmind azt, hogy mily sokat csalódott és mily sokat szenvedett. De a csalódások és szenvedések az ő lelkét csak nemesebbé tették. Lehetetlen tehát, — már csak a lélektani magasztos tanúlságnál fogva is lehetetlen, — e munkát a legmélyebb részvét és kegyelet nélkül olvasnunk.

I.

II. RÁKÓCZI FERENCZ

ÖNÉLETRAJZA.

CONFESSIO PECCATORIS,

ad praesepe in corde suo nati Salvatoris vitam suam deflentis et gratias ductumque Providentiae recolentis, per formam soliloquiorum, diebus Nativitatis Christi solemnitatem praecedenti bus inchoata. 1716.

Sentio me in te, Jesu mi, et propterea non te quaeram in Betlchem, sed in corde meo, in quo nasci dignatus es per gratiam tuam, et quia revoras mihi in mentem resolutionem aut potius cogitationes meas, quas menti meae indideras aliquot abhinc mensibus Confessiones tuas servi tui Augustini legentis. Tu scis Domine, quod tunc quoque mihi dixisti, quod si relatio vitae ejus hominis et primo quidem peccatoris originis et conditionis sat mediocris aedificationi potuerit inservire Christianorum, et multos vocare ad amplectendum jugum tuum nimisquam suave, humilis Confessio mea — Principis in consideratione et vana opinione hominum, sed pulveris et peccatoris coram te — non foret inutilis; imploravi gratiam tuam in die particularis devotionis meae positive ad hoc a te petendum destinata. Sed videbatur mihi tunc te velle, ut hanc occupationem differerem adusque tempus inhabilitationis solitudinis meae, cujus aedificationem te inspirante inchoavi, sed quia nunc revocas in mentem meam, et spem confidentiamque te mihi non defuturum auges, absit a me Domine, ut differam, quod te velle firmiter mihi persuasisti. Confiteor opus aggredi, quod vires meas excedere agnosco; egeo Domine memoria, ut revocem in mentem meam multa quae fui, quaedam quae audivi, plurima quae neglexi; horret animus recordari eorum, quae me gratia tua nunc detestari facit, et timet cogitare de iis, quae quondam me delectabant. Verum est Domine, quod quo plus te me amare facis, plus doleo de turpitudinibus vitae meae elapsae; sed nonne justum est, ut te

timeam, quia homo sum, et thesaurum gratiarum tuarum in vasi luteo nimisquam fragili circumportem; necdum me integre liberasti ab inimicis meis, qui omni momento insidiantur mihi, quamvis enim in solitudine existens quodammodo exivi e mundo inimico tuo, et quia tuo ideo et meo; sed numquid hac misera carne vermium esca circumdatus sum? Et scio, quia plurimum sentio, quia omni momento insidiatur mihi Diabolus. tibi soli debeo, o Salvator meus, quod refrenaveris in me stimulum carnis a tempore, quo primam Confessionem feci in hac solitudine, sed necdum recessit a me; vivo etenim, et propterea in timore et tremore operandum est mihi. Video Domine, melius non circumdari me alio insidiatore, amore proprio multum potentiore, sub cujus jugo ab usu rationis et a tempore propemodum perditae innocentiae meae plus mihi gemendum erat, quam sub onere et pondere peccatorum carnalium. Sed absit comparatio turpitudinum! Omnes fuerunt aequales, quia vel minima earum praeponderavit nimisquam multum pondus amoris. Da mihi Domine lacrymas, ut defleam haec, quae dico; sentio enim, quod necdum satis doleam. O bonitas infinita de peccatis vitae meae elapsae, de quibus adjuvante gratia tua cunctis diebus vitae meae poenitere statui. O Deus homo, Verbum incarnatum, Jesu mi, vere ne tu es, qui me vocas et jubes continuandum, quod me inchoasse te volente credidi. Vix enim haec pauca scripsi, et ecce haesito, sentioque deficere vires meas in recordatione eorum, quae satis deflere nequeo, et tamen necdum fleo. O quoties prorupistis ex oculis meis me nolente atque detestandae lacrymae, dum teneritudines amoris in Patriam, aut erga alia objecta nefario et peccaminoso affectu contestatus sum! Cur nunc arescitis, dum Deo Salvatori contritio cordis demonstranda est? cur si sceleratorum motuum fuistis, poenitentiae esse documenta renuitis? Respice in me Domine, et vide, num digne non timeam, et adhuc hodie tam rebellia voluntati mea circumportem membra. Vereor ergo Domine, ne praeperitorum memoria me ducat ad interitum; si igitur vis, ut progrediar, adauge gratiam, et non recedas a me, ne malum quod nolo faciam, et bonum quod volo non assequar. Protege me, o Salus animae meae, ab omnibus illusionibus, et Complacentia! repelle furta et mendacia

a labiis meis, et repraesenta memoriae meae abominationes meas. Augeat magnitudo earum dolorem meum et sincera Confessio earum manifestet misericordias tuas; vere enim multae sunt et magne, quas fecisti mecum. Enuncient omnia verba mea miranda opera providentiae tuae in me, et adorent eam omnes, qui legerint hanc humilem Confessionem servi tui, qui sicut cervus ad fontes aquarum desiderat ad te, Deus meus! Adhaereo tibi et confido in te solo. Confunde opus meum, si contrariatur voluntati tuae, et rege intellectum meum! Duc manum meam, si convenit gloriae tuae et saluti animae mae. Adoro imprimis benignam Providentiam tuam, quae me duxit in hanc solitudinem, et gratias ago tibi in humilitate et simplicitate cordis pro omnibus solatiis et gratiis, quas praestitisti mihi a tempore, quo omnibus aliis obligationibus Status mei eliberatum vocasti ad serviendum tibi, cui sit honor et gloria ab omnibus Creaturis tuis in saecula saeculorum. Amen.

Confundor Domine et erubesco, dum nativitatem tuam et ejus circumstantias considero, et ad meam me reflecto. Tu Deus, Creator meus et universi, nasceris in stabulo, et ego in Palatio; tu inter bovem et asinum pauperibus pastoribus, ego — pulvis et vermis in conspectu tuo — frequenti aulicorum turba circumdatus. Parentes tui pauperes, mei Principes; tu in paupertate venis in mundum, ego in opulentia. Sed humilia me Domine et in hac consideratione, et fac, ut adorem in veritate humilitatem tuam, et annihilem me in conspectu tuo. Gratias ago imprimis tibi Domine, quod me ex nihilo, ex infinita misericordia tua productum a parentibus Christianis et quidem Catholicis nasci volueris. Misertus fuisti et exaudivisti preces eorum: post mortem enim senioris fratris mei compluribus annis orbati fuerant prole mascula, non nisi sorore mea superstite manente. Absit Domine a me historiam scribere familiae meae et confitens tibi in humilitate recitare seriem Principum Transylvaniae avorum meorum, in quem et pater meus vivente avo meo electus fuerat, sed adhuc in tenera aetate fidem Catholicam a matre sua Principissa Sophia Bathori instructus mortuo avo meo ex vulneribus in conflictu ad Gyalu a Turcis hostibus suis acceptis Principatui abesse maluit, quam fidei Sanctae renunciare. Exaltat te anima mea, et benedicit tibi,

mi Deus, quod eum gratia tua confirmaveris, et in hac sancta resolutione constantem effeceris, quae redundavit et in me. Compluribus enim annis postmodum desponsans sibi filiam Comitis Zrini Helenam, ultimam prolium suarum, anno 1676. 27. Martii in Castello Domus nostrae Borsi, ad hanc miseram vitam induxisti, miseram inquam merito dixerim: posuisti enim me contrarium tibi ex utero matris meae, sed inter miserias felicem, quia ex nihilo ad agnitionem tuam, summa bonitas, eduxisti me, et mox subsequenter per sacri baptismatis ablutionem peccato, in quo conceptus fueram, mundatum in numerum filiorum tuorum adoptasti me. — Sic fui natus tibi Domine, sed heu quoties postmodum mortuus tibi, misericordia tamen tua factum est, quod me, saepe ut dixi, mortuum resuscitaveris. Quid dicam tibi amplius de hoc statu meo, in quo intellectuales et rationales potentiae meae, imago Divinitatis tuae, quam homini impressisti, massa carnea arctate, ad cognitionem tuam, o Deus, pluribus annis fuit inepta et inhabilis. Vixi quasi non essem, infelix in ignorando, felix in non offendendo te. Spero enim, quod non mihi imputaveris in peccatum fletus et vagitus meos, quamvis inpacientiae, indignationis et quodammodo inobedientiae infantum sint signa, quibus depravata hominis natura se nutriciis suis opponit. Quod si tamen et in hac tenera aetate te summum bonum offendi, ne memineris, quaeso, ignorantiarum mearum! Magna fuit Providentiae tuae in me cura, quamvis enim patrem meum necdum quadragesimum annum attingentem 6 mensibus post nativitatem meam ad te ex hac misera vita evocaveris (et cuius ut miseraris humillime rogo Maiestatem tuam), nihil permisisti deesse mihi in subsequente educatione mea. Tenere diligebar ab avia mea, ancilla tua, tibi devota et in oppinione hominum sancta. Amabat me mater vere materne severe: animadvertebat enim in omnes inconvenientes actiones meas, et vix 5 annorum separavit me a gynaceo et cura mulierum. Praeceptores mei formabant in me mores statui meo convenientes, et ad orandum adigebant me. Lauderis, o Deus, in aeternum pro hac gratia tua, quae vere fuit in me magna: tu fecisti enim, quod in illa tenera aetate fuerim superioribus meis valde obediens, tibi vero in innocentia mea serviens et

diligens, quantum recordor, vel adminimum non refractarius in exercitio pietatis aetati meae proportionatis. Consolor multum, dum de tempore infantiae et initio adolescentiae meae cogito: vere enim credo Domine me fuisse innocentem in conspectu tuo; saepe enim dictum est mihi, me nullas pravas inclinationes habuisse; frequenter puniebar tamen, quia segnis fui in studendo et nimisquam deditus armis et lusibus puerilibus simulacra belligerationis repraesentantibus. Id tamen doleo, mi Deus, non recordari me, num te amaverim, quamvis sciam singulis diebus orasse me mane et vesperi. Tu solus nosti ergo, qualis fuerim. Gratulor, si quid grati tibi fuit in me, et doleo, si quid oppositum tibi aut contrarium feci. Vides, o Domine, quod confusae sunt species et imagines omnium, quae mecum acta sunt ad primordia infantiae meae! Mortis aviae meae vix velut somnii recordor, pro qua tamen misericordiam tuam humillime exoro. Sed et de nuptiis secundis matris meae cum Comite Emerico Tökölio, homine sectae Lutheranae dedito, vix quid retinui in mente praeter solemnitatem dapum, quae pro more gentis ritu solemni, in compotationibus tamen et luxu peractae sunt. Deprecor Maiestatem tuam igitur pro omnibus, quae tibi in iis merito displicuerunt. Absit, ut tibi confitens temeraria recenseam, quae audivi de causis et motivis matrimonii hujus more hominum loquendo nimisquam infelicis pro Domo mea, ad quod piae memoriae matrem meam suasu aulae Imperatoriae inductam fuisse multi rerum illius temporis gnari opinabantur, ut animum praefati Tökölii per matrimonium spem et statum ejus excedens devinciendo ad deponenda arma inducant. Sed abstraho mentem meam de cogitandis et scribendis his, quae ad historiam vitae meae appertinent: non enim loquor hominibus, sed tibi, o Scrutator cordium et renum Deus, qui melius haec nosti omnibus. Hoc pauca tantum propterea ante te memorata esse volui, ut singulari cum reflexione celebrem arcana Providentiae tuae, a qua subsequentibus temporibus mire et vere stupende conservatus sum. Hujus loci esse censeo meminisse singularis quoque eventus, quod pauco tempore ante desponsationem ancillae tuae evenerat. Fors enim unum fuit ex illis praesagiis, per quae quandoque misericordia tua infinita homines de sinistris rerum successibus

avertere solet. Morabamur in fortalitio nostro Munkács, arce in sat alto monte saxeo constructa, et quia pia illa et devota tibi ancilla materni obligaminis duxit pro viribus suis et lactare proles suas et ablactatas in lecto suo proprio ad latus suum cubare, quadam die sorore mea et me jam jacentibus longius pro solito contigit eam orare, et postquam precibus ad te, Deus infinite bonus, fusis media inter nos decubuisset, Cameraria quoque sua, quae in eodem cubiculo vigilare solebat, dormiente hera, orationi vacabat, sed necdum eam absolverat, dum casu fortuito sub mensa lecto proxima serpentem, ordinariam magnitudinem horum reptilium, excedentem eggredi cernit, et dum de visionis suae realitate ad lumen nocturnum dubitat, serpens tardivo motu lecto appropinquabat. Cunctabatur illa inops consilii et visu extraordinario reptilis exterrita, sciens aliunde naturalem matris meae antipathiam cum hujus speciei insectis, nec eam terrere, nec illud aggredi ausa fuit; sed videns tandem illud levato in altum corpore lectum ingredi, clamore timido sublato matrem nostram e somno exscitavit, quae incendium rata sororem meam apprehensam e lecto, me relicto, eripuit, et viso serpente e cubiculo praeceps exiliens, adusque adventum aulicorum prae foribus excubantium ego solus remansi cum serpente. Sive casu, sive te sic ordinante, hoc factum sit Domine, vere subsequenti temporis cursu edocti fuimus matrem nostram, ancillam tuam, serpentem in lectum suum in persona mariti suscepisse, cum quo tamen illa adusque extremum halitum in tanta pacientia, humilitate et matrimoniali, vel potius ausim coram te dicere Domine, famulari obsequio vixit, ut re vera justo titulo pro exemplo virtutum hujus sacramenti digna sit haberi. Obscura quidem est mea de hoc casu memoria, sed recensere audeo; omnes enim circumstantias has saepius repetitas tum a Cameraria, tum a sorore mea quatuor annis me adultiore recenti memoria retinui. Tua protegente dextera, o infinita bonitas, effectum est, quod serpens ille (non vereor enim, quamvis in conspectu tuo hoc nomine appellare vitricum), non mihi nocuerit in corpore et anima; saepe enim unum et alterum tentavit, ut me, ultimo Domus meae sublato, et retentis arcibus et fortalitiis haereditario jure Domui meae appertinentibus, Regnum et Coronam Hungariae

(quam affectabat) assequi et manutenere posset. Eo tendebant consiliariorum omnium ejus a potiori Lutheranorum consilia, qui me, infantem unicum Religionis orthodoxae per considerationem familiae fulcrum futurum praevidentes, perditum cupiebant aut sectae eorum aggregatum. Quam felix fuissem Domine, si maturiori judicio offerre potuissem tibi omnes miserias, quibus adusque nonum annum aetatis meae affligebar, ut debilitata natura puerilis deficeret. Speciosus his fuit praetextus, me per omnia itinera operationesque militares, per aestus et frigora, saepe sitientem, saepius esurientem et algentem circumducendi. Amabat enim mater me tenerrime et miseriarum mearum partim inscia, partim incredula, partim mutandarum inpotens, consentiebat omnibus voluntatibus mariti. Ducebar te protegente inter medios Turcarum et Tartarorum exercitus, qui propter belligerationem avi mei contra ipsos Domui meae infensi fuerant. Saepe ad deviandum a Religione mea tentabar insidiose, quamvis a praeceptore meo, Joanne Badini homine vere Christiano et tibi et nobis devoto, defendebar pro posse suo. Et ego quoque . . . ; sed parce mihi, nescio enim, quid dico Domine! Tu in me defendebas me, et fulciebas gratia tua debilitatem meam, et sic in fide perseverare fecisti; sed ad violentiora quoque recurrebatur remedia: tu dederas enim mihi vires ad resistendum supradictis miseriis, tu coperiebas me frigentem et jacentem humi copertum nivibus, tu refocillabas haustu aquae saepissime sitientem et frustro panis esurientem, et his non obstantibus conservabatur sanitas, et tenerum corpus meum corroborabatur. Fidelitas proinde Camerarii mei Georgii-Kőrösi tentata fuit oblato castello quopiam et possessionibus amplis, ut mihi venenum propinaret. Sed hic quoque manus tua protexit me; rejicit enim oblatum horrens, et quia tu fidelitatem ejus conservasti orphanorum pater, curam quoque et vigilantiam ejus auxisti, ipse demum mihi cocus, ipse omnia esse incoepit, et propterea fames et necessariorum inopia devenit frequentior. Conservasti tunc me Domine fors innocentem, sed nonne et tunc praevidisti me ingratum futurum et immemorem tantorum beneficiorum tuorum. O infelix ego fragilitatis mancipium! cur horum immemor fui, dum a te infinita misericordia toties deviavi; quodsi enim

horum memoriam recoluissem, fors tibi, mi Deus, fidelior fuissem. Adoro igitur renovato dolore judicia tua, adjuva deinceps intentiones meas, quas mihi dedisti ad serviendum tibi cunctis diebus vitae meae, ne perdantur in me tantae miserationes tuae.

Recenseant hominibus rerum Hungaricarum scriptores belli gentis hujus causas Turcarumque progressus adusque obsidionem Viennensem, et postmodum Germanorum contra eos adeptos triumphos! enunciabo ego tibi magnalia tua et in me continuatas gratias. Horret me meminisse quamvis somnii ad instar depopulationes plebis Christianae et ejus ductum in servitutem a Turcis et Tartaris; tempore enim praeattactae obsidionis Viennensis ego quoque adfui is castris Hungaricis ad Posonium positis, matre mea in arce Levensi relicta, quamvis dissenteria valde laborans, medico destitutus (medicos enim vitrici mei adhibere nolebant, qui conservationi meae studebant); sed tua providentia, Deus, aderat mihi, et convalui. Percusso Turca ad Viennam praecipiti fuga, nemine sequente, (sic confundis enim impios, o Sapientia aeterna!) consuluit sibi Tökölius. Et tunc quoque recordor obscura nocte convasatis castris vix me a grandi tentorio cadente obrutum non fuisse, ad instar famuli serviens vitrico meo, quae vere humilitationis meac praeclara fuisset occasio, si te, o Incarnata Humilitas, plus potuissem noscere, quam aetas permiserat. Continuata fuga ad Castellum Senta pervenientes, ego matri adjunctus fui, exercitu deflectente Strigonium versus, et nobis directa via properanter partes Hungariae superiores petentibus, respiravi proinde ad latus matris tenere me amantis adusque adventum vitrici. Et hiems in diversis itineribus transacta fuit, in quibus profecto meis non carebam miseriis; sed assuetorum in dies minorabatur passio per misericordiam tuam, parvulorum protector, lenita.

Partis interea ad Viennam, prout dictum, et Parcanum Germanorum victoriis, res quoque Tökölii tendebant ad interitum. Premebamur ab exercitu Germanorum sub imperio generalis Sultz, hominis et artis, sed praecipue genii Hungarorum gnari. Eo persequente divagamur nunc per deserta, nunc per palustria, sed deficiente in dies exercitu, subactis praesidiis securitatem in arce nostra Munkács quaerere opor-

tuit. Quamvis vero fortalitium hoc omnium Hungariae fuerit tutissimum, e re visum est Tökölio, relicta ibi matre mea, seu consultandi, seu auxilii petendi causa Magnum Varadinum, Turcicum praesidium, ad declivia montium Transylvaniam cingentium sisum, petere. Ignorabam ego tunc, sed scivisti tu Domine, quod postmodum a Consiliario ejus confidenti rescivi, eum resolvisse tunc me secum ducere, ut si Turcae (rebus, ut dixi, suis ingravescentibus) de fidelitate sua dubitarent, me vadis loco Turcis dederet, et Constantinopolim mitteret. Jam mandatum inspectores mei ad iter parandum acceperant, mater inter planctus et querelas consenserat; dies abitus aderat, et ego victima laetabar equitandi cupidus; omnia enim impedimenta reliquenda erant, et jam me aliquot ante mensibus equo imposuerant. Sed praeceptor meus Badini futura me melius praevidens, recurrit ad te, Domine, omni alio medio me retrahendi a praecipitio destitutus, et dum Tökölius extremum vale matri meae dicit, proficiscitur ad templum, Capellanum sacrificium vere propiciatorium tibi offerre jubet. Et vere misericordiam tuam pro me impetravit, peremptorie enim et in instanti potius mutatis intentionibus Tökölii, sacro peracto ille discessit, et me matri meae reliquit. Laudet te, Deus, anima mea, et pro hac quoque misericordia tua benedicat tibi, periculum quoque, quod declinasti a me, brevi post manifestatum est. Barbaris enim denuo profligatis ad Strigonium, receptis Ujvarino, Strigonio, Buda, res ipsorum in summas angustias redactae sunt, et omnia quaerebant media, ut eas pace componerent, et quia eis per ducem Lotharingiae (qui tunc Caesaris exercitui imperabat), insinuatum fuerat pacem neutiquam concludi posse, nisi praevie in sinceritatem paciscendi demonstrandam incaptivarent Tökölium, ad hoc quoque infame remedium, fracta fide ei instrumento publico (quod illi atnam vocant) data et solenni illorum ritu ab ipso Imperatore Turcarum jurata, recurrere non dubitarunt. Quapropter incaptivatio ejus resoluta et Bassae Varadiensi commissa fuit, qui eam invitato in fortalitium sub specie convivii Tökölio, clausis fortalitii portis, executus est. Exercitus ejus et aula dispersa subdidit se Germanis, quo facto illi simplicitati barbarorum illudentes, elusis pacis propositionibus, bellum continuarunt.

Viso Turcarum perjurio arma deposuerunt Hungari, et quamvis fraude inimicorum suorum manifestata Tökölium eliberari et Bassam in reparationem honoris ejus decollare jusserit Sultanus, non amplius partibus ejus adhaerere ausa est natio Hungara praeter quosdam sectae et morum ejus sequaces. Horret animus recogitare, quid mecum futurum fuisset, si adfuissem. Sed auge horrorem ejus, Domine, ut quo majus fuisse periculum agnoverit, eo plus te laudet et depraedicet misericordias tuas. Sed nolo te amare, quia horreo; tu effecisti enim, quod si nulla quoque beneficiorum recordatione tenerer, adhuc amarem te; nec propterea deerit horroris argumentum ex motivo amoris, sed aderit et doloris causa. Quodsi enim ibi tunc fuissem, me pro more gentis eorum ad aulam Imperatoris misissent, et ad sectam suam amplectendam coëgissent. Ecce causa horroris ex cognitione fragilitatis meae! Sed o infinita bonitas, nonne et tunc misertus fuisses mei, et confortasses, praeservasses me propter innocentiam meam ab hoc nefando scelere, fors per gratiam tuam mortem et martyrium me vitae praeferre fecisses, et sic me liberasses a subsequenti captivitate peccatorum? O vere ampla materia doloris! Sed absit Domine, ut propterea arguam sacro-sanctam providentiam tuam, quod me ex hoc periculo eripuerit, etiam si scirem, quod tunc martyrio per gratiam tuam coronari potuissem. Quia sic, prout tibi placuit, debuit impleri voluntas tua. Suspendisti me peccante magnalia justitiae tuae, et ostendisti mihi faciem misericordiarum tuarum, et quod bis quoque majus dedisti mihi amare te, adauge ergo amorem tuum, Deus, in corde meo, nec timebo mala, quae lubens patior pro te in die, qua visitabis me.

Non multo post discessum Tökölii exercitus Germanorum ad suprafatam arcem nostram expugnandam advenit. Relictus fuit ad latus matri meae Tökölii Cancellarius Absolon, vir sagacis sed et perversi ingenii, (hic Consiliariorum suorum fuerat antesignanus sectae Lutheranae deditus), et Andreas Radics (pariter Consiliarius uterque sectae Lutheranae dediti), ille ut res politicas, hic ut militares moderaretur. Praevalebant tamen consilia ancillae tuae, matris meae, quae et prudentia et heroico animo supra sexus sui ordinariam capacitatem fuit ditata a te, o Thesaurus Sapientiae! Forti et vere

virili animo vidit appropinquare persequentes se, et deditionem arcis petentibus respondit, se tutricem esse orphanorum suorum, in quorum arcem se recepit absque ullo animo nocendi cuipiam, nec posse se illorum arcem tradere, quam nemo juste ab iis petere potest. Hinc ab omnibus hostilitatibus abstinere cupit; quod si vero quis praedictorum orphanorum suorum bona violenter occupare voluerit, ad repellendas vires invita cogetur, quod re vera subsequentibus tribus annis virili animo praestitit. Toto enim hoc triennali temporis cursu Germanorum exercitus arcem hanc partim lenta pressit obsidione, partim tormentis et mortariis magna pyrobolorum et bombarum quantitate injecta ad deditionem cogere nitebatur, sed irrito conatu. Jucundum, fateor, videbatur mihi ex altitudine montis quavis die propemodum spectare velitationes et majores quoque actus militares sat strenuos, et propterea ad studia humaniora quandoque et durioribus modis oportebat me compellere, quibus non libenter vacabam; sed te, o oppressorum solatium, pro imbecillitate aetatis exorare non intermittebam. Recordaris Domine, nec credo te oblitum in die, qua saepe nominatam ancillam tuam vocasti ad te, operum caritatis ejus et misericordiae erga infirmos et vulneratos patratorum, quos saepissime, quin imo singulis diebus, manibus suis compositis medicamentis fovebat et curam haberi fecit. Circuibat quandoque moenia inperterrita. Tu opposuisti scutum globo tormenti,quo caput pedisequae ad latus suum stantis quadam vice discerptum fuit ita, ut cerebro ejus commacularetur. Conservasti eam ad ampliores occasiones promerendi misericordias tuas per afflictiones et tribulationes, per quas duxisti eam, pro quibus spero, quod te plus laudet in coelis, quam ego egenus et peccator valeo in terris. Frequenter durante obsidione commutabantur literae, quibus mediantibus, ut audivi. spem auxilii Turcarum fecerat Tökölius; sed una ex postremis fuit notabilis, rebus enim suis undique propemodum desperatis. matri mae commisit, ut Capellanum suum, Ord. Reformatorum Sti Francisci, Franciscum Barkanii sub quaesito praetextu ex arce emittat per Poloniam Romam, et conversionem suam Pontfici offerat, si res suas cum aula Viennensi pro voto componeret, appromittens se non minori zelo acturum in conversione haereticorum, quam contra Catholicos durante belligeratio-

ne operabatur. Sed procul dubio vidisti Domine, prout ex consequentibus apparuit, non sinceram fuisse intentionem ejus, et ideo eam confundens, inservire fecisti manifestationi judiciorum tuorum et fors propterea permisisti matrem meam aliunde feminam magna prudentia dotatam incaute agere. Tradidit enim illa literas ciffris exaratas pro usu consueto Cancellario Absolon in characteres usuales transferendas; sed quia eae notis extraordinariis scriptae fuerant, opus effectuare nequiens matri meae retulit, quae recordata se secretiorum quoque notarum habere claves, quae ipsi relictae fuerant ad sibi communicanda secretorum secreta praeter consuetudinem laboris fastidiosa, has quoque claves tradidit Absolonio. Legit homo Lutheranus consilia sui Domini cum ingenti stupore, et ea Andreae Radics collegae suo arcis praesidio et curae, ut dictum, praefecto communicavit, et mutuo consensu pro contentis literarum alia fingentes falsa retulerunt matri meae; ab illo igitur tempore nihil sibi spei superesse a Tökölio rati, omnem operam impenderunt ad eludenda consilia ejus. Deliberatione proinde mutue conclusa, statuerunt Germanorum captare benevolentiam, juramenti sui fidelitatis immemores, et in hunc finem ad Caraffam Caesareanis arcem cingentibus imperantem expediunt, deditionemque arcis appromittunt iis, quae pro utilitate sua petebant Conditionibus rati habitis. Insperato eventu letus Caraffa rem pro voto proditorum concludit, quae ut a parte horum effectuaretur, per dissipationem annonae et munitionum inchoata est, et propterea brevi post subsecuta necessariorum penuria laborans fatigabatur et quandoque tumultuabat praesidium; quod tamen ad concilium accitum prudenti alloquio sedabat mater mea, sed tandem voluntariae necessitati et studio procuratae fami resistere impotens, improborum consilio consentire coacta, de modalitate traditionis arcis debito instrumento conventum est cum praenominato Caraffa, qui literis plenipotentiae a Caesare ad id instructus fuerat. Tu scis Domine, quod ignorem, quid tum de me actum sit; recordor tamen brevi post matrem meam conquestam fuisse de non observatis capitulationis articulis, vel maxime, dum elapsis paucis septimanis mandato Imperatoris coacta fuit una nobiscum e bonis orphanorum suorum exesse, et e regno quoque Hungariae Viennam vocata

excedere. Iter hiemali tempore inchoatum eo durante perfectum est, et quia majores curae pellebant minores, aliunde quoque incommodis assueti, stationis vix sensimus rigores. Inter quotidiana tamen beneficia unum est, o bonitas aeterna, cujus singularis ingratitudinis foret praeterire memoriam. Uno vehebamur carpento mater, soror et ego, cum selectionibus gynaecei, et jam ad oppidum Rosenberg, sub arce Likava, per vias, a montium concatenata mole et fluvii Vagi fluenta summe coarctatas, ingrediebamur, quae praecipitis fluvii violentia ablutae ingentia formant praecipitia, — quidquid terrae superest, continuo fluxu abripitur, nec quid praeter currulem latitudinem spatii superest, — et ecce insperato casu tota ripae pars sub timonario equo concidens, equum cum insidente (pro more veteri) auriga traxerat in praeceps, cujus pondus rotas quoque priores naturali eventu et postmodum totum carpentum post se traxisset, si dextera tua invisibilis defuisset periclitantibus. Haec fuit, quae in instanti et reliquos equos praecedentes et sequentem currum stitit immobiles, aurigam arbusta apprehendentem, equumque loris pendentem illesos conservavit, et nobis omnibus moram fecit ad exiliendum carpento, donec accurrentibus undique aulicis malo remediretur. Lauderis igitur, o Deus, pro hac quoque conservatione nostra, et conflagret in amorem tuum cor meum beneficii tui nunquam non memor futurum. Substitimus postmodum aliquot diebus in Castello nostro Rovnia et arce Lednicze, quo tempore, in quantum recordor, de receptione et accomodatione matris meae agebatur. Brevibus haec tibi recenseo, mi Deus, nec gemebundus conquerar, sub tempore obsidionis nostrae in arce Munkács sub vinculo fidei restitutionis receptas arces meas Sáros-Patak et Regétz, in quibus omnis thesaurus Domus nostrae, extinctione Regalium et Principalium familiarum, ex quibus originem duxi, in me devolutus, repertus ad Cameram Caesaris translatus est. Tuum fuit, quidquid habui. Tu recepisti, fors enim eorum possessio saluti meae obfuisset. Ditati sunt eo complures, nec enim ex valore plurium millionum (uti monstrabant registra) pretium obuli mihi restitutum est, non obstante data fide nomine Caesaris. Sufficiat mihi te sic disposuisse, nec alia de causa haec memoro, nisi ut gratias agam. quod abstuleris a

me occasionem fors iis abutendi, si possedissem. Facile credo, o misericordiarum fons et origo, multa me omittere, pro quibus te exaltare et magnificare deberem, in tanta humiliatione Status nostri et devotae ancillae tuae, matris nostrae. Sed dignumne est, o summa Majestas, ut coram te constitutus et ad praesepe tuum, o infans Jesu, prostratus conquerar de humiliationibus nostris, et exponam mutationem Status nostri coram te inquam humilitatis speculum? Absit hoc a me, et amore, quaeso, similes cogitationes; nec enim volo recordari, nisi miserationum tuarum; a puerili aetate enim et inopia gratiarum tuarum causatum est, si tunc aflictiones et tribulationes meas non obtuli tibi, et flagellantem manum tuam non deosculabar. Quodsi enim te opòrtuit pro salute mea exinanire, iuste Deus, quid non oporteret mihi facere pro ea, et omnia quae facerem inania forent, si Patris aeterni iustitiae effusione sanguinis tui, et morte tua non satisfecisses. Nec aliud pro tam immensis beneficiis desideras, quam ut amem te, o vere suave mandatum, iis quos adjuvat gratia tua; sed difficile intellectu illis, qui non noscunt vocem tuam, in cujus notitiam me quoque non tam pridem perduxit gratia tua. Fac me Domine audire illam semper, et inter omnia mundi et vitae hujus pericula tibi soli servire, et eam sequi in spiritu humilitatis.

Duodecimum aetatis annum compleri die, qua Viennam Austriae appulimus, et postquam ad portas urbis, ad adventum nostrum (ex qua ratione, ignoro) seclusas, duarum aut fors et plurium horarum spatio exspectassemus, spectaculo nobis offensissimae plebis expositi, ad suburbia in Monasterium P. P. Augustinorum ducti: anxia exspectabat inordinati receptus nostri eventum, nunc in te quiescens mater mea, sed a quo, cujus nomine, quid ipsi dictum fuit, tu scis Domine, quod ignorem; memini tantummodo sub vesperam advenisse carpenta pro me et sorore mea Juliana ad Cardinalem Kolonics, cui Imperator Leopoldus sibi vindicata tutela educationis nostrae et administrationis bonorum nostrorum curam commisit, a quo non pro convenientia Status, sed pro contemptu aetatis recepti, paulo post una cum ipso carpentum ingressi sumus, dicens se nos Imperatori praesentaturos. Sed o Domine, tu solus nosti, quantus fuerit dolor meus, dum subsistente carpento aperta porta vidi moniales Stae. Ursulae, quae sororem meam flentem

et reluctantem, vi a Cardinali portae intrusam, a me separarant. Quo facto clausa porta ego inops consilii inter singultus et lacrymas a matre et sorore separatus in hospitium cujusdam hominis, rerum Cardinalis curam gerentis, abductus fui cum praeceptore meo Badinio et Camerario Kőrösi, ubi triduo inter gemitus et querelas de matre solicitus transacto, quarta permissum fuit ad vale dicendum matrem et sororem illam in hospitio suo hanc ad cratis monialium invisere. Dictum enim mihi fuit me Vienna discessurum, sed quo? celabatur hoc cum industria. O Domine, vere de his nunc quoque cum indignatione recordarer si, tua gratia non moderaretur fragilitatem meam. Ignorabam tunc, quid de me volebat sacro-sancta et vere adoranda providentia tua; sed monstrasti postmodum, justum erat Principem puerum humiliari, et jam tunc cervices ejus confringere, ut in omnibus vitae suae statibus, per quos duxisti et ducis eum, sciat aptare collum suum jugo tuo nimis quam suavi sic gerentibus illud. Utinam Domine obtulissem tibi lacrymas, quas effundebant oculi mei ad extremos amplexus matris meae, extremos dico, non enim ipsam amplius videre concessum fuit mihi. Lacrymas a materno amore excitas portavi ad sororem, ad cujus conspectum inter claustri crates augebantur nimium, brevis hic et ibi ex singultibus interceptus sermo, cujus locum tenebant gemitus. Maximus enim fuit inter nos cum sorore teneritudinis affectus, qui ab utrinque concentrabatur in matre, et reciprocabatur ab illa; ausim tamen dicere, quod magis redundavit in me quam in sororem. Hoc quoque tuum in me fuit beneficium Domine, tu impressisti enim mihi illam filialem obedientiam, quae eam et in agone mei memorem testari fecit, me nunquam eam contristasse. Die sic in fletibus et summa amaritudine cordis peracta, sequenti Cardinalis me in suum assumpsit carpentum, et sacro in quadam Ecclesia Hospitalis, correctioni male morigeratorum destinati, audito, currum publicae vecturae duobus equellis praejunctum, pro more similium curruum sat lacerum, cum quodam praeposito Eiskornensi, qui me conducturus erat, et Badinio praeceptore meo conscendi, et sic discessimus. Hic quoque ne memineris, quaeso Domine, ignorantiarum mearum, si tam violentas aflictiones meas tibi rectiori corde non obtu-

lerim, quamvis non dubitem saepius me tibi dixisse; sed fors pro more puerorum, quos punitione tua minantur, tantum timui, sed non amavi te. Sed parce mihi Domine, necdum enim erat sat maturus intellectus meus, ut cognoscerem, quod vere tu sustinebas, et consolabaris me in aflictionibus meis, quas praecedentibus, quas recensui, miseriis et humiliationibus leniveras, prout his quoque ad subsequentes confortabas me. Progrediebamur lentis itineribus, nec nisi secunda itineris die dictum fuit mihi me duci in Bohemiam. Solus praeceptor meus, qui suam mihi pro posse celabat tristitiam, consolabatur me praesentia sua, et spe ulterius quoque apud me manendi. Linguae et morum ignaro omnia nova apparebant mihi, et cuncta objecta renovabant dolorem, cujus fundamentum fuerat separatio a matre et sorore mea. Ignorabam enim te omnium loco adesse mihi: tenera aetate debilis natura mea jam oblivisci volebat praeteritorum, jam ea renovatis lacrymis revocabat in memoriam. Hac vicissitudine enim naturali soles, o Deus, fragilem naturam hominis sustentare, nec unquam in eodem statu permanet, quoniam per vicissitudines bonorum et malorum, consolationum et afflictionum, aviditatum et laetitiarum mediis apparenter naturalibus dirigitur vita ejus a providentia tua, quam sine fide viva saepe nominat, sed sine gratia tua non noscit, et non confidit in ea. Propterea in tribulationibus efficitur impatiens, in futurorum notitia curiosus, credens se esse unius et alterius moderatorem. Verum qui fidem vivam habet, te Creatorem et Conservatorem omnium credit, et ex his duabus qualitatibus te curam habere omnium persuadet sibi, nec amplius solicitudine eventuum angitur: scit enim eos in tua esse potestate non in sua, credit a te venire omnia bona et principaliter conservationem suam, et ideo amat te, et quia amat, sperat in bonitate tua; tunc non laetatur in prosperis nisi propterea, quia sunt data a te, semper tranquillus quaerit placere tibi et, ut placeat, inquirit et sequitur mandata tua. O afflictorum solatium, si tua gratia haec mihi tunc docuisset, plus iis consulatus fuissem quam praesentia praeceptoris mei; jam tunc cognovissem enim me esse peregrinum super terram, et parum interesse debere num in Hungaria, num in Austria et Bohemia pelegriner: persuasus fuissem itaque non nos

habere aliam patriam, in quam tendere debemus, quam coelestem, et propterea contempsissem opulentias domesticas, vanum Principum honorem et titulum, qui in oppinione hominum consistunt, et propterea transeunt. Saepe enim et heu plerumque semper Princeps in terris mendicus est in conspectu tuo, et mendicus in terris Princeps coram te. Sic in te Domine et patriam et divitias, principatum et honores, matrem et sororem invenissem, et gaudens secutus fuisse decreta providentiae tuae. Absit a me, Deus, examinare judicia tua et quaerere, cur tunc innocenti et nullius peccati conscio haec non patefeceris, quae mihi, nunc 40 annum aetatis agenti, peccatorum maximo, revelarunt misericordiae tuae. Infantes et parvulos dicis te diligere, et tamen me peccatorem plus dilexisti, quia plus docuisti, quia te amare fecisti. Non scrutabor Domine judicia tua, sed adorabo, et adorando cognoscam ea. Verum est equidem, tu dicis, nisi efficiamini ut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum. Sed vis, ut efficiamur parvuli ex adultis, sic enim nec aetate parvulos, nec adultos excludis a misericordia tua. Hi efficiuntur parvuli, dum agnoscunt miserias et fragilitates suas, et quia agnoscunt, diffidunt in viribus suis, et sic diffidentes recurrunt ad te, et confidunt in te, parvulorum adinstar te docentem et ducentem in simplicitate sequentes. Haec fuit, Sapientia aeterna, via, per quam duxisti me. Absit blasphemia ab ore meo! dicam tamen, quod quodammodo oportuit me peccare, et profuit, ut remittens multum, diligerem te multum, et sic humiliarer in conspectu tuo. Absit, repeto, blasphemia! non enim te propterea causam fuisse peccati dicam, nec me peccare gratulabor, sed dolebo; laetari tamen non cessabo in miserationibus tuis, quod respexeris in me, et me vocaveris ad te. Sed o Pater, o Sponse animae meae, o Charitas! nonne adhuc timere debeo justitiam tuam, cui satisfacere nequeo? nonne conturber in aspectu judiciorum tuorum, siquidem ipsi coeli non sunt puri, et vix justus est securus coram tribunali tuo? anxiat me dictum apostoli tui, qui quamvis nullius se mali conscium dicat, non tamen se justificatum credit? Peccatorum fui maximus, et adhuc plenus delictis omni die purgor et conspurcor! Quidni timeam? Imo potius quid timeam, numquid diligentem te condemnabis me, qui peccanti pepercisti? Quid

profuisset mihi misereri mei, si non delevisses peccata mea? Confidam ego in te, et timebo memet ipsum; pater enim es, charitas es, nec recedes a me, nisi ego repellero te. Tu fecisti, quod amem te, vis ergo me; absit igitur sollicitudo et dubietas salutis a me; non enim propterea amo te, ut salves me, sed quia Deus es. Sed nec propterea me justificatum profiteor cum Apostolo, necdum enim perfeci cursum, quem praescripsisti mihi. Hinc nec coronam mereor, quam lucrari quia non mei currentis et volentis est, sed tui miserentis dare, cur non sperem cum amavero te, sic enim odiam me, cum diligero te, et odiens me diffidam mihi, diffidens autem mihi non sperabo nisi in te, semper amabo te, nec volens unquam offendam te. Haec est, Jesu mi, catena amoris tui, quam quia cordi meo alligare dignatus es, gloriabor in te, et his consolatus continuabo enarrare turpitudines meas, ut manifestentur misericordiae tuae in me, et sic tibi sit laus et gloria propter miserationes tuas, mihi vero pudor et ignominia ex ingratitudinibus et iniquitatibus meis. Justum est Domine, ut ego erubescam confitens, tu vero gaudeas de conversione poenitentiam agentis; humilier ego, et exaltare tu ab omnibus creaturis tuis in aeternum.

Complurium dierum spatio continuato itinere, ex cujus particularitatibus non nisi de continuato moerore animi mei recordor, ad scopum itineris nostri pervenimus, urbiculam Bohemiae Novam Domum, Germanice Neuhaus, nuncupatam, et quia non meae intentionis est descriptiones urbium et earum situs facere, dicam tantum eam tum appertinuisse Joachimo Comiti Slavata, quae celeberrima in Bohemia familia in eo primum tempore, quo ibi morabar, sine prole mascula decedente, et demum per mortem fratris ejus Leopoldi, qui canonicatu Passaviensi relicto uxorem duxit, sed manibus pedibusque contractus et valetudinarius haud multo post tempore mortuus est, exstincta est. Fuit primus singulariter mihi affectus, secundus quoque sat benevolus, quibus ut requiem donare digneris, te humillime deprecor. Est in urbe ampla domus Jesuitarum, et ad instruendam iuventutem collegium, uti hic appellatur (ibi vero seminarium dicitur), in quod destinatus fueram juventute sat numerosa repletum, Gymnasium quippe est sat frequenta-

tum. Exceptus fui lusu theatrali a patribus ad hoc instructo, et postmodum ampla, quamvis quadragesimali collatione in domo eorum, sub finem mensae significatum fuit mihi a Praeposito ducente, me ibi studiis vacare oportere in supranominato collegio, sed quia in mandatis habet Badinium praeceptorem meum reducere, propterea si quid matri significandum habeo sequenti mane abituro, ei adhuc eo vespere communicare oportere me. O Domine, vere tu solus nosti, cum quanto dolore et lacrymarum praecipiti cursu erumpentium copia excepi loquelas ejus. Inane fuit querulari, allegare Cardinalis promissa, dictum praeceptorem adhuc aliquot mensibus mecum mansurum, non movebantur praecibus, non lacrymis, non querelis, inter quas ductus sum in cubiculum habitationi meae destinatum, quod mihi debuit esse commune cum duobus aliis, comitibus nempe Kolonics et Volkra, cui parum post tertius quoque primi nominis accessit, recessi illud ingressus post murum fictilem, quo lectulus meus circumdabatur et continue augentibus gemitibus, singultibus et lacrymis rogabam praeceptorem, ne me derelinqueret, sed cum dolore et afflictionibus debilisatus obdormivissem, fidelis hic nutricius meus ereptus est, nec nisi sequenti elucescente die dum vix expergefactus vocans, discessisse intellexi. Tu vides Domine, quoniam vix non nunc quoque haec scribens affligor horum memoria, quid enim puero Principi accidere potuit acerbius, quam e patria sua exulem fieri, a parentibus avelli, in regionem ignotam duci, pro nativitatis suae statu indecenter tractari, et inter homines morum, consuetudinum plane differentium, idiomatis ignarum solum relinqui, nec enim aliam linguam ad me iis, cum quibus vivere oportebat, communicandum praeter Latinam (quam domi edoctus fueram) noveram. Hinc omnis omnino humani consilii inops, te miserante optimum elegi, non enim ad alium quam ad te recurri, afflictorum solatium et orphanorum patrem, nec triduo continuo praeter tempus somnii, quo me quandoque debilitata natura oppresserat, ab orando et flendo recessi. Cibum in communi refectorio horis consuetis sumere oportebat, ad cujus aspectum nova doloris adfuit materia panis siliginaceus et vinum subacidum; fercula pro more gentis et tenuitate victus similis praeparata afflictio animi reddebat se ipso insi-

pidiora. Consedi mensae non cessantibus lacrymis, et ad separatum, ut dixi, lectulum ipsam propemodum lucem odiens renovato moerore recessi, nec propterea homines, sed tu, mi Deus, consolatus es me, sed vix ante mensem capax studiorum sum effectus. Tu conservasti Deus, et corroborabas naturam, nec permisisti deficere sanitatem meam, et subsequente elapso, ni fallor, mense ad quartam classem syntaxeos introductum tu me reddidisti docilem, studiorum meorum capacem, et in pietatis exercitiis diligentem, magistris meis et superioribus gratissimum. Tu, inquam, bonitas infinita, docuisti me omnibus accomodare me, et nonnisi honestis delectari, juvenum fugere societates et ipsorum quoque, qui mecum habitabant, vacare conversationi Magistrorum et Patrum, quam semper opportune et importune quaerebam, et cum humilitate tranquilitatem quoque animi dedisti mihi. Amabat me Regens Seminarii P. Zimmermann, homo senex et contractis manibus et pedibus omni membrorum usu destitutus, tenerrime et in lusu latrunculorum horas recreationis delectans consumebat mecum. Ducebar quandoque ad suburbana recreationis causa, et saepissime ad Comitem Slavatam, dum adfuit, vel ad officiales arcis suae, qui me et honorabant et amabant. Excurri quandoque ad praepositum, qui me adduxit, ad paucis milliaribus distantem Nova Domo praeposituram ejus, ubi semel existenti manifestavit se praeprimis naturae meae fragilitas an malitia. Tu scis, Domine, an una an altera. Factum recensebo tibi, quod tu melius nosti, sed ego plus quam unquam doleo, quia vix me antea doluisse memini. Naturalis mihi inerat animus invisa inquirendi et curiosa tractandi, inter quae summe delectabar tubulis opticis, quos portatiles in omnibus quasi cubiculis pro majori commoditate dispositos mirabar, et tractabam, et quia petere me pudebat, unum ex illis insciis omnibus abstuli. Idem mihi tribus postmodum annis elapsis contigit Nissae in Silesia cum circino, et bibliotheca celebri Patrum ex copia instrumentorum mathematicorum non usuatorum ablato. Maturo haec judicio nunc respicienti mihi apparet, unum et alterum absque detrimento proximi factum fuisse, nec enim quispiam rem deesse agnovit, aut quaesivit. Scio praeterea me non in actu delectatum fuisse, sed in re ablata; animum igitur

nocendi vel rem utilem auferendi, tu scis Domine, quod non habuerim, sed ad auferendum pudore petendi inductus sum. Proinde non excuso me, Domine, de hoc fragilitatis potius quam malitiae peccaminoso actu coram te; agnosco quippe defuisse humilitatem in corde meo ad petendas res ablatas; agnosco, inquam, elationem et superbiam ejus, quibus inductus procul dubio res, quamvis exiguas, ablatas, repetitas non tantum non restituissem, sed fors me non habere aut vidisse falso pudore inductus pejerassem. Quod quidem factum non fuit, quia misericordia tua hujus enormis peccati occasionem a me avertit, quam gratiam tuam, fateor Domine, nunquam digna recolui memoria, quia ad hanc usque horam celasti ab oculis meis, et vulnus hoc animae meae profunda oblivione et ignorantia, non malitia, tanquam cicatrice obducta occultatum fors ad hanc usque horam mansit incuratum. Sed ecce, o supreme Medice, detego illud coram te, quia tu es, qui illud detexisti mihi; tu vides et nosti, quod detester superbiam meam causam mali hujus, et fragilitatem nimis quam pronam ad sequendam eam. Sana me Domine, et dele hoc delictum cum reliquis juventutis meae fors necdum notis ignorantiis; ideo enim volo recordari omnium, ut renovato et aucto dolore implorem misericordiam tuam. O Domine! Quid profuit tunc mihi placere hominibus, siquidem displicui tibi? A te fuit, et ingratus essem, si non recolerem gratiis, quod moribus meis compositis, et animo ad pietatem prono, et ab omnibus puerilibus averso, aliis pro exemplo proponebar. Sed heu vere a me processerunt occultatae superbiae effectus, quos non noscebam, alioquin vere correxissem: dederas enim jam tunc mihi sinceram intentionem tibi servire. Audeam, o Domine, conqueri tibi, quod multa et tum et subsequenter mala feci, quia non instruebar in solida pietate. Lectionum loco dabantur mihi libelli orationum, quas scis quod diligenter recitaverim, et duobus post adventum meum annis elapsis rhetoricae vacans in Praefectura Congregationis Virginis Matris tuae, mi Jesu, electus munia mihi praescripta diligenter exercebam, sed non nutriebatur anima mea lectionibus verbi tui; verum est in congregationibus praelegebatur quandoque tractatus de imitatione tua, sed non explicabatur; intelligebam literam, sed ignorabam spiritum,

nec ad meditandum, sed ad legendum proponebatur. Deprecor igitur denuo Majestatem tuam, ut mihi parcere digneris, et confido in misericordia tua, quod exaudies hanc humilem depraecationem meam. Totum hoc triennium studiorum tempore in humaniorum solitis exercitiis vacationum in itinerationibus per diversas Jesuitarum domos transivit. Amabar ubique ab omnibus per gratiam tuam, et ubique recipiebar cum jucunditate, et, quia contristavi neminem, a nemine contristatus sum. Sic humanioribus absolutis sub guberuio Ecclesiastici cujusdam, qui mihi anno (quantum recordor) post adventum meum Novam Domum elapso praefectus fuerat, Pragam urbem universitatemque amplissimam ad philosophiam studendam ductus sum, et locus habitationis meae in Domo Patrum Societatis Novae Civitatis destinatus fuit. Erat Gubernator meus homo sedatus, bonae vitae sacerdos, simplex et Patribus subjectissimus nec pietatis, nec morum et adhus minus scientiarum aliquarum me docendarum capax: hinc toto tempore ille suis, ego meis vacabam. Inerat mihi nimisquam magna sciendi cupiditas, et ideo horis convenientibus jam architectorum, jam mathematicorum libros volvebam, pingebam, figuras geometricas delineabam, sed nemine instruente nihil intelligebam. Lusus mihi tabulae viridis cum Magistris et Patribus fuit gratissimus, et impendebat me illi cum magna delectatione. Lectiones enim philosophicos et maximae logices apparebant mihi nimisquam steriles. Legebam tamen repetabamque eas, sed animo coacto, nec scio, num quid sciverim, quamvis professor meus studiis meis contentus fuerit. Anno sequenti ad physicam audiendam promotus, pro commoditate vicinitatis Universitatis in Domum Professam in urbis Parva Parte nuncupata sitam translatum est domicilium meum. Hic annus aetatis meae 16. fatalis fuit puritati meae, in qua me ad illum usque conservaverat gratia tua. Adolescebat et pravescebat natura, et pondere malitiae suae tracta, non tantum edocuit me impudicitias, sed et eas fecit habituales. Delectabar peccato, sed tu scis, Domine, quod illud peccatum esse ignorabam, donec elapsis compluribus mensibus, per casualem libri casuistici lectionem de variis impudicitiae speciebus edoctus, de malo suspicabar, sed edoceri timebam. Pudebat me de illo Confessarium consulere, cui turpi-

tudinem meam sub pravarum cogitationum specie palliabam; sed, o misericors Deus, tu anxiabas conscientiam. et coepisti me confiteri facere; sed redii ut canis ad vomitum, et quia non arguebar a Confessario, nec edocebar, indecentia me facere credebam; sed animam meam nefario actu occidere non supponebam. Juste Deus, quot sacrilegas taliter seductus peregi confessiones et Communiones! Sed tu scis, quod in iis dictorum Confessariorum indulgentia perseverabam, donec eo pervenissem, ut erronea conscientia in malo habituatus potiorem partem vitae meae in continuatione ejus consumpsi. Legi, confiteor mi Deus, sceleris hujus punitionem horrendam in veteri testamento; sed excaecatus hanc malitiam peccantis provocasse credidi semen fratris sui excitare nolentis, non actum, quem, sicut tibi dixi o misericors Deus, indecentem, sed simpliciter patratum, non peccaminosum false mihi persuaseram, nec expresse antiquo nec novo testamento vetitum. Accuso me, non excuso haec recogitans; quid enim facilius fuisset, quam de his quamvis non arguentes Confessarios consulere, si animus mihi fuisset scire et noscere? sed, o infelicem me, diaboli et carnis mancipium, suavius mihi fuit verttate volenter ignorata dubitare. Absit, Domine, mendacium ab ore meo dicendo, defuisse mihi gratiam tuam. Haec fuit, quippe quae me saepe anxiabat, de malo suspicari faciebat; sic loquebaris mihi, et in interiori cordis mei redarguebas me, sed ego refractarius renuebam, tibi obturabam aures meas. Recordor me peccantem quoque saepe protestatum fuisse de ignorantia; sed quid profuit labia mea tibi fuisse fidelia dictu, in corde mentiebar tibi. Sed inter omnes hos falsarum propositionum et praevaricationum actus, falsos dolores, praevaluit misericordia tua super justitiam tuam, pro qua laudent te mecum omnes creaturae tuae in aeternum.

Agnosco Domine, quod te deserens, et inimico meo et tuo, carni et diabolo, adhaerens merebar, ut me te derelinquentem potestati eorum totaliter subjiceres; sed major fuit bonitas tua iniquitate mea, quia ab omnibus aliis mundi illecebris defendebas me, nec enim aliis vitiis deditus fui; odiebam societates mundanorum, continuabam solita pietatis meae exercitia toto hoc anno, quo elapso ad prosequendum philosophiae cursum

me praeparabam; sed aliter fuit tibi placitum disponere de me. Secretis enim et hominibus ignotis providentiae tuae consiliis effectum fuerat, quod temporibus Novodomensium studiorum meorum varia Viennae de matrimonio sororis meae, in eodem cum matre mea Ursulinarum Monialium claustro degentis, acta fuere consilia. Complures principes matrem meam invisendi ab Imperatore petebant licentiam, ut cum ea de hac re tractarent, pro posse suo vetante Cardinale. Sed devota illa tibi famula tua, rem hanc in corde suo tibi disponendam committens, de voluntate filiae suae se agere nolle cunctis edicebat. Inter hos diversae conditionis et aetatis procos fuit et Comes Ferdinandus, ex antiqua Comitum Asperimontis familia oriundus, quia partium Hungariae superiorum gubernio praefectus, amplitudine bonorum nostrorum haereditariorum allectus, quaesita causa et praetextu Viennam eundi licentiam ideo petiit, ut se praefatorum procorum numero adjungeret; qua impetrata pro more claustrum adeundi et fortunam suam tentandi consensum quoque ab Imperatore Leopoldo subsequenter adeptus est. Non est intentionis meae investigare causam, cur hic Princeps cujus bonitate multi abusi sunt, tam facilis fuerit, aut te talem esse credi voluerit in negotio matrimonii sororis meae, dum ex adverso Cardinalis Monialibus serio injunxerat, ut pro posse suo eam virginitatem suam Tibi vovere persuadeant. Imperatorem enim absolute nolle asserebat, ut claustro egrederetur, subjungens me quoque illius esse intentionis, ut Societati Patrum Jesuvitarum maturescente aetate adscriberer. Sufficit enim mihi te nosse, num re vera saepe dictus Imperator in re indifferens fuerit, Cardinalem vero intendisse, ut rebus, ut dixit, dispositis, sorore nempe Moniali, me vero Jesuita facto, Domus nostra exstingueretur et successionis in Patres Jesuitas redundaret beneficium. Cujus paucis abinde annis capax redditus fuerat hic ordo per leges, in Diaeta violenta Posoniensi in favorem Patrum regno tacente magis quam consentiente conditas. Indecisum ergo relinquo, quid voluerint; nihil enim ex his factum est, quam prout voluisti. Soror praedicti Comitis personam, quamvis aetate vix non dupla se praecedentem, reliquis subsequente tempore praetulit. Mater mea eum plurimum dilexit, et Kolonicsio, Romae in Conclavi electionis Inno-

centis XII. existente, matrimonium consentiente matre, benedicente Episcopo Viennensi contractum, et demum, sorore e claustro insciis Monialibus eggressa, consummatum est. Plurimae hic recensendae forent circumstantiae hujus eventus, quem reduce Cardinali captivitas, sponsi in arce Spielberg aliis ex causis praetextuata, sponsae in claustro Tulnensi subsecuta est. Ruptura matrimonii miris et profecto indignis modis tentata. Sed ego mea tibi recensendo, Deus, confiteor, non aliena narro. Vidisti Domine, et procul dubio complacuit tibi in opere gratiae tuae, quam indigne famula tua, mater mea, tractata fuit a praenominato Cardinale; patientia enim ejus fuit Christiana cervice. Brevi post matrimonialis obligatio persuasit illi, sic desiderante marito, consentiente Imperatore, pro eliberatione officialis Generalis Haisler (quem Tökölius in conflictu captivum ceperat), proles suas relinquere et infidelium Turcarum petere ditiones, ut sic vere demonstraret se voluntate unam fuisse cum marito. Discessit Vienna duabus, ni fallor, comitata pedisequis; abitus ejus vero diu mihi celatus fuit, nec cum rescivi, multum indolui; moribus enim pelegrinis assuetus non sentiebam statum meum, quem plurimis modis et procuratis animi distractionibus Patres (secundum oppinionem communem), me religionem suam amplectendam allicere studentes, reddebant tranquillum. Quantae vero matris meae vitam, incubo marito suo, subsecutae sunt miseriae, suo loco non tacebo, ut magis pateant opera gratiae, et miserationum tuarum in patientia ejus. Haec taliter acta sunt, ut dixi, tempore triennali studio humaniorum meorum. Jam cum Pragam adveni, soror mea Tulna redux et maritus ejus Spielberga eliberatus fuerat; nullus enim modus matrimonium ejus dissolvendi inveniri poterat, sed cum paupertate disputandum fuit eis, Cardinalis quippe bona materna quoque eam concernentia restituere noluit. Sed super ea nomine meo factis praetensionibus sub administratione tutoria retinuit. Interea reddebatur mihi omnibus modis odiosus sororis meae processus, cujus omnes actiones exaggerabantur mihi, ac si in dedecus familiae summumque detrimentum meum tenderent; nec fraus caruit effectu. Contigit enim illam mihi quadam vice secrete literas misisse, quae scholis eggredienti a homine ignoto

traditae fuerant, qui se incaute ab ipsa missum dicens, ut me de meis interessis edoceret. Vix verba finivit, cum indignabundus ego me nihil cum eo habere velle respondens eum reliqui, et literas sigillatas, nec proinde perlectas, Cardinali transmisi pro signo submissionis meae in sequenda voluntate et dispositione ejus. Verum a providentia tua effectum fuit, o Deus, ut res cogitationi ejus oppositissime evenerint.

Sollicitabat soror mea bonorum se concernentium restitutionem, et biennio continuato processu me annum 18. aetatis, secundum leges Hungariae eliberationi a jure tutoratus praefixum, attigisse asserens, super dispositione bonorum meorum exaudiri debere, per patrocinium Cancellarii Aulici Stratman, primi Ministri Imperatoris Leopoldi, plurimum se opponente Cardinali evicit, cui expresso decreto judiciario intimatum est, ut me tutela eliberatum Viennam accersiat. Pervenit ad me Imperatorium hocce decretum tempore plane, quo studii physices anno peracto more solito per diversas Jesuitarum Domos duci debueram. Quapropter mutato itinere cum Sacerdote praefecto mihi Viennam petiimus, ubi die sequenti adventum nostrum Cardinalem Kolonics adiens, declaravit ille mihi causam itineris mei, in specificato decreto contentam, svadens, ut remissis sibi ulterius quoque curandis rebus meis et declarata hacce resolutione post triduum Pragam repeterem, ut imminenti anno absoluto cursu philosophico postmodum juris prudentiae vacem in Collegio Parmensi in Italia vel Ingolstadensi in Bavaria, quorum utrumque sub cura et disciplina Patrum Jesuitarum regebatur. Adfuit sub vesperam in hospitio meo soror mea et fraternis amplexibus, inter teneritudinis mutuae lacrymas peractis, statum rerum mearum profecto longe aliter detegebat mihi, quam Cardinalis per advocatum nomine meo, cum sorore mea me inscio litigantem mihi exponi fecerat. Non disertus fuerat meus cum sorore sermo; linguae enim vernaculae plene oblitus, Germanicae ignarus, nonnisi Latinam callebam; sufficienter tamen intellexi invitari me ad deserenda studia et amplectendum haereditarum mearum dominium, a quo, si Cardinalis voluntati obedivero, compluribus adhuc annis quaesitis sub praetextibus arcebor. Quid metaphysices, quid juris mihi proderit studium, vel maxime posterius statui

meo vix conveniens? Longe diversa sunt enim Imperialia jura a Hungaricis; nec ergo aliud intenditur, quam ut, illa aviticis imprimis juribus meo nomine spoliata, ego cursu temporis vel ad amplectendam religionem Jesuitarum persuadear, vel illi fruantur amplis proventibus bonorum meorum. Svadere se proinde, ut decreto Caesaris annuente renuntiem tutelae, et amplectar vitam status et conditionis meae. Seponamus, inquiebat, litigiosa, et pro teneritudine affectus nostri cuncta componentes fruamur pacifice possessione haereditarum nostrarum! Nihil adhuc requiri, quam ut derelicto hospitio transeam in domum suam et, condecentibus Cardinali gratiis actis, declarem me secundum tenorem decreti, mihi copialiter transmissi, bona mea apprehendere velle, et resignationem eorum cum mobilibus petere. Haec fuit, o Domine, prout nosti, discursus nostri compendium. Nolo enim repetere plurimas quamvis sat apparentes rationes, quae diversas suspiciones oriri facere poterant in mente mea de non sat sincero Cardinalis et Jesuitarum mecum procedendi modo. Quid enim fallacius sensu humano? Absit autem a me temerarium judicium! Nosti tu, Deus, omnia; tu scrutator cordium et renum enim es: meum est, ut parcam illis, siquid mali intenderint, prout re vera video; quod humillime deprecer te pro omnibus, qui intenderunt mala mihi. Hic fuit tunc status meus extrinsecus, et profecto infinite pejor esse meruisset, si justitia tua eum statui meo intrinseco assimilasset. In amaritudine cordis enim recordor, quam foede conspurcata fuit anima mea per continuatos actus pravi habitus mei. Imperfectos dolores meos sequebatur crimen et hoc iteratus dolor; vix peccavi, peccatum agnoscens dolui; vix dolui, carnis stimulis incitatus excusavi; lessivi, *(lascivii?)* lubens dubitavi et dubitans iterum peccavi. O quam felix fuissem, si ab hoc mali specie immunis esse potuissem. Vitam enim alias vixissem, uti recordor, sat innocentem. Cur non liberasti me ab immunditiis meis? Sed cur liberasses, siquidem non petii. Vere tu voluisti, misericordiarum pater, dum me dolere fecisti; sed ego nolui, quia amoris proprii fui mancipium: plus enim eum peccata mea excusantem quam te corripientem auscultabam: defui ergo ego tibi, et non tu mihi; nec mihi quid restat, quam ut te offendisse doleam, et in his quoque

adorem judicia tua. Confido, Domine, quod non imputaveris mihi in peccatum, quod motum, quem aliquo tempore senseram, ordinem Jesuitarum amplectendi secutus non fuerim. Tu scis enim, quod ex ipsorum numero fuerint illi, qui pro sincero eorum in me affectu me persuaserunt non esse veram vocationem meam, nec eam a te venire; cessi plurimis rationibus eorum, et brevi post evanuit illa cogitatio ex corde meo, nec ullum unquam propterea sensi remorsum.

Discedente sorore mea ruminatis allegatis ab ipsa rationibus, et cum advocato ejus quoque discussis intentati ei processus causis, revisis legibus quoque patriis, die sequenti hospitium mihi a Cardinali destinatum cum domo sororis meae commutavi; et tertia die, quam Cardinalis resolutioni meae dandae destinaverat, adiens eum declaravi ei, me de juribus meis et de processu nomine tutorio a se inchoato ab utriusque partis advocatis rite informatum fuisse; sed fraterna mea erga sororem meam teneritudo effecit, ut litigiis sepositis amicabilem accordum praeferam alliis modalitatibus in re hac procedendi. Sexus, aetatis ac graviditatis sororis meae ratio exegit proinde, ut pro maturae amicitiae et affectus cultu mutarem hospitium. Quapropter tenore quoque decreti Imperatoris mihi ab ipso transmissi attenti considerato, siquidem annum eliberationis e tutela legibus statutum attigissem, pro ea hactenus administrata et cura mei gesta debitas me habere gratias; et condigne petii, ut resignatis sorori meae et mihi rebus nostris mobilibus proventibus et bonis, me ulterius quoque amicitiae suae habeat recommendatum. Tu nosti, Domine, melius me, quo animi motu receptus fuit sermo meus. Frons enim et vultus, ejus summam mihi repraesentaverunt indignationem, quam verba quoque ejus interrupta articulatione prolata confirmarunt; respondit enim, se relinquere me sororis meae blandientis et affinis fraudibus, juvenilibus motibus, qui me ad dissipationem bonorum meorum procul dubio reddunt proclivem, nec me quidquam sperare debere ab offensa amicitia sua. Et sic brachio me apprehensum duxit et eduxit per portam. Dictisque suis profecto subsequenter respondit; eum enim in omnibus mihi contrarium deinceps cum Jesuitis deprehendi. Et primo quidem in resignatione bonorum, de quibus subse-

quentibus diebus judicialiter admonitus et de quinquennali proventu pecuniario mobilibusque restituendis rogatus, dixit, se illos argenteriae quoque magna parte in monetam conversa in pia legata aviae meae Principissae Sophiae Báthori patribus Jesuitis et modica in parte Reformatis Sti Francisci vi testamentariae dispositionis distribuisse, nec obulo superstite; mobilia vero omnino resignare velle suo tempore; de restitutione immobilium autem, quia a Patribus Societatis, vi praefatae dispositionis ante apprehensionem illorum centum adhuc tallerorum millia praetendentibus, inhibitus est, praevie Patres contentandi sunt. Et profecto nullo tempore his caruissemus, si mater nostra, futurorum provida, certa scripta, authenticas literas et documenta discedens prae manibus sororis meae non relinquisset, quibus testamenti invaliditas tam clare et evidenter demonstrabatur, ut satius judicaverint P. P. Jesuitae se appromissione $\frac{m}{20}$ flor. Rhenensium summa contentare, oppositionem levare, quam praefatae summae exsolutionem jure praetendere. Et sic demum juribus nostris haereditariis restituti sumus, sed profecto tam devastatis et depopulatis bonis, ut vix 4-tam partem solitorum proventuum aliquot post annis referre poterant. Aliquot in his litigiis et altercationibus protractis mensibus intimatum fuit mihi nomine Imperatoris, quod quamvis jura tutoria vi legum eggressus sim, et de disponendis haereditariis sim capax, oportere tamen me peregrinas regiones Italiae petere, ut Statui meo condigna in tam juvenili aetati discam exercitia; svadere proinde Imperatorem, ut curatoribus nominatis et bonis eorum administrationi relictis me ad iter praeparem, et ad visitandas exteras oras animum vertam.

Haec fuit via, o aeterna bonitas, et porta per quam admirabilis providentia tua me induxit in mundum, aut potius in Babylon. Habitaveram in domo sororis meae, tum ab ampla parentela mariti sui, qui actu tres viduas habebat Viennae sorores, tum ob amicitiam ejus, et curiositatem me videndi summe frequentata. Nova fuerunt mihi omnia e scholis et domo Jesuitarum egredienti, et linguarum ignarus stupebam omnia mutus et attonitus, et a multis naturali pudore praeditus abhorrebam, quae subsequenter devenere familiaria; tempus diurnum consumebatur somno et amplo prandio, quod

chartifoliorum lusus et ad vesperam theatralia spectacula reassumpto, finitis illis, lusu coena subsecuta est. Innocentes distractiones appellare solet has mundus, ad quas consuetudinum torrens et omnium exempla invitabant me, et renuens sequi alios invidebar; invitus primo chartarum tractabam folia, ducebar ad spectacula; sed brevi post omnia haec inceerant me delectare, et primis quidem in tantum adhaesi, ut dies, saepe noctes in illis transigerem. His temporis impensum revocavit me a solitis pietatis et servitii tui exercitiis; saepe matutinae, vespertinae saepissime praetermittebantur preces; nec ad sacra audienda nisi dierum festorum solemnitate compellebar. Confessarius mihi a sorore recommendatus fuit Pater quidam Capucinus suavis et indulgens; recitationem criminum meorum subsequebatur absolutio nulla intermissa aut correptione aut exhortatione, quamvis omnia propemodum peccata devenere mihi habitualia. O Domine, fac, ut in amaritudine cordis inter lacrymas poenitentiae recorder horum, quae tibi recenseo. Verum est me peccasse, et millies aeternam promeritum fuisse damnationem; sed fors, o infinita misericordia, ideo poenas suspendisti, quia dispositionem cordis mei considerasti; nihil feci enim in his deliberata malitia, et fors a plurimis abstinuissem, si illa ita cognovissem, prout nunc per gratiam tuam cognosco. O Domine, accusemne me de amore profano, qui sub illis temporibus irrepsit in cor meum? Irrepsit, inquam, multo enim tempore ignorabam cur matronam unam libentius videam prae caeteris, conversationem ejus quaeram ardentius, cur gaudeam praesente, et contrister absente ea; reverebar eam prae singulis aliis, et horas integras ad fenestras platearum consumpsi, ut eam advenientem, vel carpento praetervectam cernerem; toto die praesentem eam habui in memoria, et nox quoque plerumque de ea fingebat mihi somnia; inter indifferentes loquelas vix nominabatur, illico rubore suffundebatur facies mea; et omnes hi differentes motus una eademque vice ad primum aspectum ejus impressi sunt cordi meo; ignoravi, sed dictum est mihi, hoc esse amoris effectus; et sic rescivi me illam amare, et quidem tenere amare. Dixi Domine, an me accusem? quoniam tu scis, quod toto quinquennali amoris hujus tempore nullum de ea illicitum

formaverim desiderium; non accuso me igitur, quod amaverim, tu enim ipsemet jubes amare proximum; sed dolebo semper me non amasse propter te, et plus amasse creaturam creatore. Auge, o Deus, vivacitatem doloris mei, ut promerear misericordiam tuam, in excusandis ignorantiis meis; tu scis enim, quod non fuerit malitia in me; absit a me dicere non peccasse, sed vere et in hoc peccato meo secreto providentiae tuae ductu effectum est, quod hocce velamenti amore occupatus, fors plurimos alios evitaverim juventutis inordinatos actus et grandiora peccata. Labebatur interea tempus, et obediendum mihi erat Imperatoris mandato; ut ergo discedente me seponantur inter me sororemque meam litigia, in bona tam mobilia quam immobilia inter me et ipsam aequali sorte dividenda consensi; adusque annos, ut lex appellat, legitimae aetatis meae, cui adhuc adusque 24. sex defuerant, pro curatoribus et administratoribus igitur bonorum meorum tempore absentiae et peregrinationis meae sororem, affinem et Banum Croatiae, Comitem Adamum Battiani, singularem amicum meum denominavi. Ante discessum meum proponebatur mihi matrimonium Principissae ex Domo Brunsvicensi, et alterius ex Domo Hassico-Darmenstadiana sat propingua affinitate juncta Imperatrici regnanti tunc Eleonorae; aetas primae aliquos annis mea provectior declinaverat ab illa cogitationes meas, ignorabam enim secretam voluntatem tuam, quae hanc Principissam subsequentibus annis Imperatori Josepho desponsandam destinaverat; et etiamsi supradicta aetatis disparitas, quamvis non tanta, a secundo quoque matrimonio me abalienare potuisset, amicitia qua Principi Georgio Darmenstadiensi, fratrueli ejus, jungebar, consensum meum causavit. Confitebor enim, o infinita misericordia, et in hac tam ardua electionis status mei materia te non consuluisse, nec proinde leges a te et Ecclesia praescriptas in illa observasse, sed rationem status mei politicam omnibus his praetulisse. Sed vere ludis tu in humanis divina potentia rebus, ipsa enim modalitate, qua hocce matrimonium me acceleraturum credidi, tu elusisti. Credidi quippe consonum esse hanc intentionem meam Imperatori notificare, et propterea Confessarium ejus Jesuitam P. Menegatti accessi et requisivi, ut praedicto Principi exponeret intentionis meae

esse, ut ex Italia redux sponsam in Domo Hassica eligerem. His de reliquo agendis Principi Georgio et affini meo Comiti Ferdinando Asperimontis relictis, praeparabam me ad iter sat lente, profecto valde durum; erat enim mihi amoris vinculis nimisquam adstricto Vienna discedere. Lubens obliviscor ridens dolorum meorum, nec recensebo tibi cordis mei statum. O utinam ita illud amore tui flagraret, quam tunc creaturae amore urebatur! Sed dixi, et dicam tibi semper, quod tuum sit perficere, quod vere sincere velle indiguo mihi dedisti; fac, ut in debitis gratiarum actionibus recolam gratias et miserationes tuas, quas mihi per totum annualis peregrinationis meae tempus per Italiam praestitisti; nunquam est iis homo dignus, sed ego plane indignus fui, vitam enim in continuo statu habitualis qeccati ducebam. Discessi in Italiam verno tempore cum fratre affinis mei Comite Ferdinando. Melitensi equite, morum sedatorum et egregiae pietatis, alioquin de toto juris proprii, mutato nomine et qualitate in nomen et conditionem Baronis a Borsheim, lentoque itinere superatis Stiriae et Carinthiae alpibus ditionem Venetam per Pontebam ingressi sumus, et sequentibus diebus in Campestria descendentes, Venetias appulimus. Novum mihi fuit spectaculum ampla ecclesiarum et palatiorum et superbissima aedificia mari superimposita cernere; jam enim mundanae vitae asvefactus et ipsemet obcoecatus non poteram oculos elevare ad videndam et admirandam pacientiam et misericordiam tuam, qua civitatem hanc in peccatorum et nefandorum scelerum mari natantem conservas, et super tot millia hominum sub nomine Christianorum paganorum vitam ducentium suspensum tenes justitiae tuae brachium. Debeo tamen tibi, o misericordia et justitiae fons et origo, iteratas referre gratias, quod me in hac universali corruptione omnis propemodum inhabitantium carnis duabus septimanis degentem a novis peccatis et pravis aliorum exemplis conservaveris. Quamvis enim tempus hoc non in serviendo tibi, prout oportuisset, consumpserim, non tamen male impendi visitando ecclesiarum et aedificiorum publicorum memorabilia; sed quid dico, Domine, parce mihi dicenti non male me impendisse tempus; vere enim male agitur, quidquid sine te agitur; nec tecum agitur, quod curiositatis gratia agitur; visitavi ecclesias,

sed non te quaesivi; inveni te in iis non quaesitum, sed egressus reliqui te, non enim te conservatum in veritate desideravi; salutavi te ore ingrediens, fors et egrediens, sed cor meum in peccatis sepultum longe aberat a semitis, quae ducunt ad te. Quidni ergo recordatio totius vitae meae sit mihi amara, cum ea quoque, quae indifferentia credideram, peccaminosa fuerint. Sic est, o Domine, non diffiteor; tua enim gratia me agnoscere fecit duobus non trahi ponderibus, amoris tui et cupiditatis, nec posse quid agere hoc vel illo non praeponderante. Ignoravi, quid debeam amori tuo; evidens ergo est, et vere convictus sum in omnibus actionibus meis ab usu rationis patratis cupiditatem praeponderasse; agnosco ergo, Domine, pereundum esse mihi, si intraveris mecum in judicium, quia justus es; sed numquid et opera tua a justitiae et misericordiae bilancia pendent, quoniam quidquid agis, vel justitia vel misericordia est; praeponderavit in favorem mei hactenus misericordia tua. Humiliasti enim me, ut discam justficationes tuas; edoces me eas, et ego per gratiam tuam disco eas cum jucunditate; et hoc facit, quod consoler in recordatione praeteritorum; facit, inquam, quod confidam in te, et sperem non recordari te dierum meorum praeteritorum. Numquid imputabis mihi, si sanguineis lacrymis, continuis singultibus et gemitibus non defleo peccata mea? Cum scias me hoc sine te agere non posse, sufficiat ergo mihi me totum tibi tradidisse; fleat in me gemitibus inenarrabilibus spiritus tuus, offer me paratum ad omnia; vere enim gaudeo amare, et doleo, non semper amasse te, o infinita bonitas, o amor inexstinguibilis!

Tempore praedicto Venetiis expleto per Ferraram, Bononiam, Florentiam venimus, ubi longiorem moram mihi proponens, Comes Ferdinandus iter Melitam continuavit; ego vero Palatio Salviatorum in hospitium accepto solus cum domesticis meis (omnem cum Italis conservationem vitare volens) 4-tuor mensibus in hac urbe moratus sum. Matutinum tempus in equitatione, quo exercitio summopere delectabar, pomeridianum in gladiatione, saltu et reliquum in chartifoliorum lusu plerumque terebam, festos dies in deambulationibus extra urbem consumebam; — et sic vide, Domine, quam procul fuerim a te, et miserere mei; non amplius, et heu quam pridem ante,

matutinas, non vespertinas recitabam preces. Sacrum diebus festis pro debito non pro pietate audiebam, et si a passim frequentatis et propemodum pro usu habitis sceleribus et prostitutarum feminarum commercio abstinui, vere non propter te feci, Domine, sed quia naturali inclinatione abhorrebam ab iis, et corporis infirmitates verebar, dum anima mea lepra peccati scatebat, et animalium instar volutabatur in coeno. Sic irritabam ego te, et provocabam in me furorem justitiae tuae; sed tu longanimis et misericors differebas perditionem meam. Mirabantur impii continentiam meam et vitam ab omni conversatione Ducis Florentiae et aulae ejus penitus abstractam; multi pietati adscribebant, et vere velut sepulcrum dealbatum eram in oculis eorum. Tu solus noscebas turpitudinem meam, oculos autem patientiae tuae non avertisti a me.

Tempore quatuor mensium peracto, ut facilius totam Italiam peragrarem, domesticos meos omnes, praeter cubicularium unum et inspectorem domus meae, remisi Viennam, et hoc exiguo comitatu Pisas, Livurnum invisi; inde terrestri per Massam, Cararamque itinere per ingentia praecipitia et in illis plus arte quam natura excavatas, nec nisi mulorum vectura practicatas semitas Genuam petii. Ducebar ubique a curiositate immemor tui, o Deus, quamvis per tam periculosa saxorum abrupta, et continus maris fluctibus allutas semitas tu custodivisti et duxisti me. Unico muli cespitantis casu quippe actum fuisset de me. Triduano hoc itinere his animalibus relaxato freno ad libitum actis insidebam; horrebam vehementer ad dextram ab alto pendentia saxa, ad sinistram profunditates et vallium et maris cernere, immemor praecipitiorum longe majorum, per quae misera anima mea ducebatur a concupiscentia; vere timebam pericula casus, nec tamen te invocabam; sed decreveras conservare me, alioquin millies perire promeritus fuissem; fac, ut beneficiorum tuorum memoria augeat in corde meo amorem tuum, et collaudans te gratias agam tibi in saecula saeculorum.

His viarum difficultatibus superatis ad Sestre, inde Genuam pervenimus; ibi in curiositatibus perlustrandis (vere enim et ecclesiarum visitatio hunc tenebat apud me locum)

Taurinum, Mediolanum, Parmam, Modenam, in quibusdam biduo, in aliis triduo peracto, celeri itinere percurrentes Bononiam redivimus; nec ibi morati per maris Adriatici littora inter paucos dies Loretum pervenimus; ubi triduo mansimus, quos tantummodo dies bene impensos in toto itinere meo crediderim, vere enim devotioni vacavi, et criminibus oneratam conscientiam expiavi. Nosti melius, mi Deus, dispositionem meam et gratiae mensuram, quam mihi dare dignatus es in usu sacramentorum tuorum. Mysterium incarnationis filii tui annunciatum esse pie creditur, et infinitorum miraculorum, per gratiam tuam patratorum, memoria recensetur. Compunctum me senseram, et eodem pietatis non curiositatis motu actus inde Cirolum quoque deflexi, ubi fidelium venerationi exponitur ingens e ligno fabricata filii tui e cruce pendentis effigies, et copiosissima recensentur miracula. Sacro in hoc loco audito Lauretum redii, et sequenti die iter Romam continuavi. Quid dicam tibi, o unicum bonum meum, de fructu susceptorum sacramentorum et usu gratiae tuae? Non ignoras enim, quam brevi post tempore deflectere me fecit fragilitas a viis, quas calcandas te adjuvante statueram; deviavi, inquam, et iterum peccavi tibi; nec tamen tua propterea in furorem versa est patientia, sed et in hac orbis urbe conservasti me a corruptione propemodum universali, quamvis fortuito casu hospitium inter publica urbis lupanaria situm nactus fuerim; vix fenestram aperiebam, complures mulieres ad oppositas accurrere vidi, quae oculis, signis et gestibus ex arte compositis et simulatis insidiabantur mihi; sed tu, o summa caritas, impudentia earum serviebas ad continendum me, nec enim verecundia mea aspectum earum diu sustinere poterat. Brevi post adventum tempore reassumpsi solita gladiationis et saltus exercitia, quibus geometricae, historiae, geographiae quoque studia adjunxi, et in frequentandis templis, audiendaque singulis diebus missa diligentior effectus fui; horis pomeridianis, quamvis hyemali tempore hortorum delectabar amoenitatibus, et antiquitates perlustrabam. Exceptus fueram a Papa Innocentio XII. honorificentissime, qui me dono insignium reliquiarum Sanctorum tuorum duabus arculis inclusarum honoraverat; sed ego iis indignus irreverentissime conservabam, et subsequenti-

bus annis me omnibus meis per motus diversos et incaptivationem meam spoliato, quorsum ea devenerint, tu nosti, Domine, ego enim poenitus ignoro. Humillime propterea deprecor majestatem tuam, quod te in Sanctis tuis non honoraverim; deprecor Sanctorum tuorum (quorum nomina ignoro), quod ossa eorum irreverenter custodiens profanaverim, qui sacramenta quoque tua, et ipsum sacro-sanctum corpus tuum toties indigne sumens, pari modo tractare depravatus consueveram. Agnosco, Domine, enormitatem scelerum meorum, quo plus considero transactae vitae meae circumstantias; revoca, quaero, in mentem meam eas, ut quo plus me peccasse sensero, eo plus poeniteat; sed auge et dolorem meum de iis, et confidentiam meam in misericordiis tuis ne denega mihi; ut sic agnoscens bonitatem tuam magis et magis inflammer in amore tuo, et sic amando, non tantum timendo, doleam te offendisse. His partim convenientibus, plurimum inutilibus, quatuor mensibus Romae occupatus, iis transactis in frequenti pariter itinerantium comitatu Neapolim discessi; propter praedonum enim itinera obsidentium frequentiam, complures nos esse oportuit. Itineris quinque, ni fallor, dierum distantia distat Roma haec urbs, situ et aedificiorum amplitudine celeberrima, sed propter incolarum mollitiem, et morum dissolutionem profecto horrenda. Non numerabo ea, Domine, nisi cum summa gratiarum actione, quod me ab is clementia tua et misericordia praeservaveris; neque enim sociorum itineris exempla, neque mulierum illecebrae, quae per plateas deambulantes daemonum instar impudenter invitantes tentabant me, seducere me poterant; quamvis vere indignus fui gratia tua, aliunde occultis criminibus conspurcatus. Sed gratia tua fuit, o Deus, et quia gratia, hinc gratis data; quod fecisti, Domine, propter te, non propter me fecisti; non igitur scrutabor cur indigno mihi eam praestiteris, aut cur non plus gratiae largitus fueris, qua accedente prout haec, ita et habitualia peccata mea potuissem superare; quod si enim sola misericordia tua me defendit ab enormibus et publicis criminibus, liberum ei fuit et mensuram gratiae ad libitum tuum dare. Enuncians igitur exaltabo eas, in aeternum, et non indagabo.

Multa sunt et magna naturae mirabilia, quae ego curiosus

in hoc itinere Neapolitano spectabam; sed infelix fui, te enim in iis non quaesivi, qui primus scopus esse debes omnium, quae visui nostro occurrere possunt. Admirabam montis Vesuvii celsitudinem, ex cujus imo quandoque flammarum erumpunt fluvii, et forsan quia in ejus investigatione curiosior fui, quam oportuisset, tibi displicui; sed quare dico, Domine, curiosiorem me fuisse quam oportuerit; vere enim naturalium indagatione non offenderis, Domine, sed cupiditas curiose sciendi displicet tibi: vis, ut miremur opera tua, ut adoremus te in iis, et stupentes magnalia tua in conspectu eorum agnoscamus humilitatem nostram, et incaptivemus intellectum in iis, quae penetrare non valet, et ne contestemur voluntatem tuam cur ea, quae fecisti, sic prout fecisti, et non aliter esse volueris, et cur in iis plurima intellectui nostro celaveris. Recurro igitur denuo ad misericordiam tuam, o summa bonitas, et obtestor te, ut parcas mihi, et illa, quae in hac curiosiori investigatione contraria tibi, committere potui, — vel maxime in incredula investigatione miraculi, quod cernitur in ecclesia Monialium, in qua pretiosus sanguis Sti Joannis Baptistae procursoris tui conservatur, et pro lubitu itinerantium videre potius quam venerari desiderantium exponitur sub missa, in qua ordinarie Evangelium de decollatione hujus Sancti legitur, sub cujus lectione vel immediate post dictus sanguis, in ampulla vitrea dimidio repleta inclusus et carnis adinstar concretus, ampulla inversa liquescere et defluere incipit, et adusque finem sacrificii in partem ampullae vacuam defluit; quod omnibus nobis praesentibus, et ad cornu Evangelii curiose potius quam devote adstantibus factum est, sacerque liquor ad initium offertorii manare inchoavit. Noli recordari quaeso, Domine, irreverentiae et, ut dixi, incredulae curiositatis meae; quid enim oportuit me indagare et investigare magnalia tua, si ea, tibi possibilia, viva fide credidissem; sed profecto defuit ea mihi, et hic defectus causavit in omnibus actionibus meis tepiditatem et erroneam conscientiam, qua ductus quidquid delectabat malum esse non credidi; sequebar proinde per avia et devia cupiditatem, et in via reproborum currebam, magis magisque devians a semitis mandatorum tuorum adusque tempus, in quo misertus mei direxisti gressus meos in vias rectas.

Neapoli reduces Caëtam divertimus, in qua peninsula ingens mons saxeus, cui via superimposita est, tempore passionis filii tui, o Deus, fissus esse traditur, in cujus fissura saxo ingenti e traverso pontis ad instar pendenti sacellum sanctissimae trinitati dicatum cernitur; his et aliis ibi perlustratis Romam reversus pauco post tempore ad spectandas ultimas bachanaliorum ferias Venetias properavi. Jam enim ante discessum meum Roma, literis ab affine meo acceptis, certior redditus fui Imperatorem patentibus pro more literis dispensasse annos requisitos, et me legitimae aetatis recognovisse, acsi 24 aetatis annos transegissem; sed quia jam ante abitum meum in Italiam deliberatum fuerat, ut peregrinationis meae tempore completo in imperium ad desponsandam Principissam Darmenstadiensem deflecterem; eadem occasione significatum mihi fuit, eam e vivis decessisse. Quapropter nec tumultuantis et larvatae plebis Venetae licentia, nec spectaculorum et concertuum magnificentissimis spectaculis detentus, biduo expleto celeriori quam opportuerat cursu Viennam repetii. Specialis fuit, o infinita bonitas, tua in me cura in hocce itinere in transitu ingentis montis Simering, qui Austriam a Stiria dividit, et propter angustiam itinerum in praeruptorum saxorum quasi pendentium transitu periculosissimus, quem ego juvenili, pericula vel ignoranti vel contemnenti ardore incitatus, intempestissima nocte, aëre summa ventorum, copiosissimas nives in faciem ferentium, vi perturbato in trahis ab uno solummodo equo tractis me ipso viarum ignaro regente transivi, praecedentem et aeque trahis vectum viae ducem sequens; quem quia videre ob spississimas tenebras et refertissimos in oculos cadentes niveos floccos non poteram, laxatis habenis currebam insanus. Sic tentabam providentiam tuam, Domine, et mortis et inferni praecipitiis committebam me, non confidens sed praesumens de misericordia tua. Temerarius fuit actus, et causa citati cursus mei peccaminosa; trahebar enim amore creaturae, quam me plus te amasse jam tibi poenitens confessus sum; sed major fuit misericordia tua iniquitate mea, tu quoque relaxaveras habenas juventutis meae; sed conservasti me, ut magis magisque manifestentur magnalia tua. Reduxisti me sanum et incolumem Viennam, ubi sororis amplexibus et cognatis ami-

cisque meis gaudentibus exceptus, et beneficiorum tuorum et periculorum oblitus vixi pro mundo non pro te, dies transigens in commessationibus et spectaculis, noctes in profanis conversationibus et foliorum lusu, quibus summopere delectabar, et notabili quandoque summa pecuniaria amissa redigebar ad angustias; accumulabam debita, dissipabam substantiam, et tamen omnia haec pro innocentibus animi relaxationibus reputabam torrente societatis et consuetudine arreptus in his et similibus. Residuitate hyemis et veris transacta ad visitandas haereditarias possessiones meas cum affine discessi in Hungariam, patriam meam, in qua profecto magno, sed prae timore Germanorum summe occultato incolarum applausu exceptus fui; sed profecto brevi post adventum meum semper attoniti mirabantur vernaculae linguae oblivionem, peregrinum vestitum et mores, et tepescente affectu praeconceptisque praejudiciis cuncta ex contemptu gentis procedere credebant. Interea Viennae variae fuerant de meo in Hungariam abitu opiniones, aula enim considerationem creditumque Domus meae inter gentem Hungaram noscens, ad cunctas actiones meas attenta fuerat. Diffidebatur mihi; ac propterea diu in patria morari periculosum ratus, obiter perlustratis inspectorum partim malitia partim negligentia ad vastam solitudinem redacta depopulataque bona mea, quatuor in itineratione mensibus peractis redii ad aulam. Interea affinis meus, Comes Asperimontis saepe serio repraesentabat mihi vere sincero et reali affectu statum meum, et politicas considerationes, quibus urgentibus crediderat me de matrimonio cogitare debere: demonstrabat mihi ultimum me esse Domus meae, cui Austriaca offensissima est, et quamdiu caelebs mansero, semper me quid ei contrarium moliri opinabitur; nec propterea securum erit mihi in Hungaria figere mansionem, quod tamen tam ob decentiam quam et utilitatem, in meliorem statum redigendorum bonorum, conciliandamque gentis confidentiam foret quam necessarium. His et similibus superaddebat, facile evenire posse, ut amore alicujus imparis conditionis puellae correptus, quid indecorum domui meae committam, quod profecto aula plus promovebit, quam impediet, ut indebitus actus contemptum producat personae meae, quod quidem etiamsi non fieret, Imperatorem

eum tempore daturum mihi sponsam, quam recusare non consultum, acceptare vero fors erit onerosum. Hae fuerunt inter caeteras reflexiones ejus, et vere incremento Domus meae sincere studebat; et propterea sororis quoque meae, Comitissae Althanianae viduae, filiam suam variis artibus mihi nubere volentis intentioni contrariabatur, et me de secretis ejus moliminibus instruebat. Procul dubio te disponente, o Deus, igitur sub in tempus facta mihi es propositio a quodam viro nomine Gaudenio, nomine Electoris Moguntini ad aulam Imperialem residente, de matrimonio ducenda Principissa Carolina Amalia, Principis Caroli Hassico Rinfeldiani. e Comitissa Alexandrina ex vetustissima Leiningensium Vesterburg familia oriundae (quae alterius Principissae quoque, quam mortuam credideram, e Principe Darmenstadiensi, praecedenti marito suo, mater fuerat) filia; et quia, ut dixi, te disponente facta, nec a me recusata fuit; tam familia enim, quam aetas et forma conveniebat mihi. Quapropter conventum fuit, ut sub specie ulterioris peregrinationis cum affine ad exercitum Imperialem quem ad rippas Rheni sub imperio Principis Ludovici Badensis (mihi affectissimi et affinis mei ex matre cognati) contra Gallos agebat invisendum discederemus, et inde ad Regem Anglia Gulielmum in Belgio bellum ducentem progrederemur; et interea Princeps Carolus cum futura sponsa Coloniae Agrippinae moraretur, ut ibi per transennam, quod si partibus placuerit, de conclusione matrimonii finaliter deliberaretur. Sic disposuit haec providentia tua, Domine, et sic facta sunt. Vienna in aestate, exiguo comitatu, postali occasione discessimus; et in exercitu praedicti Principis Badensis quindecim plus minus diebus morati, in Septembri Poloniam venimus, ubi Principem cum Principissa invenimus. Principissa quoque, filia sponsa, paucis post adventum nostrum diebus ex Thorna, in quo capitulo Canonissarum numero adscripta valetudinaria ab aliquot annis fuerat, tunc quoque aegrotans advecta est. Reperi ego in ea formam famam decoris ejus longe antecedentem, et quia tibi sic placitum fuit, cuncta regens et gisponens Majestas, paucos inter dies contractus matrimonialis certus et consentientibus partibus stipulatus fuit. Sed ingenue fatebor, Domine, quod tu optime nosti, me de sacra-

mento, quod recepturus eram, tam parum instructum fuisse, quod quamvis praevie (si me non fallit memoria) conscientiam expiaverim, et ad sacram quoque synaxim accesserim, non me tamen in eundo matrimonio intentioni et instituto ecclesiae tuae in omnibus conformavi; ignoravi enim omnia, quae ad hoc peragendum necessaria fuerant. Ducebar vel maxime politicis rationibus, quibus juvenilis ardor, elegantie; formae sponsae incitatus sat praeceps consenserat; nec mirandum propterea, me in electione hujus status subsequenter tam tranquillum et contentum fuisse, prout ii esse solent, qui in eo eligendo te solummodo consulunt, et cuncta in spiritu tuo peragunt. De manu tua suscepi, Domine, omnia bona et sinistra, in quibus portandis o utinam tam patiens fuissem, prout oportuisset; sed quid mirum non te mihi semper aequalem ad hoc dedisse gratiam, quam promereri non studebam. Coloniae absque omni solemnitate et pro statu conveniente splendore peractis sponsalibus et nuptiis, mense Septembris anni 1694. cum uxore et affine Viennam repetituri discessimus; et terrestri sat lento itinere procedentes, dum Francofurtum ad Moenum pervenissemus, per ignotum mihi hominem recepi amplissimas literas, per quas Principissa Darmenstadiana, de cujus desponsatione res cum Principe Darmenstadiensi, Georgio, prout dixi, jam ante discessum meum in Italiam propemodum conclusa fuerat, et quam mortuam credideram, non tantum de neglectu conquerebatur, sed et delusionem sui et mei detexerat, cujus principalis causa Imperatrice Eleonora tunc regnans fuerat. Voluntate enim dictae Principissae ipsi mea, mihi vero ipsius mors persuasa fuit; et procul dubio et in novo meo matrimonio huic quid simile accidisset, si intentio mea ab aula occultata non fuisset. Domus meae cum Hassica conjunctio erat enim ei invita; sed tu, o sapientia aeterna, in hoc eventu quoque demonstrasti, quam vana sint hominum, decreta tua mutare volentium consilia! Francofurto demum Ratisbonam advenientes, cunctis navibus et flumini super impositis secundo Danubio, quamvis ob brevitatem dierum et frequentium nebularum impediti, lenta navigatione ad finem Novembris Viennam pervenimus.

Aula Imperatoris, insperato matrimonio meo attonita, violentum ex arena sumpsit consilium; quod non satis diges-

tum fuisse, celeri facti sui mutatione demonstravit, vix enim triduo peracto decreto Imperatorio significatum fuit mihi, me domi meae continere debere adusque ulteriora jussa Caesaris; quem graviter ferre me, sub jure suo tutorio adhuc constitutum, inconsulto se statum mutasse, et inscio iniisse matrimonium. Tu scis, Domine, quam graviter ferre soleat humiliationem in debilitate sua coeca superbia, elata humana natura; quae honoris pondere gravata, et amoris proprii stimulis acta, legi quoque tuae continuo praevaricatur; et propterea procul dubio recordaris intrinsecae afflictionis meae, quam ex insperato hocce casu senseram; qui ut occultari posset, melius infirmitatem simulavi, et affinem rogavi, ut res meas ageret producto Imperatorio diplomate, quo me e tutela eggressum per dispensationem annorum ad legitimam aetatem requisitorum declaraverat. Quo facto consilium se illius oblitum fuisse recognoscens, me a praecedenti mandato et detentione liberatum pronunciavit; et sic repentinam contristationem brevi subsecuta consolatione compensasti Domine; a te enim haec monita provenerant, et occasiones in his mihi dederas per patientem pudoris hujus tolerantiam uberiorem gratiarum fructum mihi attrahendi; sed ego in mundanis natans et haec et alia operandae salutis meae media neglexi eis attentus, quae me abstrahebant a te; inimico enim tuo, mundo et satanae pompis, nimisquam adhaeseram, et a peccatis abstinendo, nihil tamen boni agendo, innocentem credebam me ducere vitam; parva quin imo nulla perditi temporis, quod mihi dederas, erat mihi cura; nec tui, nisi diebus festis templum ingrediens et tunc quoque perfunctorie, recordabar. Sic hieme transacta imminente vere aere alieno propter lusum et expensas inanes factas aggravatus, discessi cum uxore, sorore et affine meo in Hungariam; ubi compotationi, aepulis et venationi deditus vivendo moriebar tibi, de die in diem et provocans iram aggravabam manum tuam super me. Praetereo, Domine, recensere domesticas afflictiones meas, quas uxoris meae zelotypia per vere, prout tu ipse nosti, falsas anus cujusdam, quam mater illi pro aulae praefecta dederat, relationes et instigationes causata; quae vere tam violentes fuerant quandoque, quod vitae taedio affectus conscenso equo insanus per avia et devia

currebam, nefario ausu tentans providentiam tuam; nec tamen tu me mortem infernumque quaerentem deserueras. Frequentabam quandoque sacramenta, sed nemo confessariorum de obligatione vitae Chriastianae et necessitate bonorum operum admonebat; timebam infernum, sed non amabam te; ore mentiebar tibi, cor autem meum longe fuit a te, o infinita misericordia! Exstincta jam pridem pietatis scintilla, religionis dietim obfuscabatur lumen, de qua jam captiosas jam curiosas suscitabam questiones, de iis cum religiosis discursus et ostentationis gratia disputans; quorum ignorantia, aliorum conniventia, et aliquorum adulatio et applausus reddebat me audaciorem, et particulares formabat in me oppiniones non quidem mysteriis et fundamentis Sanctae Religionis nostrae directe contrarias, sed sanae constientiae et morali Evangelii tui oppositas, et in relaxationem morum tendentes, partim vero disciplinam ceremonias ecclesiasticae oppugnantes et propterea scandalosas. Agebantur haec vel inter publicas conversationes in praesentia hominum contrariae religionis, qui applaudebant mihi, et in erroribus suis confirmabantur, et mihi in multis idem cum iis sentire plerumque simulanti congratulabantur. Nutriebatur his erronea et relaxata conscientia mea, et sic currebam in ampla via perditionis. Nota haec fuerant Confessario meo, tunc Jesuita, qui plerumque his dissertationibus adfuit, nec tamen arguebar aut admonebar ab eo; et vere conniventia ejus faciebat, quin haec mala peccaminosaque esse non crederem. Abbrevio in his et similibus elapsum tempus, de quo satis dolere sine gratia tua nequeo, et ad annum . . . . transgressum facio; in quo matrimonium meum per partum uxoris meae benedicere dignatus es, quae in Castello Kis-Tapolcsány consanguineae meae Comitissae Erdődianae prolem masculam edidit, qui Imperatore Leopoldo compatre Leopoldi Georgii nomen in sacri baptismatis fonte sortitus est. Nec hic recensebo continuatas domesticas afflictiones meas, quas o utinam patienter tolerando tibi consecrassem, Domine; sed sustinui eas magis fortitudine animi quam ex motivo tui; quamvis enim et illa ex gratia tua indita fuit mihi. Quia beneficium tuum grato animo non recolui, fructum pacientiae nullum attuli; merito tamen castigabar a te, o Deus, sed non agno-

scebam manum tuam; quae me quadam vice nullum malum praemeditantem e proxima peccandi occasione, in quam ex familiari conversatione cujusdam personae et jocis incideram, eripuisti pro qua gratia tua, ut te digne laudare valeam, auxilium tuum humillime imploro. Proximitas castelli nominati. Vienna nonnisi itinere 24 horarum plus minus distantis, frequentes suppeditabat mihi occasiones itinerandi; quibus partim, ut dixi, domesticas afflictiones sublevabam, partim ad iter assumendum ab amore casto personae (quam adhuc ante discessum meum in Italiam adamaveram) inducebar; cum qua tamen nec quidem in privatis conversationibus et colloquiis unquam limites honestatis transgressus sum; ipsa enim amoris violentia tantam mihi ejus conciliaverat reverentiam, ut vere ex hujus passionis meae circumstantiis vel optime concipiam amorem. quo tu ipsemet, o summa bonitas, amari et timeri desideras ab electis tuis. Praesens illa mihi fuit in omnibus actionibus meis, et absente quoque ea me in praesentia ejus esse viva imaginatione putabam; pars deliciarum mearum fuit loqui de ea, vel loquentes audire, ubi eam videndi defuit occasio; in summa nulla mihi tam grata fuit occupatio. quam de ea cogitare et imaginarias ejuz qualitates considerare, desiderare pati pro ea vel ei quid grati praestare posse; et his limitabantur omnia desideria mea, et eam offendendi timor inseparabilis fuit a cunctis actionibus meis. Nunc scio, Domine, tu es enim, qui me docuisti te quoque haec desiderare a me et a corde te vere amante. — Et haec recenseo, ut magis magisque confundar illa me pro creatura fecisse. quae pro Creatore nunc quoque tam adaequate, prout oporteret, exequi non valeo. Sed vere non humanum, sed gratiae tuae est amare te; infinitus enim es, et infinite amari desideras; ama ergo te in me et per me Jesu mi! Sufficiat mihi voluntatem meam tradere tibi, perfice et dirige eam; gratia enim tua effectum est hoc me sincere optare. Innata mihi fragilitas fuit amare visibilem creaturam similem mihi, et omnes sensus mei amabant in me sibi quid simile; sed diligere Ens inconceptibile, creatorem invisibilem et in nullum sensum nostrum cadens objectum, tuum est desiderare facere; carnis est amare carnem, et hunc amorem merito condemnas; spiritui convenit amare spiritum.

et hoc est quod desideras, vis enim amari in spiritu; oportet tamen, ut amemus te ex omnibus viribus nostris, quod ut fiat, carnem spiritui subjicere debemus, et per hanc obedientiam caro quoque nostra amabit te; hinc principium charitatis fides, quae oculus spiritus est. Caro videt oculis, spiritus fide videt dum credit; caro effectum omnipotentiae tuae cernere potest in omnibus creatis, spiritus ipsam omnipotentiam tuam credendo videt; et per hanc spei charitatique conjunctam omnia exercens in spiritu, quae sensus exercent in corpore, nequit in hoc composito, quod homo appellatur, spiritus dividi a carne absque destructione individui; necessarium est igitur, ut una et altera hujus individui constitutiva pars in unum tendant objectum; quod si carneum esset, spiritus carnem sequi deberet; sed quia spirituale est, ut haec illi subjiciatur, oportet; et hujus subjectionis necessariae sequelae sunt mortificationes carnis nostrae, quas praecipis; propterea homini carneo jugum tuum videtur onerosum, spirituali vero svave et jucundum. Vita carnis et spiritus incompatibiles sunt in homine, duas enim vitas et propterea duas voluntates requireret; oportet ergo mori vel spiritum pro carne, vel carnem pro spiritu, ut una efficiatur velleitas; mortua carne tam delectabile est spiritui tibi Deo, portioni suae, adhaerere, quam mortua velleitate spiritus carni carnalibus delectari. Vita illius immortalis, hujus transitoria, incerta et temporalis est; hinc vide caecitatem et dementiam tuam, o homo, quisquis mundo id est carni vivendo Deo et spiritui tuo moreris.

Peracto puerperii tempore et sanitate uxoris meae per gratiam tuam et ministerium medici ex integro restituta, ad thermas Vichnenses, Semnitzio proximas, discessimus. Hujus aquae, naturaliter tepidae, plurimum virtute martiali pollent, per vitrioli et sulphuris venas transeuntes frigefactae crustam petream sat duram formant super ligna, quae contusa ulcera et vulnera curant. Transactis et ibi balneis destinatis diebus infantem curae Baronis Hellenpach experti physici reliquimus, et superioris Hungariae partes arcemque nostram Sárospatakiensem repetiimus: cujus inhabitatio, quia milite Caesareo praesidiata fuit, dietim apparebat mihi fastidiosior. Durum quippe videbatur mihi alium imperare videre in proprio et quodammodo a discretione praefectorum militiae dependere;

quibus aliunde secrete ab aula imperatum fuerat, actionibus meis invigilare. Et propterea hyemis rigore transeunte vernales stationes anni in arce Szerencs, quamvis incommodioris habitationis, transigebam; et permittente uxoris valetudine jam Munkácsinum jam Sárosinum divertebam.

Ad haec usque tempora duraverat amicabilis compositio seu contractus, quem ante discessum meum in Italiam e Cardinalis Kolonics curatela egressus cum sorore inieram de bonis omnibus aequali sorte dividendis, et adusque complementum aetatis meae legitime possidendis; quam quia per dispensatorium Imperatoris decretum attigeram, de justis praetensionibus integri dominii Ducatus Munkácsiensis et dominiorum Patak, Regécz et Tokaj, aliarumque possessionum jure decernendum e re mea esse credidi. Tu nosti, Domine, quod non me induxit aviditas acquirendi ad hanc litigationem, quam amicabilibus mediis complanare cum sorore mea (quam semper tenere amavi) praevie quaesivi; sed quia tu mihi haeredem dedisti paterni obligaminis, duxi hanc magni momenti causam legibus patriis subjicere decidendam. Non defuere plurimi utrique partium addicti, alii simulati, alii interessati amici, clientes et servitores, qui eam optaverant, et divisioni nostrae gratulabantur, vel maxime illi, qui sub Cardinalis Kolonics tutela bona nostra administrantes reddendarum rationum obnoxii fuerant. Judices, causidici advocati pro nefario more abusivo spe obtinendae causae lactabant partes, et brevi post ad ordinarias litigationes deventum est, cujus inchoatio aulae quoque Viennensi non displicebat; tendebat enim ad enervationem partium per ingentes hincinde sumptus, et ideo fomentabatur per varios modos captiosos, delationes, evocationes ad forum incompetens, transactiones et earum transgressiones ita, ut res, quae per legales vias in duobus terminis finiri potuisset, annis duravit. Sed tandem in omnibus appellationibus in favorem sexus masculini decisa, finaliter amicabili compositione sopita est. Nec defuerunt complures, qui hacce altercatione nostra plurimum ditati sunt. Non memorabo, Domine, nisi cum dolore frequentia convivia et compotationes meas, quarum pro captandis quorundam favoribus haec litigia fuerant causae; inter quas amore quoque puellae obscurae originis captus pronus in

adulterium ruissem, si a consummatione peccati tua me non retinuisset misericordia, quod vere saepe commisi intentione, quamvis formali actu non compleverim; accuso me proinde reum illius, et veniam humillime imploro; tu nosti et vidisti turpitudines meas, quibus provocabam iram tuam; et perfecta hieme et bachanalibus inter praeattactas compotationes, saltus, convivia, et peccaminosas occasiones Eperjesini peracta sequenti aestate visitasti me subita afflictione, cujus originem, causas recensebo cum gratiarum actione, quod me in tam repentino eventu a plurimis vitae et amissionis omnium bonorum meorum periculis praeservaveris.

Praetermisi hactenus vitae meae eventus describens et confitens ea, quae ad totius gentis Hungarae rem pertinent; nec nunc intentionis meae est ea reassumere historice recensenda, sed repentinae insurrectionis plebis relaturus causas, necessarium esse duxi statum regni et nationis repraesentare a sopitis Tökölianis motibus; qui per incaptivationem ejus Varadini, prout recensui, ferme totaliter exstincti fuere. Quamvis enim ille ex praedicta captivitate liberatus fuerit, vix deinceps et vel potissimum post arcis Munkács deditionem trium aut quatuor millium Hungarorum exercitum contrahere potuit; Magnates omnes et Nobilitas vi armisque Germanorum oppressa rediit ad publicationem amnestiae, quam Imperator post clades Turcarum, receptamque Budam proclamari fecerat. Ipseque princeps Transylvaniae, Apafius, de Turcarum partibus (sub quorum protectione eo usque pro more reliquorum Principum Transylvaniae inter duos Imperatores neutralitatem colentium, pacifice gubernabat) deserendis diversa agebat consilia, et tandem per primarium ministrum suum Michaelem Telekium, hominem perversae fidei et aulae Viennensis mercenarium, inductus est. Legatisque proinde Viennam missis, inter Imperatorem et dictum Principem tractatus conclusus, inter cujus principaliores conditiones stipulatum fuit: ut praefatus princeps in societatem belli contra Turcas ingrederetur; stationes hibernas Germano militi erga solutionem pecuniariam in principatu concederet; duo fortalitia aequali milite praesidianda pro securitate Germanis traderet, et jure belli acquisitas Transylvaniae a Turcis possessas partes retineret. Praeter haec

Imperator assecuravit Principem: se nihil sibi de praedicto Principatu retenturum, regnicolas in privilegiis et libertatibus conservaturum, filium ejus, juniorem Apafium, pro principe Transylvaniae decedente patre agniturum, bello finito fortalitia evacuaturum. Sed vix tractatus conclusus fuit Generalis Haisler cum 20 Germanorum millibus provinciam ingrediens, Principem bona fide exercitum associatum recipientem in tantas redegit angustias, ut e propriis urbibus exul, in privata arce familiae suae privatam vitam ducere coactus fuerit. Miles Caesareus, in omnia praesidia terrore incolis incusso inductus, libere grassabatur; Magnates et Nobiles Principis ignaviam arguentes, et ministrum detestantes fortiori adhaerebant, ita, ut ab ingressu exercitus Germanorum nonnisi vanum Principis titulum retinuerit Apafius; qui compotationibus deditus anno postmodum 1696. e nimio potu febri correptus fatis functus est. Quapropter aula Viennensis, securitate sibi parta per occupationem principatus Transylvaniae, Varadino, subsequenter celebri fortalitio ad hunc principatum appertinente, sed post mortem avi mei a Turcis obsesso et occupato, lenta obsidione cincta et ad deditionem coacto, confinibus ab illa quoque parte bene munitis: de tollendis Hungariae fundamentalibus libertatibus pridem agitata consilia magis magisque manifestare inchoavit. Proinde Buda expugnata, Transylvania, ut dixi, fraudulose occupata, anno 1686. generalia comitia Statibus Regni Posonium indixit, et convocatoriis manifeste inseruit causam, ut nimirum filium suum, Archiducem Josephum in regem haereditarium non jam eligi sed coronari faceret. Quod avitis libertatibus regni summe praejudiciosum attentatum ut effectuaretur, generalem Caraffam Neapolitanum superioribus Hungariae partibus cum titulo et praerogativa plenipotentiarii praefecit; qui crudelitate et vindicta plenus, amnestialibus literis ab Imperatore publicatis sepositis, in civitate Eperjes publicam instituit inquisitionem contra principaliores nobiles de novis tumultibus suscitandis suspectos; cujus tribunalis, contra omnes leges et regni jura erecti, judices et circumstantias referendas historicis relinquo. Praetermittere tamen nequeo horrendi et a tempore Neronum inauditi feralis theatri erectionem, in quo plurimi nobilitatis antesignani, et proceres, a prostituta

quadam militis gregarii et Munkácsiensis praesidiarii transfuga uxore de correspondentia cum matre mea accusati, carnificum manu torturis immanibus cruciati, dilaniati fuerant eo ipso tempore, quo Posonii de coronatione Josephi et haereditario ejus jure statuendo agebatur. Ubi repentina quoque mors judicis curiae comitis Draskovith, qui praetensionibus Germanorum se manifeste opposuerat, communi omnium oppinione veneno ipsi propinato adscripta tantum terrorem Magnatibus incusserat, ut deinceps Germanis contrariari nemo ausus fuerit. Quapropter non tantum domus Austriacae sexus masculini in Hungaria haereditas jure statuta fuit, sed et Josephi juramentalis formula legibus praescripta, ad lubitum aulae nec consultis regni Statibus immutata, et hujus clausula Andreae Secundi cognomento Hierosolymitani bullae aureae primus articulus sublatus, quo mediante sapientissimus ille rex nobilitati contra reges, libertates et privilegia regni infringentes, praeter notam infidelitatis insurgendi et arma sumendi dederat facultatem. Legibus proinde regni sic convulsis et cancellatis, contra juramentum et fidem Imperatoris Leopoldi, patris Josephi, qui dietae adfuerat et ipsamet abrogata privilegia sarta tectaque conservanda juraverat, non amplius de subsidiis et contributionibus diaetaliter agebatur, sed summam earum aula decidebat, et bellicus commissariatus pro lubitu repartiebatur militia Germanorum; exigebat eas a misera plebe inauditis et barbaris modis, de quibus memorandis erit mihi particularior occasio. Horum continuatio ab anno praememorato diaetae usque ad 1697. causavit potissimum miserae plebis insurrectionem, cujus principales auctores Franciscus Tokaji, Paulus Szalontai et alii tres-quatuor partim subditi, partim libertini mei fuere, plerumque civitatis meae Sáros-Patakiensis incolae, qui compluribus ante sumenda arma mensibus conventicula tenuere in silvis et montibus meis Regécziensibus, et se ad secretum observandum arcto juramento obstrinxere. Latuit illud, quamvis plurimis communicatum, tota hieme, novarumque rerum praemeditata machinatio gliscebat inter plebem, quae Germanae militiae ex hibernis egressum exspectabat. Ego quoque rerum harum ignarus continuabam mea venationis solita exercitia, et quamvis illis integra septimana in montibus

vacaverim, ubi illi sua tenebant conventicula, nec minimam tamen suspicandae rei habere potui ansam. Mensem Junium Szerencsini pro solito transegi cum uxore, et ultimis diebus mensis Tokainum divertens, in silvis meis ad Balsa venando triduum transegi sub tentorio, sed pro imminente secunda Julii, incidente visitationis Virginis festo, devotionis meae peragendae gratia Patakinum reverti statuens, biduo ante festum Szerencsinum repetii; unde gravioribus curribus et impedimentis dominica die praemissis, ipse cum uxore sequenti die venando sequi decreveram. -ole die Lunae illucescente jam me venandum pedester iturus accinxeram, dum citatis passibus advenientes duos rusticos mihi in secreto loqui velle denunciatur. Mirabar importunum illorum desiderium, sed profecto iis admissis obstupui ab iis inaudire arces meas Tokaj et Patak, Germano milite praesidiatas, hora secunda noctis uno eodemque tempore scalis admotis consensas et praesidiariis occisis occupatas fuisse a Turcis, Tartaris et Tökölii asseclis; quorum magna copia replevit viciniam, et pars destinata, ut se de persona mea assecurent. Res mihi videbatur incredibilis quidem, sed detentis nuntiis, ut de illis, si falsum asseruisset, poena sumeretur, omnia convasata haberi jussi. Iter vix duarum horarum est Szerencsino Tokainum, et vix haec primi nuntii edixerant, alii ad necem quaesiti Germani praecedentium confirmavere dicta. Equi aulicorum meorum pascebantur in medio itinere, quod ad supradictam arcem tendebat; currus et imimpedimenta deerant; nec nisi unum remanserat carpentum, quo gynaeceum vehi solebat, quo quanto majori celeritate praejuncto uxore equum conscendente equorum adventum exspectare oportebat positis vigiliis, qui in illa planitie de longe venientes videre poterant. Omnis exigua longa apparebat mora, novitatis enim motuumque ignarus capi nolebam, invigilandumque mihi fuit, ut aulae Viennensis de me formari possibiles suspiciones prudenter et caute agendo averterem; ac proinde Cassoviam, amplo Germanorum praesidio munitam, discedere statueram; in qua Comes Nigrelli supremo partium superiorum fungebatur imperio, amicissimusque fuit mihi; sed vix equorum illuc versus verteramus capita, citati advenere nuncii, qui itinera illuc tendentia jam praeoccupata dixerant.

Quapropter nihil incerti agendum ratus, Szendröviam, arcem pariter Germanis praesidiatam, deflexinus; quo tandem circa decimam noctis horam advenientes, nullo modo obtinere potui, ut arcis aperirentur portae; sed in urbe manere coacti advenientem lucem impatienter exspectavimus, nocte inter incertitudines et anxietates peracta circa meridiem advenere exploratores, quos Szerencsino discedens ad statum rerum indagandum miseram. Retulereque mihi, a Tökölii asseclis irruptione per compestria facta et habita cum plebe cointelligentia, arcem Patakiensem per male muratam quandam eruptionibus destinatam portam, — Tokainum vero admotis scalis intrantes, trucidatis male vigilantibus et otio deditis praesidiariis — occupatam; currus vero meos medio Patakinum versus itinere deprehensos pro securitate comitiva data illaesos Patakinum deductos, famamque inter ipsos spargi, me quoque brevi adfuturum; adesse inter illos Petróczium Generalem officialem Tökölii et non exiguam Turcarum, Tartarorumque manum. Praeerat praesidio Szendrőviensi Comes Guadagni, Italus senex, timidus et suspiciosus; nec propterea ibi diu morandum ratus, perscriptis Cassoviam comiti Nigrelli causis, quibus ad deflectendum coactus fui, sequenti die iter meum per montana Semnitzium direxi, ubi filium meum sub cura Baronis a Hellenpach reliquisse superius dixi. Tu nosti solus, Domine, quantae fuerint anxietates meae; subito enim et improviso casu amissis omnibus in summas redactus fueram angustias; sumptus deerant, nec ullos sperare poteram amissis et occupatis bonis meis; morari in Hungaria inconsultum fuit mihi propter praeconcepta Germanorum de me praejudicia, et Domus meae odium. Praevisio futurorum augebat inquietudines meas, et eggredi e patria vetabat. Tu tamen, o misericordiae pater, non defuisti mihi; sed consolabaris me, et ad mala toleranda corroboraveras me, confidentiam meam in providentia tua augendo; vere enim forti et patienti animo ferebam adversa, quae dum mihi eveniebant, in consuetis habebam recitare hymnum Ambrosianum. Durum fuit inter tot mala uxoris videre molestias; quae mala virili prorsus animo sustinens, quamvis plerumque valetudinaria, propemodum diurnae nocturnaeque equitationi resistebat; noveram quippe generalem plebis contra Germanos

offensam, et propterea lentis sed continuatis itineribus progrediebar, ne me fama tumultuantium praecederet; nec longius quiscebamus, quam in quantum ad reparandas hominum equorumque vires erat necessarium. Quarto, ni fallor, die post discessum Szendrővia appulimus Semnitzium, ubi aliquot dies quieti dare resolveram. Sed placuit tibi, Domine, aliter disponere de me, et renovare tribulationes nostras. Prandebamus sequenti adventus nostri die, et famuli per civitatem dispersi alii reparationi continuo itinere confractorum studebant, alii rebus suis vacabant; dum repentinus suboritur populi per plateas discurrentis fremitus; ad cujus investigationem missi referebant totam civitatem agitari motibus et adventantis hostis rumore conturbari; pars convasabat sua, pars convasata ad montium cavernas, fodinas et cuniculos occultanda portabat; alii currebant ad arma, alli fugam meditabantur, et surdo clamore nos incusabant, fuga nostra nos insequentes hostes attraxisse, ac propterea nos detinere debere asserebant, ut nos eorum subjicientes potestati gratiam eorum demereantur. Auxit angores meos infans duorum annorum, famuli, equorum phalerae, per manus opificum tota civitate dispersae; et consilii inopi et fugae deerant media, et hostis exspectandi pericula augebantur; omni momento augebatur confusio, et subitae famae veritas repetita tormenti arcensis explosione confirmabatur. Recurri ad te, Domine, et tu exaudiens adjuvisti me! Baro a Hellenpach currum quatuor equellis praejunctum pro gynaeceo vehendo suppeditans, infans cum nutrice carpento impositus est; inopi centum nummos aureos Baro a Tavernat fodinarum, ut appellatur, Cammer-Gravius mutuavit; et equis conscensis inter medium tumultuanter contra nos vociferantem populum et nos incusantem urbe exscessimus sole jam ad occasum declinante. Progrediebamur per itinerum angustias, quibus undique in valle sita circumdatur civitas, et vix stadio abfuimus, dum nunciatur mihi a stabuli praefecto ad conducendum infantis carpentum relicto, illud confractum esse, et nec progredi posse, nec insequentem currum praecedere permittere itinerum profunditatem. Glorifico, laudo et gratias ago tibi, o infinita misericordia, quod me sic angustiatum ope et consilio non deserueris, et afflictionibus accrescentibus pacien-

tiam quoque ad tot insperata mala tolleranda non denegaveris! Jussi proinde paucos e paucis remanere ad carpentum equites et infantem equo impositum me sequi, si hostis immineret; ne tamen in hoc quid praecipiteretur, sed carpento accomodando ut serio manus et opera admoveretur, mandavi. Ipse interea iter cum uxore per montium devia et semitas inter spississimas noctis, saxorum et arborum tenebras et praecipitia Tapolcsánum versus continuavi, sperans me in hocce castello consanguineae mea Comitissae Erdődyanae, apud quam biennio ante uxor pepererat, requiem et solatium reperturum. Sequebar itineris ducem, praecedens immediate uxorem, freno equi collo imposito; densarum enim arborum umbra et frondes vix erectum insidere permittebant, et quantum quis distabat ab altero sibilis significabat, et sic tota nocte impensa necdum orto sole ad praedictum castellum pervenimus. Sed profecto vix armatis custoditae portae reserratae fuerant, jam uno alteroque milliari distantia praesidia et castella famam hostis adventantis secunda explosione tormentorum denuntiabant; tertia enim explosio pro more recepto nonnisi viso hoste solet fieri, quam exspectare propter lassitudinem uxoris resolvimus. Metum diminuebat Electoris Brandeburgici militia, quae ex quatuor legionibus constans adhuc in hibernis dislocata in vicinia, contrahebatur ad resistendum. Sed omnibus his major morae causa fuit desiderium resciendi, quid cum filio nostro fracto carpento relicto ageretur. Aeterna sapientia tua, o Deus, instituit, ut bona malorum, haec illorum exciperentur vicissitudine; moderaris illam secundum aeterna decreta tua, ut homo cui subjecisti omnia, quae creasti, nec bonorum periodo extolleretur ad alta, nec malorum serie deprimeretur ad ima; sic vere ludis in rebus ejus, et prosperis ac adversis ut habenis uteris; quibus jam laxatis jam retractis moderaris vitam ejus, et ducis eum per vias, quarum excavasti orbitas, ne a sua deflectat meta; sic nos tua regebat dextera, et vere sic pro bono meo fieri oportuit, ut agnoscerem pondus ejus, et recurrerem ad te. Acerbum fuit, praecipiti fuga amissis omnibus bonis et ab hoste occupatis, regno excedere debere; sed summa doloris fuit, unicum filium imminenti, prout credebamus, hosti, Turcis et Tartaris deserere obligari. Sed quia

conservatos nos voluit misericordia tua, flagellare cessasti; et consolare nos coepisti adventu dilecti pignoris nostri sani et incolumis sub vesperam hujus diei; qui reparato carpento advectus fuit et hac occasione insani tumultus quoque rescivimus causas. Motus ille fuit a Baronis Tavernat, qui, prout dixi, Cammer-Gravi (ut vulgari nomine supremus fundinarum administrator appellatur) fungebatur officio, exmisso exploratore ad veritatem rumorum investigandam, qui sub vesperam diei adventus nostri illi allati fuerant de hostium Neosolium, civitatem 4 milliaribus, ni fallor, distantem, adventu. Conscenso is vicinarum montium vertice, ingentem pulverem a pecoribus domum actis excitatum in altum ferri videns, timore hostis perculsus, citatissimo equi cursu revertens in civitatem, dum hostem sequi conclamasset, cespitante equo quasi fulgure tactus corruit; quem casum plebs, clamore ejus commota, ab excepto praevio vulnere contigisse rata in tantum, prout dixi, discurrere coepit, tormentorum repetita explosione augente timorem ejus; qui sequentibus discessum nostrum horis comperta veritate evanescens homines quoque meos tranquillos reddidit. Quapropter reflectis animis et corporibus sequenti die iter aggressi sumus, statuens, uxorem et prolem Viennam directo itinere mittendo a similibus aut veris aut falsis anxietatibus eximere, et ipse ad fortalitium Leopoliense in urbe Galgótz subsistere, donec comperta rerum veritate saniora possem capere consilia. Quinque milliarium hoc itinere peracto ad vesperam in praedictam urbem advenimus, et sequenti die praemissa uxore et filio, dum ad vesperam novorum resciendorum avidus obambularem, festinanter advenientes officiales Germanos deprehendi, qui se ex praesidio arcium Arva et Likava in confinibus propemodum Poloniae sitarum esse dicebat; tendere se aequali cursu Viennam, ut Petróczii hostis ad praedictarum arcium viciniam adventum denunciarent, et omni bellico apparatu et annona carere arces et praesidia detegerent, et in tantis extremitabitus constituti ordines aulae exciperent referendos, si ingressus arcium patuerit occasio. Quibus ego, ex omni apparentia veris, fide adhibita dimissis ad vicina bona comitis Erdődi, mariti consanguineae meae, equis et aulicis meis postali occasione assumpta, ipse quoque uxorem meam

insecutus sum. Viennam adveniens primum quidem Cardinalem Kolonics invisi, ut hominis de me formatas opiniones tollerem; et iis, quae mihi acciderunt, relatis, e consilio ipsius Imperatorem adii, fatalium eventuum meorum seriem retuli, et inopiam meam omnibus bonis amissis detegens levamen petii. Commovit rei novitas aulam; jam enim totus exercitus operationes militares inchoaturus ad confinia Turcia circa Petrivaradinum congregaverat; et ipsiusmet Turcarum Imperatoris praesentia animatus hostis, Adrianopoli ad Nandor-Albam vel Belgradum appropinguare ferebatur; ad cujus adventum separare vires consultum non videbatur. Sed vice versa animatae plebis furori necesse quoque fuerat obviare, ne totius Hungariae incolae aequali jugo oppressi et onere gravati se illis conjungerent; qui sine ulla resistentia Nobilitatis depopulabantur bona, et Germanos ad internecionem quaerebant. Necdum e Tökölianis quispiam inter illos erat, sed progrediente Turcico exercitu per campestria, Crusium inter et Tibiscum sita, facile conjungi poterat levior cum Tökölio exmittenda manus. Sed tu, o exercituum dominator dominus, a cujus nutu dependent omnia, confundis mentes et consilia hominum, ut tendant in finem, quem tu praescripsisti eis; et devient ab illo, quem proponunt sibi propter semet ipsos. Aula Viennensis comperta interea veritate et origine motuum, cum insurrectioni huic nullum praeesse caput comperisset, sed omnia ex motu et consensu insolenter tumultuantis plebis agi; nobiles et omnem substantiam illorum depraedari a propriis subditis; capi, occidi se illis conjungere nolentes: primo quidem comitem Joannem Pálfi ad congregandos Rascianos et confinarios Hungaros sponte sua se illi conjungere volentes exmisit, et principem Vaudemontium cum duabus plus-minus cataphractorum equitum legionibus ab exercitu suo mitti jussi; sed ante adventum illorum legio desultoriorum comitis Schlik tardius ex hibernis excedens, cui tum Baro Ritsan tribunus qraefuerat, vicinior existens iter remensa est, et ad subitum incendium exstinguendum non sine temeritate accurrit. Adventum ejus subaudiens tumultuans plebs, furore magis quam strenuitate animata, occurrit ei in planitie mea Harangod nuncupata numero longe superior, sed arte et peritia agendi

longe inferior, lanceis, falcibus et fustibus potiori ex parte armata; ruit praeceps in Germanos, qui ad primum impetum profecto nutare coepere; sed in ipso conflictus ardore legio Hungarorum Pauli Diák superveniens plebeo exercitu circumvento eum ad tergum agressa in praecipitem fugam vertit, et Germanis peperit victoriam. Prima et ultima fuit haec illorum expeditio: fugientes enim se recepere in arces Tokaj et Patak, quas ad adventum Principis Vaudemontii aliquot dierum resistentia facta tradidere; antesignani eorum congregata equestri militia depopulando obvia recedentes, cogente Pálfio recepere se ad Turcicum exercitum; pars peditum in montibus meis Regécziensibus et his contiguis Szaláncziensibus aliquo tempore latitando subsistens, a parte praesidii Cassoviensis comiti Barkóczio, et nobilitati conjuncta dissipata est. Rem plusminus trimestri spatio actam his paucis attigisse sufficiat. Hinc brevitatis causa praetereo recensere crudelitates, a Germanis contra datam fidem (uti dicebatur) dedita arce mea Patakiensi perpetratas, cujus testimonio longo tempore inserviebant miserorum impalatorum suspensorumque publicis viis exposita cadavera; non conquerar de devastatione depopulationeque bonorum meorum et propemodum omnium mobilium, quae in curribus meis, prout retuli, plebs tumultuans deprehensa in arce mea intacta conservanda deposuerat, partim effectu dicta, partim ut illis, qui ipsis adhaerere resistebat, de adventu meo inter illos fidem faciant. Tua enim fuerant, omnium dator et largitor divina Majestas; ac proinde in omnibus his adorans admirabor providentiae tuae decreta, cujus dispositione omnia in bonum Germanorum versa sunt; quae contrarie evenissent, si Turcarum Imperator operationes suas bellicas ita inchoasset, prout finire voluit, succursum praestando armigeranti plebi. Sed aliter placuit disponere tibi, et propterea barbarorum confusa sunt consilia; jam enim Petrivaradino post se relicto Budam tendere videbantur, cum subito deflectentes magna celeritate superatis desertis campis, inter Danubium et Tibiscum sitis, ad Szentam castra fixerunt, et uno ponte facto hunc fluvium transire inceperunt, ut Marusio aeque ad Csanád superato in superiores partes Hungariae irrumperent, et plebi male intentionatae conjungerentur.

Quod consilium cum Princeps Eugenius Sabaudiae, qui exercitus imperialis fungebatur imperio, animadvertisset: hostem magnis passibus secutus, felicissimo casu viribus separatis, equitatum ejus in ulteriori, peditatum in citeriori ripa triplici sed male formato vallo circumdata castra figentem deprehendit. Quapropter sagacissimo consilio occasionem haud praetermittendam ratus, campestribus tormentis ad pontem rumpendum dispositis, vallum aggreditur, nec magno labore et strage edita superat, hostes inter reliqua necdum absolute egesta includit, et nimium coarctatos nec ad defendendum apte dispositos superat; interea tormentorum ictu rupto ponte fugae salute praeclusa in tertio vallo adhuc magis angustiatos continuata victoria premit, et superatos cum Magno Vezirio et universis majoribus officialibus delet ad internecionem. Spectatorem victoriae ipsum Imperatorem Turcarum in adversa fluvii ripa cum omni equitatu suo castra metantem habere potuisset, sed terrore perculsus cum omni exercitu suo, qui fluvium transierat, fuga sibi consuluit. Sic, o sapientia aeterna, plebea rebellio Turcarum festinationem, haec exercitus eorum separationem, separatio victoriam, victoria pacem Carloviczensem concatenato eventu et sequela produxit! Languebam ego interea Viennae; et bonorum meorum proventibus destitutus, nec Imperatore succurrente, aere alieno aggravare me cogebar; et cum exercitum Germanorum plebem fugasse subaudivi, arcium deditionem praevidens et depopulationem mobilium rerum mearum suspicatus Imperatorem adii petens, ut boni consulat intentionem meam me Principi Vaudemontio conjungendi. Et favorabili responso ejus obtento duobus famulis comitatus postae beneficio per iter montanum summa cum celeritate Eperjesinum appuli sub id tempus, quo caesareani recepta arce mea Tokaj Patakinum advenerant; peditatus vero plebeus in montes se receperat, ac propterea omnium consilio iter absque comitiva continuare haud securum ratus, de adventu meo Eperjesinum tam Principem Vaudemontium, quam amicissimum mihi comitem Nigrelli Cassoviae certiorem reddidi per literas, a primo Comitivam, a secundo consilium expetens; et aliquot horarum mora interjecta responsum quoque posterioris recepi; qui adventui meo congratulabatur

quidem, sed pro sua in me amicitia scribebat, quod maluisset, ut eorum, quae aguntur Viennae, potius mansissem spectator. Non contempsi paucis verbis datum Itali consilium, ad quod amplius et clarius cognoscendum ipse transii. Nec profecto me poenituit fatigii; sincere communicavit enim mihi in castris Vaudemontii de me sparsos rumores, quibus a perversis quibusdam hominibus subditos meos conniventia consilioque meo tumultuasse arguebar, et propterea res meas mobiles currusque meos fuisse conservatos; fidem his adhibere apparere Vaudemontium, et de his ad aulam quoque scripsisse. Tu nosti, scrutator cordium, cui confiteor, quam falsa haec de me sparsa fuerint! Sed me innocentiae meae confidere non credebam consultum; aula enim Viennensis Hispanicis regebatur maximis, et propterea omnium suspicionum fuit susceptibilissima; Cardinalis Kolonics, cujus in rebus Ungaricis plurimum praepollebat consilium, impalcabilis fuerat mihi; et Comes Kinski, qui primi Ministri tunc fungebatur officio, ex solo politices nefandae principio Imperatorem Domum meam suae semper inimicam in Hungaria exstirpare debere illo quoque fuerat infensior. Recenti memoria tenebam, quid mecum post contractum inscia aula matrimonium ex hac causa actum fuerit; et propterea duabus plus-minus diebus in invisenda sorore mea, quae se in vicinam arcem suam Makovitiensem receperat, inpensis, pari celeritate qua adveni, Viennam repetii. Omnia tibi semper sunt praesentia, cuncta regens omnipotentia, et hinc adhuc vides cogitationes meas et dolores cordis mei, quibus tunc angebar praevisione futurorum; tuta mea fuit conscientia, sed quae non repraesentabat mihi Viennensis aulae de me habita sententia? quae pridem ante nota fuit mihi; et propterea aulam tenebam e Germanis et extraneis compositam. Hungarorum vitabam conversationes, qui omnia acta mea contemptui nationis adscribebant. Verum in hoc casu acerbissimum mihi fuit experiri, indelebiles fuisse praeconceptas oppiniones ministrorum; ut tamen Imperatoris mentem agnoscam, et omni prorsus fastidioso eventu liberer, statui proponere cambium omnium bonorum meorum haereditariorum pro aliquo principatu in imperio et provinciis haereditariis Domus Austriacae. Talis est, o aeterna beatitudo, miseri homi-

nis conditio, qui non ducitur spe firma in misericordiis tuis; consolationes suas in fallaci sua prudentia quaerit, cujus ductu futura quoque statui et desideriis suis aptare intendit, quae tamen in sola tua sunt potestate; ambulat in coecitate, et lumen ejus sunt tenebrae. Sic dietim magis magisque deviam a te, ducitur per avia et devia, ignarus viae, quam tenerat; et ipse sibi semnia fingens, jam tribulatur, jam gaudet. Hic fuit status meus, et inter millenas fructuum maris ad instar inter se collidentes cogitationes adveni Viennam, et uno eodemque tempore desiderium praeattactae commutationis bonorum et confessario Imperatoris, Patri Manegatti Jesuvitae proposui, et Comiti Kinski proponi feci per hominem sibi tunc sat confidentem. Primus me aliquot diebus praeterlapsis ex mente Imperatoris ad Cardinalem Kolonics relegavit; secundus vero per praedictum proponentem significavit, prudens sane esse consilium meum in his rerum conjuncturis ad gratiam Imperatoris recurrere, donec gratiarum porta aperta est. Non esse enim ignaram aulam correspondentiarum mearum et collusionum mearum cum inimicis Imperatoris; nec deesse documenta, ex quibus me conscium et fomentatorem rebellionis subditorum meorum fuisse demonstrari potest; opus igitur est sincera confessione omnium in hac re actorum; quod si enim ita voluerit, et alia media invenire poterit Imperator ad approprianda sibi bona mea. Parce, Deus, justae indignationi meae, qua ad auditum horum exarsit in me fragilitas naturae meae, continui me tamen avidus responsi Imperatoris praevie a Cardinale resciendi; quem adiens his profecto contraria audivi, grato nimirum animo suscepisse Caesarem propositionem meam, quia tamen nec in Imperio nec in reliquis provinciis suis haereditariis reperiuntur prae manibus Camerae suae dominia mea haereditaria adaequantia, eam acceptare nequit; sed si reperirentur quoque, proprium suum vetaret interesse, plus enim a me servitii sperari posse in Hungaria quam alibi. Resolutionis hujus svavitas accendit indignationem meam contra Kinskium, cui Cardinalem inimicissimum esse sciens ei cuncta, quae mihi cum ipso contigerunt, exposui; nec disvasit intentionem meam praeconceptam de illata mihi injuria Imperatori pro benigna sua resolutione gratiis actis conqueri; quod priusquam effe-

ctuarem Kinskio significavi rogavique, ne amplius Imperatori quae petii proponeret; obtinuisse enim me ab hoc Principe favorabile responsum, per quod meliorem se opinionem de me habere cum multa consolatione reperi; significavique illud ei. Aegre tulit minister ille praetensivam delusionem conceptus sui, quem de me parem formasse videtur illi, quem cum juniore Apafio, Transylvaniae principe, sub illud plane tempus mortuo patre effectui mancipavit; illum enim similibus minis territum principatui contra leges et conditiones sibi praescriptas resignare Imperatori coëgit, et ad permutationem bonorum suorum persvasit. Multum consolasti me, o Deus consolationum, resolutione mihi a Caesare data, quam post aliquot dies in particulari quoque audientia, multis gratiosis additis confirmavit; quia tamen bonus princeps et vere tibi devotus plurimum ministrorum deferre solebat consiliis, siquidem cum Kinskio in apertas propemodum prorupi inimicitias, statui hiemem et sequentem aestatem in locis Viennae vicinis extra bona mea transigere; et propterea castellum Rohoncz, diei itinere distans, a comite Batthianio, Croatiae Bano, mihi amicissimo mutuare; ut sic omni suspicione eliberatus, in parte Hungariae mihi ignota degens ab inimicorum mihi insidiantium machinationibus securiorem ducerem vitam.

Praetereo, Domine, recensere tibi reliquorum annorum saeculi hujus (1690) cursum, de quibus confusae sunt mihi species de annualibus eventibus, quos plurimum Viennae partim in bonis meis transegi. Visitasti me in iis gravissimis infirmitatibus uxoris meae, quam sincere amaveram et propterea plurimum doloris resenseram in illo potissimum morbo, in quo sanitate desperata omnibus sanctae ecclesiae tuae sacramentis rite munitam deflebam. Indigne, sed ferventes fuerant preces meae, quas fundebam ad te, Deus, pro salute ejus; quas tamen pro multitudine miserationum tuarum exaudisti; illa quippe forti et virili animo sustinebat imminentis mortis pericula, et nec patris nec meis commota lacrimis plus mori quam vivere desiderare dicebat; et vere videbatur! Tibi soli notum est, nec ego inquiram quid pro salute ejus — vivere, an tunc mori — profuerit; meum est, ut laudem et exaltem te pro omnibus, quae fecisti; deprecor tamen humillime Majestatem

tuam, ut quam ad vitam saeculi tunc revocare dignatus es, in vita quoque gratia tua sustinere et conservare digneris. Mors enim est et morte longe pejus vivere sine illa, et hinc ego quoque potiorem partem vitae meae moriendo transegi. Memoranda fuerunt mihi praeter haec per horum annorum cursum filii mei mors, quem mihi dederas et in hac valle lacrimarum quatuor annis relictum recepisti, et nunc longe me felicior gaudet conspectu tuo. Conjungo me igitur ei in spiritu et humilitate, et gratias agens benedicote, et gratias ago tibi; exaudi, quaeso, preces ejus et miserere mei; ut absoluto inter mundi hujus adversitates (quibus me visitare dignatus es) miseriarum cursu, et cum eo in aeternum laudare valeam! Mirabilia sunt judicia tua, Domine, et tu solus scis, cur hunc infantem triennem unius integri anni morbo consummari volueris, quo languens et sensim sine sensu exsiccatus prout candela deficiente cera exstinctus est Leucsoviae sub cura celebris medici Spilberger. Non postrema fuit, fateor, afflictio mea de morte ejus; sed memorata et adoranda judicia tua et misericordia tua, patientiam quoque ad sustinendam eam dederant mihi. Transegi praeterea partem horum annorum in litigiis a sorore mea procul dubio per suggestiones malevolorum renovatis; in multis enim reperi aulam Caesaris ea fomentasse, vel maxime vivente Kinskio, a cujus inimico et mihi summe contrariante animo per mortem ejus liberasti me fors anno post contestationem meam cum ipso habitam. Vere critici fuere hi anni a 1697 usque ad finem hujus seculi et pro regno Hungariae et pro statu meo; cujus mutationem quia decrevisti, Domine, omnes ad eam concurrentes circumstantias adaequavit infinita sapientia tua. Pax cum Gallis et Turcis his annis parta; Imperatoris postmodum, tum vero Regis Josephi matrimonium, prolis masculae nativitas et brevi post subsecuta mors; Kinskii malevola in me voluntas, et subsecuta mors; ipseque motus et tumultus rusticorum haec praecedens. Omnia ista necessaria fuerunt ad subsequentia, de quibus mire ordinaverat providentia tua! Opportuit mihi notum fieri aulae Viennensis de me statutas intentiones, ut turbaretur tranquillitas vitae meae, quas in venationibus plurimum (ut dixi) transegeram; oportuit convinci animum meum, statutam esse in secreto politices

aulae praedictae consilio enervationem meam et eradicationem Domus meae ex Hungaria; quam quamvis Imperatorem non intendisse directe ex suo praememorato responso credere potuerim; ministros tamen aliter sentire, tam ex fomentatione litis meae cum sorore, quam ex falsis praetextibus quaesitis me praeattactorum motuum fomentationis conscium incusandi manifeste comperi. Revelatum enim mihi fuit a homine Kinskii confidente Marsilio, quod si tunc, dum durantibus motibus rusticanis in Hungariam me Principi Vaudemontio associandi animo discesseram, reversus non fuissem, incaptivatio mea resoluta et praenominato principi ordinata quoque fuerat. Sic deteriorabatur dietim status meus, et afflictionibus superaddebat afflictiones. Perriculosum fuit proinde mihi abesse Vienna, et morari in bonis meis, et nimisquam onerosum degere Viennae. Ruinabantur a hibernante milite Germano miseri subditi mei absente me, et quaerelae eorum nimisquam affligebant praesentem; pervenerunt eae ad aures quoque tuas, o pater pauperum, et procul dubio propterea evenerunt sequentia. Imitabatur gentilium tyrannidem Caesarei militis procedendi modus in extorquendo aere, et illi superaddebantur scelera! Solvere enim nequeuntium abutebantur uxoribus, ad quas sibi cedendas in defalcationem debiti compellebant maritos, et illis praesentibus patrabantur. Verberabantur alii, et quandoque exspirabant inter verbera; et leves quoque offensae et quandoque a miseria exscitae querelae mortis fuerant causae. Exercebat haec et his similia malevolo spiritu instigante excogitata tormenta gregarius miles in plebem, officialis in notabilitatem. Perfunctorie examinandis quaerelis unius Germani fides praeferebatur testibus Hungaris, et propterea condemnabantur et saepe puniebantur innocentes; et sic in ruinam conspirante militiae ordine officialis connivebat militi, generales officialibus. His convellebatur legale regni regimen; provinciarum enim aut, prout vocamus, comitatuum comites et vice-comites et subalterni dignitarii suis fungi nequiebant officiis; zelantes pro munere suo rebellium loco vel incusabantur vel habebantur, sic increpabantur quandoque et verberabantur. Haec ad aulam referre plerumque fuit inane; vel solicitationis enim expensae augebant sumptus, quorum solutio redundabat in

enervatam a Germanis plebem. Comissarii vocabantur ii, qui lustrae militiae in campum egredientis vel in hiberna redeuntis et computibus exolutionis ejus praepositi fuerant cum authoritate quaerulantibus satisfaciendi; sed hoc quoque harpyarum genus concurrebat in ruinam gentis. Quidam illorum a Germanis accipiebant munera, ut condemnarent Hungaros; quidam a Hungaris, ut excessuum partem his detractam in datis muneribus sibi appropriarent. Fuerunt inter illos, qui simulata compassione recusabant munera; sed pecuniam plebi et comitatibus pro ingenti usura mutuabant. Addebantur his praesidiorum frequentia et praefectorum in iis intolerabilis questus. Pars horum sibi usuandam attribuebat proprietariorum dominorum terras et prata, quo tormenti ictu pertingere poterat; pars educilla, macella, telonia in portis erigebat; mutuabant quidam subditis nostris pecuniam, et usurae in paratis solvendae loco labores rusticanos exigebant, ad quos renuentes neglectis consuetis dominis suis debitis laboribus vi compellebantur. Et sic Germani bonorum nostrorum percipiebant proventus, nos domini appellabamur; quae ut impune patrentur generalibus annuas praestabant pensiones; et sic quaerulantes surdis ubique excipiebantur auribus. Quodsi quaerelae referebantur Viennam, pro informatione remittebantur ad dictos generales, et plerumque fructus expensarum fuit eorum vindicta, quam quaerulantis incurrebant. Non horum remedium fuit pax cum Turcis Carlovitii conclusa, sed in deterius tendebant omnia, et suprema gentis imminebat ruina per institutam Neo-aquisticam commissionem aut, ut appellare non pudebat, erectum jus Turcicum, quo Imperator Leopoldus immemor juratarum conditionum, — quibus juratis corona Hungariae ei delata est, vi quarum confinia regni a Turcis recuperanda non sibi appropriatura, sed dominis, a quibus ablata sunt, restitutura, et coronae applicatura promiserat; — quidquid sanguine et pecunia Hungarorum e manibus paganorum eripuit, fisco suo attribuenda praetendebat. Compellebantur proinde Magnates et Nobiles ad productionum documentorum et edoctionem jurium coram foro incompetenti; et originales literae productae retinebantur, et bonis a saeculis possessis impune spoliabantur, ni ea magna vi pecuniae redimerent. Ex his. arcibus partim

applicatis, componebantur dominia, quae Imperator ministris suis conferebat. Sed nec haec suffecere mala, quibus supremum superaddi resolutum fuerat; et propterea omnes regni Dignitarii, Barones et Comites contra positivas leges extra regnum Viennam evocati sunt, et quia ad id usque tempus quidquid extorquebatur pecuniae voluntarii subsidii nomen gerebat: volebat aula, ut de perpetua contributione et ejus quanto deliberaretur: ut leges regni ad normam projecti a Cardinale Kolonics facti reformarentur; et quod supremum: ut nobilitaris praerogativa auferretur a pauperibus nobilibus, et majoris nobilitatis restringeretur! Haec fuerunt, o regum dominator juste Deus, et his similia, quae quondam publico manifesto oculis orbis Christiani exposueram, quae me in Hungaria degentem affligebant, et quibus commotus ad defendenda jura et leges patrias, in quas qua comes Sárosiensis juraveram, animum applicare vitamque meam exponere obligaminis esse dixi! Liberorum Transylvaniae principum haeres fui; nec aliunde Hungari Regum, sed legum subditi sunt, et principaliter tunc a regnante Leopoldo, contra quem jura et privilegia regni laedentem liberam insurgendi facultatem diploma aureum Andreae II. Regis Hungariae nonnisi a successore ejus Josepho in hoc solo puncto sublatum, attribuebant. Ursit aula ad consentiendum praeattactis propositionibus congregatos magnates pollicitationibus et minis, et Palatinum seu Vice-regem regni, Principem Eszterházi multis titulis devinctum in suam pertraxerat sententiam. Sed tu, o misericors Deus, suscitasti quosdam paucos, qui se opponere non sunt veriti; et horum antesignanus Archiepiscopus Calocensis Paulus Szécseni Comes Veszprimiensis fuit, et res eo deducta fuit, ut hocce magnatum consilium declaraverit: se de tam arduis regni negotiis et fundamentalibus libertatibus ejus extra dietam in gremio regni convocandam decidere leges vetare. Et sic aula indignante solutus est conventus. Adfui tum ego quoque Viennae, sed a consiliis eorum abstinui me, quamvis vi officii adesse debuissem; affligebar multum patriae miserias circumspiciens, de qua agitata consilia ministerii Viennensis in frequentatis Germanorum societatibus melius noscebam, quam congregati magnates. Reddebas tu mihi, Deus, has miserias dietim sensi-

biliores, et inclinabas cor animumque meum ad majora; effecisti denique, ut occasione litis meae cum sorore majorem quam antea cum Comite Nicolao Bercséni, comite Ungensi contraxerim notitiam; quem postmodum pro vicinitate arcium nostrarum frequenter inviseram, et sic inter venandum aucta confidentia arcta et sincera effecta est amicitia; quae me meas, illum suas memorare saepe fecerat afflictiones; quarum uterque quaerebamus remedium. Nec sine admiratione et consolatione animadvertit ille me sub vestitu Germanorum Hungari et vere patriae filii gerere cor; de quo natio passim aliter opinabatur, et propterea nemo mihi de regni et patriae rebus loqui praesumpserat, de quibus aliqui praecedentia et authoritate praediti Nobiles inter se gemebant; qui postmodum secretiores cogitationes meas a Comite rescientes summe laetabantur. Sola enim fuit persona mea, quae consideratione domus meae, majorum meorum, aequalium inter se unire potuit consilia et exterorum Principum Christianorum conciliare amicitias. Competebat mihi plus quam ulli a proavo meo Georgio Primo actam cum Ferdinando Imperatore Tyrnaviae pacem restabilire, quae tunc regni stabiliverat libertates, quae postmodum plerumque sublatae fuerant. Colligatio ejus tunc pacta cum regibus Galliae Sueciae se in successores quoque extenderat, et propterea ad eam recurrere mihi soli competebat. Omnes igitur hae considerationes Magnatum Nobiliumque mihi conciliabant animos, quos eo tum mores, vestitus et vivendi ratio et praecipue meus pro Imperatore in motibus rusticanis patefactus zelus tenebat alienatos et timidos. Sic loquor, o Domine, prout tunc senseram; nunc enim patefecisti mihi secretis providentiae tuae mediis haec acta fuisse, cujus nimisquam propitiis consiliis statueras, me tibi conjungi per tam arctas afflictionis ac amplas elevationis et demum denuo restrictas humiliationis vias, ut his vicissitudinibus adversa et prospera noscens, discerem omnia sub sole vanitatem vanitatum esse praeter amare te et servire tibi. Gratias infinitas et aeternas ago tibi, o misericordia et sapientia aeterna, quod amare me feceris voluntates tuas, quas sequi inhaerendo mandatis tuis vere sentio me velle. Tu scis, num faciam; timeo enim occulta mea, et agnosco me pejorem esse, quam mihimet ipsi appareo; et propterea vereor

judicatum. Rogo te saepissime per diem, et effundo preces meas coram te, ut patefac mihi, quod tibi displicet in me; sed confiteor has ipsas preces meas indignas esse, et propterea non exaudis me; tu nosti puritatem intentionis meae, dum accedo in conspectum tuum. Sed illico rapiuntur cogitationes meae ad inania, et dissipatae recedunt a te, non quod illis adhaeream, nihil enim est in mundo, quo abesse durum appareret mihi, sed mentior, dum dico me multis non delectari. Fac igitur, ut in hac quoque delectatione, quae a fragilitate humana inseparabilis est, recolam beneficia tua, a quibus redundant in me. Haec sunt, quae mihi demonstrant plurima esse, quae volo, quia tu dedisti, ut velim; sed non possum! Gratulabor ergo me nihil posse boni sine te, et non cessabo rogare te, ut me adjuves ea non negligere, quae possum; donec per incrementum gratiae tuae effectuare potero ea, quae volo. Offero interea quoque tibi omnes dissipationes et aviditates meas, quibus me visitas, hi sunt enim soli pessimi fructus arboris concupiscentiae mae, quam peccatum plantavit in me, et haec me volente quoque pullulat; hinc posuisti me contrarium tibi, et gratia tua fecit me quoque esse contrarium mihi; sed quid dico, non ego mihi sum contrarius, sed tu in me pugnas contra me; amor enim, quo feror ad te, tu ipse es; et pondus concupiscentiae, quo retrahor a te. ille ego, qui facio; quod nolo vel quod nolle credo; sed fors volo. et hoc est illud occultum, quod tu solus nosti, et quod tu mihi revelabis dum volueris. Coecus enim sum, et coecitas mea est nimia valde; illumina tenebras meas, et fac me exspectare in patientia et humilitate diem aeternam illuminationis meae! Sed interea quoque, o Domine. illustra intellectum meum. et adjuva memoriam in continuando hoc opere; hactenus enim impuritates et scelera me particularem vitam degentis confessus sum tibi et in his quoque solummodo ea recensui, quorum fallente memoria recordatus sum; tu nosti, quanta sunt illa occulta. de quibus quaeso, ne intres in judicium cum servo tuo, sed dele ea misericordiae tuae torrente.

Nunc vero aggredior revocare in mentem ea, quae totius regni et gentis Hungarae concernunt rem. Praeparabat me providentia tua ad conscendendum. theatrum, ut

principis non jam privati sed regentis repraesentarem personam, cujus caracterem quamvis jam mihi per nativitatem quoque meam benigne inpresseras, placuit tamen tibi justitiam tuam exercere in Domum meam et humiliare eam, et apprimi facere a regnante in Hungaria Domo Austriaca, et sic me quoque per tantos humiliationes anfractus elevari. Prout hactenus scripsi, quaevis haec decrevisti, non tamen ideo voluisti, ut in instanti fierent, sed praevie longe magis quam hactenus angustiasti me, et hoc quoque opus gratiae tuae fuit in me; praeclara enim media fuerant pacientiae et imitationis filii tui, cujus utinam eo animo bajulassem crucem, prout conveniebat ad expiandas abominationes meas; sed dolens fateor et poenitens doleo me continuasse abuti gratiis tuis, et vere si quae fortitudo animi apparuit in me in adversis, objectum ejus non tu fuisti, non amor tuus, sed proprius; recepi afflictiones a manu tua, cognovi eas venire a te et mereri me; ore quoque pro consuetudine mea gratias egi tibi, sed cor meum et opera mea longe fuerant a te et sic vere mentiebar tibi! Aggressus sum opus eliberationis patriae meae commotus afflictionibus propriis et miserae plebis, cujus tribulationes in recensitis vix attigi; fuerunt enim multae ut magnae. Credidi praeterea obligaminis juramenti mei fuisse manutenere leges patrias, sublevare miseros, eliberare pupillos et orphanos ab intolerabili jugo, quod ipsis contra jus et aequum impositum fuerat. Et haec motiva nunc quoque non reprobat conscientia mea, sed grande hoc opus non aggressus sum per invocationem auxilii tui, per confidentiam directam in eo, et quod maximum, per emendationem formalem vitae meae, sed per mundanae politices regulas et principia et prudentiae humanae illusiones. Abfuit a me ambitio et dignitatis majoris aut coronae acquirendae desiderium, sed eo non obstante regebat me vanum illud desiderium aut potius delectamentum contentationis propriae; de quibus fac me, quaeso, poenitere quantum oportet, ut misericordia tua adjutus satisfacere possim justitiae tuae; vere enim totius subsequentis vitae meae cursu vanis his concupiscentiae stimulis actus plurimas exercui morales virtutes, et regnum regens exercebam justitiam; bene faciebam egenis, exercitia pietatis exercebam in cultu religionis externo,

abstinebam me a luxu, sobrius fui in victu, castus apparebam, adversa forti animo sustinebam, et prosperis non elevabar, publica privatis praeponebam, dies noctesque in inquietudinibus, laboribus transegi; divitias contemnebam, sanitatem, vitam et propria Domus meae incrementa publicae utilitati postponebam, in fide observanda religiosus. Sed haec omnia vana virtutis specimina peccata fuere in conspectu tuo; procedebant enim ab illo Pharisaismo, quem tu, o Jesu mi, tantum condemnabas praedicatione tua!

Ultimus saeculi 1699. nempe labebatur annus, quo currente inter familiares discursus accepta mutua fide de remedio malorum et miseriarum regni cogitationes meas patefacere inchoavi Comiti Bercsénio, quod, praevie jam a tot annis solicitationibus, quaerelis publicis, supplicibusque libellis ad aulam Caesaris tentatum, nullam mutationis reliquerat spem; et propterea non amplius de horum reassumptione cogitavimus, sed de excussione jugi, quo colla nostra aggravata sensimus. Sed internis conjucturis consideratis insuperabiles undique occurrebant nobis difficultates; miles Caesareus copiosus fuit in regno, praesidia arcium civitatumque frequentia, aerarium nostrum vacuum, monetae in toto regno exigua vis, munitiones bellicae nullae. Quodsi ad externarum rerum Europaearum dispositionem oculos convertimus quoque, his non minores deprehendimus; pax cum Gallis ac Turcis parta nullum domui Austriacae reliquit inimicum, cujus continuatae contra Turcas victoriae tantum genti barbarae incusserant timorem, ut nihil ab ea amplius sperandum supererat; hinc vicinitatem septemtrionalem Hungariae, Poloniam nempe, circumspicientibus quoque confusae apparebant spei species. Rescivi quidem ego, Viennae plurimum cum externis ministris conversans, regem Augustum, paucis ante annis per factiones Imperatoriae aulae ex Electore Saxoniae in thronum Poloniae introductum, non de toto correspondere spei dictae aulae, et Principem belli et mundanae gloriae avidum bellum quaerere; sed nimisquam inconsultum periculosumque videbatur Principi ignoto, ignotae aulae nostra consilia aperire. Fuere in Germania dispersa plurima semina discordiarum, sed pullulationis horum longinqua spes; domui quippe Hanoverianae novi Electoris ab Im-

peratore invito imperio datus titulus commoverat collegium Principum, quod maxime ex parte Galliae regi associari quaerere dicebatur. Sic denique status regum et principum examinantes libabamus spes, sed consilia figi non poterant. Sed tu, o incomprehensibilis imperiorum et regnorum sortes verbo regens providentia, quae de rebus totius Europae confundendis, regnis et monarchiis subvertendis mutandisque decreveras, solicitudines nostras sedare inchoasti! Viennae fui, dum pace Risvicensi conclusa totius Europae principes mortem Caroli II., Hispaniarum regis, ex sanitatis ejus imbecillitate praevidentes, de successione monarchiae hujus tractare coepere consilia; quae, subita quodammodo fermentatione in animos eorum inducta, novam rebus induxere faciem. Consensere propemodum praeter aulam Viennensem omnes in Electoris Bavariae filium, ex Imperatoris Leopoldi filia progenitum; sed hic quoque adhuc infans brevi post exstinctus aut, prout quidam opinabantur, sublatus renovavit motus; et hinc aula Caesarea de appropriatione jure successionis monarchiae agebat consilia, illinc rex Galliae, Angli, Hollandi principes et status Italiae nimium potentiae domus Austriacae incrementum juste metuentes et potentiarum Europearum bilancem in partem ejus praeponderaturam praevidentes: adhuc vivente rege Carolo de successore ejus consultabant. Mortuo Kinskio primum ministrum suum Comitem ab Harrach, sibi coaetaneum et familiarem, legatum miserat Imperator in Hispaniam, qui de summa rei consiliis reginae, imperatricis Eleonorae sororis adjutus decerneret. Sed quia haec aliter quam homines opinabantur statuta fuerant, confusa sunt consilia, et dissipatae cogitationes eorum; prout enim ego subaudivi, erat reginae familiaris quaedam confidensque cameraria, nobilis cujusdam ex Imperio Perlips nominati vidua, ad cujus mentem Regina regis mariti plurimum influebat consiliis, cum qua Comes Harrach privatas contraxisse dicebatur inimicitias, propter quas regina plurimum infensam negotiis ejus fuisse publicabatur, et propterea plus partibus contrariis favisse credebatur Viennae. Sed haec ex auditu mihi cognita praetereo. Sufficit enim rebus meis eventum referre, qui brevi post contrarius fuit exspectationi Caesaris. Neostadii fuit aestivorum dierum calores vici-

narum Alpium frigore temperatos venationibus et spectaculis impendens aula, dum secretis consiliis mutue inter potentias Galliae, Angliae et Hollandiae conclusus tractatus de divisione monarchiae Hispanicae rege mortuo a legatis praedictarum potentiarum declaratus est Imperatori cum praefixione temporis ad acceptationis declarationem conclusi. Quibus omnibus ego ab ipsismet legatis mihi amicis rescitis, futurorum eventu et belli imminentis praesagiis hilaris in Hungariam discessi rerum conjuncturas amicis relaturus; quorum communi opinione conclusimus intentiones nostras regi Galliae communicare et patrocinium ejus exorare, ad quod recurrere proavi mei tractatus, se ad successores quoque tractantium extendens, dederat mihi ansam. Quaestio solummodo supermansit indecisa: num hoc per communicationem verbalem et nuncium ad legatos praedicti regis mittendum, num per literas regi exarandas fieri oporteret? — Notus mihi fuit Marchio tunc, postmodum Franciae Marechallus et dux de Villars, qui ablegati Viennae fungebatur officio; sed nimia ejus cum Principe Sabaudiae Eugenio et aliis proceribus familiaritas et discursuum levitas ac in pluribus imprudentia avertebat ab eo confidentiam; Marchio vero de Heron, qui ad aulam Polonicam missus fuerat, ignotus erat nobis. Denique tu Deus ita his mediis disposuisti, ut rem per directam ad regem epistolam aggrederemur, sola difficultate reperiendi tabellarii superstite, et haec quoque paulo post sublata est.

Erat in domo mea quidam nomine Longueval, Leodiensis nobilis, ut dicebat, origine, in legione Principis Badensis pedestri centurio, sagacis ingenii, negotiorum capax, et assidua librorum lectione valde illustratus; cum quo propemodum triennio ante quam haec evenirent. casuali contracta notitia ita adhaesisse mihi videbatur interessis meis, ut de fidelitate ejus nec umbram sinistrae suspicionis habere potuerim. Is in praesidiis vicinis dislocata legione, petita a superioribus licentia plerumque commorabatur in aula mea, et omnibus viis, modis et studiis meam attrahebat benevolentiam et demum et confidentiam. Tanto temporis cursu probata, ut credebam, in pluribus circumstantiis fidelitate, unde mutata legionis statione, quamvis ille ad praesidium Arvense, sat longe

a bonis meis, ubi morabar, dissitum destinatus fuerat: venit circa ea tempora ad me, ut antequam ob privata sua negotia ad tempus Leodium, patriam suam, repetiturus discederet, meos exciperet ordines, si quid mihi ipsi mandare placeret. Praeclara haec mihi videbatur occasio mittendarum literarum ad regem Galliae, et quia aliunde partu uxoris meae imminente Viennam cum ipsa discedere statueram, Longuevallium ad excipiendos ordines meos eo relegavi, communicatis ei magna ex parte intentionibus meis, quibus ille lubens consensit, et se sub hoc itineris praetextu Parisios quoque petiturum appromisit. Sic applanabas, o inscrutabilis providentia, vias, per quas me deducebas in lacum, ut suo tempore apparerent magnalia tua; sic occultantur a te praecipitia iis, qui humanae prudentiae lumine ducuntur et a semitis mandatorum tuorum devii illam, non te eligunt ducem gressuum suorum; e quorum numero infelix ego tunc quoque fueram, et hinc oportuit me cadere, et tandem juvante dexterae tuae potentia resurgere, ut ducerer ad scopum, quem tuae mihi praefixerant misericordiae. O vere adoranda et non scrutenda judicia tua, o Deus, qui deprimis elatos et erigis elisos; asperae videntur semitae tuae homini in obfuscato lumine intellectus sui ambulanti, qui futurorum ignarus, ea e praesentibus collimare studens, ex adversis plerumque adversa eventura opinatur, vel spe bonorum delusus jam delectatur jam tristatur. Nec haec humanae vicissitudinis proprietas aliter corrigitur, nisi cum tu, Deus, actionum ejus es scopus; tunc enim agens nonnisi instrumentum carneum se esse credit, et nec adversorum eventu angitur, nec prosperorum successu extollitur; quia cuncta te plus quam semet ipsum concernere credens, qua res tuas agit non qua suas, et sic in omni casu voluntatem tuam completam esse persuadet sibi; et dum praeterita mente revolvit, ea quoque, quae mala crediderat, inter se combinata ad bonum eventum necessaria media fuisse deprehendit. Te exaltabo, Domine, nec me terrae pulverem laudare cupio, cum scribens confiteor propria mea te adjuvante experientia et te illuminante notitia haec edoctum fuisse; causam enim gentis Hungarae agendam assumpsi qua tuam, et quia te me vocasse credidi, commisi me providentiae tuae directe, et propterea tu

quoque non defuisti mihi; dedisti enim mihi gratiam prospera et adversa aequali animo ferre; et propterea agnosco cum Davide, quia bonum est, quod humiliasti me, ut discam justificationes tuas, quas profecto hac via, qua me ducis, discere oportuit, ut omni propemodum humani status conditione probata, agnoscerem, quam sit beatus ille, qui ambulat in lege tua; angnoscerem, inquam, miserias pauperum, et vanitates divitum et quod ipsum summum rerum humanarum fastigium principum nempe thronus et purpura splendidae sint miseriae. Sed haec subsequenter totius vitae meae cursu memoranda et hac humili confessione mea enucleanda relinquo exaltans te et gratias agens tibi, ut filum narrationis continuem et magnalia tua enunciem.

Rerum circumstantiis in consilio amicorum (quos Longuevallius non nisi de nominibus noverat Comite Bercsénio excepto) prolatis Viennam cum gravida uxore lentis et ad calores aestivos evitandos plerumque nocturnis itineribus discessi, ubi cum novo saeculo 1700. nova me benedictione prolis masculae benedixisti Domine, qui die (hézag a kéziratban) natus Josephus Georgius appellatus est, cujus vere tu solus orphanorum pater curam geris; inimicorum enim meorum potestati subjectus trimestris fuit, cum ego Vienna cum matre discedens eum sub cura idonearum personarum reliqui, nec amplius vidi. Te ego pater et nutricius ejus humillimis praecibus exoro, ut gressus ejus in vias mandatorum tuorum dirigere digneris, et disponere mecum et cum ipso secundum benignam voluntatem tuam; edoce eum, quae saluti ejus necessaria sunt; et fac, ut in regno tuo conjungar cum eo ad laudandum te in saecula saeculorum! Dixi ego tibi, aeterna misericordia, et verum est, publica regni negotia tractanda bono fine inchoasse, et cursum eorum tuae providentiae commisisse; sed dolens recordor me propterea non meliorem effectum fuisse in conspectu tuo, et quia actiones meae ordinariae contrariabantur praeceptis tuis, nunc video confidentiam meam in te praesumptionem fuisse; turpitudines enim meae, de quarum habitudine toties me accusavi, non obstante matrimonio renovatae fuerant in me, et merito evadebant graviores in conspectu tuo, o castitatis speculum; mulierum sectabar amores, jam enim

mortua fuerat illa, quam me primum tam tenere et caste amando tibi praetulisse confessus sum. Nullum in me fuit pietatis exercitium praeter nefandum et vere sacrilegum sacramentorum tuorum usum; quamvis enim impuritates commissas peccaminosas fuisse necdum convictus fuerim, habui tamen remorsus conscientiae de illis, nec eas confiteri praetermisi; et vere dolores mei et tibi facta emendationis proposita tempore confessionum mearum potuerunt esse sincera: sed ut canis revertebar ad vomitum; et quia non reprehendebar, gratum mihi fuit revocare dubia et in voluntariae ignorantiae remanere coecitate. Taliter miser ego reproborum circumportabam caracterem, et in coeno volutabar! Sperabam in te. sed vix recordabar tui; et proterea his contrarietatibus bene examinatis et nunc per gratiam tuam magis illustratus pondere sanctuarii perpensis persvasus sum ipsum desiderium patientiae servire in satisfactionem obligaminis mei et juramenti mei, ipsammet compassionem afflictae plebis magis emanasse ex objecto satisfactionis propriae indolis, quam ex amore justitiae tuae, cujus vanum nomen peccatores effutiuntur ore, sed non circumportant in corde; sic volunt tecum unire Belial, et arcam tuam deponunt in fanum Dago. Quodsi enim justitiam tuam amassem, o Deus. te amassem; si te amassem, profecto omnis peccati vel umbram quidem evitare studuissem, et propterea non ignorare, non dubitare, sed scire et fugae desiderassem ea, quae offendunt te. Non amavi ego te, o amor infinitus; et quia cor hominis sine amore subsistere nequit, te non amando me amavi; et sic vere quae feci, non propter te. sed propter objectum amoris mei feci, quod ille miser ego fuit. O maledictum cupiditatis semen, sic latuisti in intimis plicis cordis mei, et adhuc heri veritati aeternae mentiri me fecisti; vere enim fors te dictante scripsi, quia credidi solam obligationem meam juramentalem fuisse fundamentum actionum mearum. Recurro igitur ad te, o infinita misericordia, et te humillime deprecor; et tibi gratias ago. quod haec mihi revelaveris; vere enim sine lumine tuo ad hanc usque horam, quia imo adusque ultimum vitae meae momentum ignorassem, Haec sunt enim illa occulta hominis. propter quae nec justus potest esse securus coram facie justitiae tuae. Non peto, ut liberes

me ab iis, te docente scio etenim virtutem in infirmitate perfici; et propterea sufficiet mihi gratia tua, quam revertentibus ad te et sperantibus in te promisisti! Oportet esse concupiscentiam in homine, ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris. Oportet me circumferre hoc fermentum malitiae, ut in timore et tremore operans agnoscam miseriam meam et humiliem me; oportet, ut noscam nihil boni esse in me praeter id, quod venit a te, patre luminis et fonte omnis boni. Et vere justum est, ut creatura nihil habeat, nisi quod creator illi dare voluerit. Quodsi enim a se illa quid habere posset seu non egeret: nec tu illam, sed illa semet ipsam et justificaret et justificando salvaret. Creasti mundum propter gloriam tuam et vere omni potentiam tuam in creando, immensitatem tuam in regendo eo demonstrasti; voluit sapientia, ut homo caeterorum attributorum tuorum esset objectum, amoris nempe, justitiae et misericordiae tuae. Ipsa justitia tua non permisit, ut eum peccatorem creares; et aliunde quia spiritu tuo vivificasti eum, purum et innocentem oportuit esse eum; sed si non peccasset, aut si post peccatum ejus praecedenti statui suo eum restituisses, in quem exercuisses justitiam tuam? Sed o vere stupenda sapientiae tuae operatio, noluisti peccatum ejus, sed quia ex eodem motivo justitiae liberam voluntatem ei indidisti, quae ut sit libera, et boni et mali faciendi capax esse debuit: principium boni dedisti ei cum parte divinatis tuae; mali, in carne, qua coarctasti spiritum, et ideo peccavit quia caro fuit; et sic non tu, sed ille induxit peccatum in mundum, et corruptionis massa, fermentum malitiae, remanet in carne, ut justitiam et misericordiam exerceas, in quem volueris; hinc secundum decretum tuum Adam, quia peccavit, morte mortuus est, quae mors non sola mors aut destructio corporis ejus fuit, (vixit enim longo tempore post peccatum) sed mors innocentiae, quae in universo semine ejus mortua est; et propterea misericordia tua effecit, ut regenerationis quoque dares medium, ut miserationes tuas exercere possis, et nos infinitam tuam bonitatem agnosceremus ex ipsis. Scribo ego haec, Domine, hoc tempore, quo regenerationis hujus nostrae memoriam singulariter recolit ecclesia in sanguine et passione filii tui renata; et propterea seposita tantis-

per vitae meae anteactae memoria fac, quaeso, ut digne meditari valeam de hoc stupendo mysterio; et quia totius vitae meae cursus me mortuum fuisse tibi demonstravit mihi, largire gratiam tuam, ut per passionem filii tui et effusum sanguinem vivificer. Natus fui spiritualiter in nativitate ejus, et quamvis sperem me ab illo tempore non fuisse mortuum, indigeo tamen vivificatione gratiae tuae et regeneratione continua; sentio enim me circumdari undique morte, quia caro sum. Instrue me, o sapientia aeterna, quid sit proficuum animae meae considerare in his passionis unigeniti tui circumstantiis; omnia enim, quae repraesentantur mihi, superant intellectum meum. Adoro igitur, credo et veneror omnia, quamvis non capiam; et ecce in simplicitate cordis et animi prosterno me coram te, agnosco in humilitate imbecillitatem meam, et imploro lumen tuum a te patre, verbum ad enuncianda magnalia tua a te verbo, et sanctificationem operum meorum a te spiritu sancto. Adoro imprimis te, Jesu mi, quem nuper natum ab angelis annunciatum a pastoribus et regibus agnitum et adoratum gaudens excepi in corde meo, et nunc te pro redemptione mea et reparatione humanae naturae pedentem cerno in cruce. Consideravi circumstantias nativitatis tuae cum gaudio et consolatione. Fac, ut contempler mysterium passionis tuae in amaritudine salutari animae meae. Te illuminante et ducente ausus fui elevare mentem meam ad sanctandum mysterium amoris, qui te incarnari fecit: hac gratia tua fretus audeo nunc quoque scrutari mysterium reparationis naturae humanae in passione tua. Superant omnia haec captum humanum, et hinc omnia haec non tam mirari desidero, quam adorare cupio; admiratio enim indagare solet objectum, adoratio attonitam simplicitatem et humilitatis confessionem requirit. Elevo mentem, quae non plus ascendere cupit, quam tu permiseris; pone tu ei limites, ne plus sapere cupiat quam proficuum; ut haec, quae scribo, tam animae meae quam legentibus sint salutaria, et sic serviant incremento gloriae tuae et manifestationi gratiarum tuarum, quarum haec opera sunto.

MEDITATIONES IN FORMA SOLILOQUIORUM DE MYSTERIO REPARATIONIS NATURAE HUMANAE PER ADAM.

Peccavit Adam et morte mortuus est. Justus es, Domine, et judicia tua aequitas; sic natura humana, legis tuae praevaricatrix, objectum justitiae tuae factum est. Opus omnium attributorum tuoru fuit creatio ejus; omnipotentia enim tua se manifestavit creando hominem ex humo (limo *) terrae, misericordia voluit, ut fieret creatura in tantum gradum honoris elevanda, prout ab aeterna decreveras, et ideo justitia effecit, ut sit perfecta in omnibus potentiis intellectualibus, spiritu enim tuo vivificasti eum, hinc, ut velleitas ejus sit perfecta, oportuit, ut sit libera. Innocens fuit, sed malum facere potuit, quia caro fuit. Repeto haec, necessaria enim sunt contemplare, ut appareat mira ordinatio sapientiae tuae, quae prout lapsum humanae naturae ab aeterno praevidit, ita et regenerationis sancivit remedium. Sed o bonitas infinita, occurrit hic mihi magnae admirationis materia; illumina me, quaeso, ut intelligam. Considero Adam creaturam hominem perfectum, in statu innocentiae omni perfectione naturae humanae plenum, non pondere concupiscentiae praegravatum, et propterea ignoro, cur mulieri potius quam tibi credere maluerit? Non enim voluisti, o bonitas aeterna, ut peccaret; sed permisisti, quia liberum esse voluisti. Mulier seducitur a serpente, vir a muliere; labitur uterque, quia tu non sustines, procul dubio, ut appareat nec justum nec innocentem suae voluntati relictum posse subsistere sine te. O tremendum exemplum, quo me doces, o misericordiae pater, nullam me debere habere voluntatem praeter tuam. Vere enim praesumptio de propria voluntate generavit

*) (Cf. Genes. II. 7 de limo terrae.)

superbiam primi hominis, qua elatus Deus fieri voluit, et creatoris voluntatem suae postponendo peccatum in mundum induxit, et ut e pulvere factus reducatur in pulverem, promeritus est. Agnosco, Domine, et adoro justitiam tuam in hac poena, sed contremiscunt viscera mea, et tribulor valde, dum numerum annorum respicio, quorum cursu tuam sequi neglexi voluntatem; sed quamvis in hoc exemplo saevire videatur furor irae tuae, non oblivisceris tamen miserationum tuarum. Condemnasti enim eum ad mortem mortis, edixisti illum reversurum in pulverem; sed justitiae succedit misericordia, tegis nuditatem eorum, et tempus das illis ad poenitendum, tunicis pelliceis providisti corporibus, tempore et mora animabus peccantium, pepercisti confitentibus, sed non revocasti sententiam, et quodammodo separasti ab individuo Adami naturam humanam, quam reparare Adam peccator nequivit; justitia quippe offensa creatoris pulvis et creatura non potuit satisfacere. O deplorandam tam nobilis creaturae sortem! Ecce Adam sicut unus e nobis factus est. Paulo ante in horto voluptatis custos positus in cuncta animantia terrae tuum exercebat dominium, nominabat ea secundum proprietates secretas eorum, nudus possidebat omnia, et nunc ad tegendum pudorem suum ipsorum animalium indiget pellibus. Creatus ad dominandum ad labores condemnatur et ipsa terra, cujus fructibus deliciosis vescebatur, sub opere manuum ejus ad spinas et tribulos gignendos maledicitur. Sed necdum cessat creatoris ira. Expellitur e patria, et ad peregrinandum mittitur, donec revertatur ad terram, ex cujus pulvere traxit originem. Agnosco, Domine, magnitudinem peccati ex poena, adoro justitiam, quae me quoque tunc quamvis non existentem condemnaverat. O altitudo sapientiae, o profunditas judiciorum tuorum! Haec sunt, quae posteritati Adami manifestare voluisti, et quorum gravitatem exules circumportamus in corporibus nostris, et hoc primum est mysterium justitiae tuae, quod contemplandum occurrit. Justus fuisti, Domine, in creando, justus in condemnando Adamo, et universum semen ejus juste punitum est, quia creatura existens voluntatem tuam voluntati creatoris praetulit. Peccatum ejus praesumptio, superbia ingratitudo, inobedientia fuit, et horum seminibus plenae sunt plicae cordis

nostri. Hi sunt domestici inimici nostri, et nimisquam gravia pondera amori tuo opposita, quae si in primo homine, creatura me longe perfectiore, in statu innocentiae creato praeponderarunt, quia liberae voluntati suae relictus fuerat, me longe facilius trahent in infernum, si gratia tua non auxerit amorem tui, et non diminuerit gravitatem horum ponderum. Tu solus vides, ubinam lateant haec semina ; evelle ea, ne pullulent ; tu nosti laqueos, quos hi inimici tendunt mihi; dirige pedes meos, ut evitem eos. Tu docuisti me pericula vitae largae et amplae, quae ducens ad perditionem plena est his laqueis et retibus, et te docente et adjuvante elegi viam arctam solitudinis et poenitentiae. Sustine me in iis necessitudinibus ; sunt enim suaves valde mihi, quia diligo te, sunt spinae in his angustiis, sed hae spinae rosas procreant, nec pungunt eos, quorum tu gressus dirigis. Dirige meos, Domine, quamvis enim desiderem pervenire ad te, scio quod nec in currendo indiscretum, nec in ambulando segnem esse oporteat ; tuum est proinde moderari passus meos ; voluntatem enim meam tibi tradidi, nec enim aliud volo ; nisi ut sim tuus in saecula saeculorum. Amen.

Dies Secunda. Natura humana in Adamo a justitia divina condemnata opposuit se quodammodo justitiae misericordia, et sic reparatio eaedem naturae ab aeterno decreta inchoata est in tempore.

Consideravi, Domine, rigorem et aequitatem judiciorum tuorum ; sed numquid in aeternum irasceris, Domine, et oblivisceris misericordiarum tuarum? Pepercisti Adamo, sed natura humana adhuc pro scopo justitiae tuae exposita est, quid *proficiet creasse*, si eam in aeternum damnatam esse voluisti. Sed absit hoc a te, Domine, infinita est in te justitia, sed nec misericordia tua habet terminos. Natura humana qua natura, quae peccavit in Adamo, condemnata est in aeternum. Omnis enim homo peccator, id est condemnatus nascitur, sed opus misericordiae tuae est, quod non omnes damnentur. Habet suam aeternitatem justitia et haec infernus est, habet huic oppositam aeternitatem et misericordia, et haec est illa aeterna beatitudo, regnum filii tui, Jesu Christi, quod sanguine suo acquisivit. Audeamne dicere, o Deus, quod non potueris parcere naturae humanae peccatrici, quia cessasset justitia, sed

nec omnem naturam, id est universum semen humanum, damnare potuisti, quia annihilata fuisset misericordia tua, et propterea amor tuus, quo ferebaris in spiritum hominis, partem divinitatis tuae, decrevit reparationem humanae naturae ab aeterno. O Domine, quam sublimia sunt, quae se repraesentant intellectui meo. Credo te juvante penetrare quaedam, quae effari vix audeo; multi sunt enim, qui se in contemplatione horum perdiderunt. Illumina me, quaeso, ne hoc mihi accidat. Periculosum est luce scrutari, fateor, quia scientias de his tractantes nunquam edoctus sum, sed tam facile est tibi me instruere eas quam alios; instrue me igitur, si prodest mihi et proximo, ut eo magis appareat te dictante haec me scripsisse, qui ignarus ea nunquam didici. Non quaero scientiam mundi, sed Jesum et hunc crucifixum scire desidero. Docuit hunc spiritus tuus piscatores, docebit et me, dum tibi placuerit, et propterea procul esto a me haesitatio et vanus timor erroris; non enim vana me ducit curiositas, sed mens ad alta ducitur, non ut comprehendat, sed ut stupens adoret. Perdes te procul dubio in consideratione horum, quisquis es, qui te quid posse scire sine te lumine aeterno credit, qui corruptionem tuam non noscis, et te per solam liberam voluntatem tuam quid boni facere posse credis, veteris hominis praesumptione ductus. Perdes, inquam, te, qui te plus eo consideras in conspectu creatoris quam pulverem terrae, vermem et servum inutilem, nec cum amore sed cum eo contendere desideras; jam enim ejus arguis justitiam, jam cum eo intrabis in judicium, sed salvaberis tu, qui nihilum tuum agnoscens, vas inutile esse confitens, liberam activitatem in te agnoscis figuli, qui finxit te; hac humilitate ductus enim intrabis in sanctuarium arcanorum justitiae et misericordiae Dei, cujus meditationes inflammabunt te in amore ejus et haec caritas faciet te currere in viis mandatorum in vitam aeternam. Fac me igitur e numero eorum esse, o bonitas infinita, et auge confidentiam meam in tua misericordia. Dixi, Domine, quod justitia tua non potuerit parcere naturae humanae; sed absit a me credere hanc eandem naturam humanam reparatam non fuisse per misericordiam tuam in omnibus electis tuis, quos renasci oportuit per fidem primum in venturum redemptorem, et per baptismum

postmodum fontem regenerationis in sanguine filii tui, sed hoc non obstante subsistit condemnatio tua et regnum justitiae tuae in reprobos et cupiditas fermentum peccati in justis quoque permanet. Hinc opera illorum abominationes essent in conspectu tuo, si a meritis et passione filii tui non justificarentur et sanctificarentur. Tuum est igitur Domine, si quid bonum est in me et non meum, ex me enim nihil habeo nisi malum nisi fermentum malitiae, quod dixi; sed illumina me, o lumen aeternum, et fac me cognoscere, cur haec fieri oportuerit, quae facta sunt in mysterio redemptionis, an haec omnia fuerint opera misericordiae tuae an justitiae? Quodsi enim solae misericordiae fuissent, potuisses parcere, etiamsi filius tuus mortuus non fuisset; sed procul dubio opus justitiae tuae fuit, quidquid in tempore factum est, et ideo scriptum est, quod oportuerit Christum pati et sic intrare in gloriam; oportuit satisfieri justitiae tuae, et propterea nihil misericordia tua exoperata est, nisi solum decretum aeternum, in quo omnia, quae fecisti, prout facis et fecisti, ut fiant, statuta sunt. O adoranda decretorum tuorum immutabilitas, consolatio sperantium in te, spes et fiducia electorum tuorum, horror et timor reproborum et peccatorum! Quis non adoret in te, o infinita majestas, illam aequalitatem et perfectionem justitiae et misericordiae tuae, qua parcis et punis, condemnas et exaltas hominem, misereris et misericordiae tuae opera reputas in justitiam, denique dona tua coronas in homine.

Dies tertia. Quod reparatio humanae naturae per hominem ex semine primi Adam procedentem et in statu innocentiae primi hominis constitutum fieri debuerit.

Mirabilia sunt opera tua, Domine, non tantum in iis, quae captum humanum excedentia credere debemus ex fide, sed quae intellectui quoque nostro subjecta sunt. Sunt magna haec mysteria, ad quorum considerationem mentem meam elevare dignatus es, sed gratia tua efficit, quod in consideratione eorum non incaptivatur, sed convincitur intellectus meus. Continuo igitur te adjuvante vere cum jucunditate adorando contemplari justitiae tuae regulas, quas tibi observare placuit in oeconomia reparationis salutis nostrae et post repraesentationem magnitudinis peccati primi hominis et lapsum humanae naturae,

aequitatem judiciorum tuorum, quibus justitiae tuae satisfacere, misericordiam tamen exercere et non totam posteritatem infelicis peccatoris damnare decrevisti, occurrit considerandus ordo, quem in hoc adorando opere observare dignatus es. Imprimis igitur rogo te, Domine, ne lumine tuo me destituas, sine quo coecus ambulabo in tenebris. Vere hujus claritate illustratus video praescindendo ab iis quae fecisti, quod justitiae tuae per peccantem satisfieri debuerit. homo peccavit, homo satisfacere debuit et quidem homo non neo-creatus sed ex semine peccantis procedens, non fuisset enim justitiae consonum, ut neo-creatum innocentem vocasses in judicium, et voluisses justitiam tuam exercere in eum, qui, de transgressione mandati tui argui non potuit, victimam voluisti pro expiatione peccati; sed haec ipsa victima pura esse debuit. quam puritatem quodsi in animalibus quoque, quae tibi sacrificari ordinasti, tam exacte requisivisti, tanto dignius et justius fuit exigere in hocce sacro sancto sacrificio, per quod pro peccato generis humani satisfieri debuit, et hoc fuit arcanum sapientiae tuae, quod excedit humani intellectus potentias, quia ipsa natura humana peccante et condemnata, quomodo poterat inveniri victima ex peccatrici natura procedens, et tamen pura et innocens? Quis debuit offerre victimam justitiae tuae? Posteaquam per legem tuam instituisti ipsum offerentem pontificem purum debuisse intrare in tabernaculum tuum. Homo hominem offerre non potuit, alioquin impurus impurum obtulisset et sacrificium fuisset indignum et abominabile in conspectu tuo; potuisset condescendere misericordia tua ad mitigandas leges tuas, prout te fecisse legimus propter duriciem cordis populi tui; sed quia in poena peccati justitiam tuam manifestare voluisti inexorabilem oportuit esse, ut noscat homo et misericordiam tuam habere mensuram, qua completa nequit flecti justitia tua, quae adusque incarnationis filii tui tempus suum exercebat imperium in genus humanum per legem servitutis. O quoties delevisses propter contraventiones mandatorum tuorum totam Israel, si servis tuis Abraham et Jacob te semen eorum conservaturum non appromisses, et propterea ipsa conservatio illorum opus justitiae fuit, quae tamen vel peccatum unius quoque vel murmur populi morte multorum millium expiabat. Maluisti tunc

sanguinem taurorum et hircorum, quam oblationem cordis humani, quod per fidem futurae redemptionis purificatum non fuerat, ignorabatur quippe quid sit adorare in spiritu et veritate, quia uno et altero carebat humana natura, corda hominum fuerunt petrea, et tenebras habebant pro lumine. Mirabar ego populum Hebraeum, postquam in monte Sinai gloriam Dei vidisset, et vocem ejus audivisset, conflatum vitulum Dei loco habuisse et adorasse, et nihil est, quod me de cordis humani perversitate et infidelitate ejus magis convicit, quam haec cervicis ejus durities, nec quid est, quod legis gratias virtutem clarius demonstrat, vidit Israël et non credidit, tot martyrum millia nihil viderunt, pauca audierunt, et pro confessione veritatis sanguinem suum effuderunt. Hinc video, Domine, quid sim sine te, et quid sim tecum. Gratias ago tibi, quod me in lege misericordiae sub suavitate jugi et levitate oneris filii tui nasci et vivere fecisti, in passione ejus, cujus memoriam humili devotione recolere statui edoceri, jugum ejus humilitatem onus crucem suam fuisse, hoc et alterum delectabile est te adjuvante, sed insupportabile te absente. Absis mihi igitur, o dulcedo animae meae, et impone mihi cruces, quas volueris; amas enim, quos castigas; per patientiam enim similes eos facis filio tuo primogenito in multis fratribus. Fac, o pater mi, qui es in coelis, ut habeam omnibus diebus et momentis praesentem passionem filii tui et miseriam fragilitatemque meam, timeam me, amem te, et discernens per gratiam tuam sequar volutatem tuam, et sic perveniam ad te glorificandum in saecula saeculorum. Amen.

Dies quarta. Quod oportuerit hominem nasci sine peccato et corpus peccati gerere in victimam propitiationis.

Ut ergo rigori justitiae tuae satisfieret, o Deus, victima propitiationis, cujus oblatione et sacrificio impetraretur misericordia tua pura et nullius peccati labe conspurcata, immaculata esse debuit. Sed si corpus, quod peccavit, non habuisset, quid obtulisset innocens pro corpore peccati? hominis peccatum a victima homine expiamdum erat, ut in hoc objectum exerceres justa judicia tua, quorum aequitatem vel maxime in hocce mysterio demonstrare voluisti. Peccavit in Adamo anima, dum tui similis fieri voluit, peccaverunt in esu pomi omnes

sensus corporales; quis enim dubitabit lignum aspectu tam delectabile sicut illud, de cujus fructu gustaverunt odore caruisse, cum de cetero visus peccatum in delectatione, auditus in loquela mulieris, tactus in acceptatione fructus, gustus in manducatione sat clare exprimatur, et hinc cuilibet sensui inest suum semen peccati, nec quid innocens remansit in homine, quod poenam promeritum non fuisset. Tale fuit corpus hominis Dei ex natura sua, quamvis non peccaverit Christus, assumendo tamen naturam humanam, omnia peccata assumpsit, et sic omnia nostra onera portavit. Quam mirabilia sunt opera tua, o Domine, in quorum consideratione deficit intellectus humanus, et hinc passio filii tui Judaeis effecta est scandalum gentibus stultitia. Superant captum opera justitiae tuae, cur innocens pro nocenti pati et quomodo corpus immaculatum pro objecto satisfactionis assumi debuerit; et ideo humilitate opus habeo, ut agnoscam imbecilitatem meam et defectum intellectus mei, et gratia tua, ut credam ea, quae superant, captum meum, et quia hanc et illam dedisti mihi, adoro profunditatem judiciorum tuorum et immensitatem amoris tui agnosco. Et vere confiteor justum quoque moereri poenas et afflictiones, quia homo est, et hinc ego, peccatorum maximus, cur non suscipiam in patientia eas, quibus me visitare dignatus es, sit igitur corpus meum objectum justitiae tuae, ut in anima mea exerceas misericordias tuas, dignum est, ut hujus peccata passione filii tui expiata, illius impuritates et foeditates temporalibus poenis purificentur. Absit a me, Domine, ut conquerar de his, quibus visitasti me, nec enim mundanae vitae felicitate major est infelicitas: volutatur in sordibus, quisquis illa fruitur, et hinc infallibili et evidenti consequentia deducitur aeternas supermanere poenas iis, qui eximuntur a temporalibus. Hic ure igitur, seca et amputa, ut purificatus ingrediar aeterna tabernacula tua, et sic te miserante justificer, et te justificante miserearis mei.

Dies quinta. Consummatum opus sapientiae tuae est, o aeterna comitas, mysterium cujus recolo memoriam. Jam dixi, sed repeto, offenso Deo Deum satisfacere debuisse, enti quippe immaculato immaculatum sacerdotem sacrificare, victimamque pariter immaculatam immolare decuit. O stupenda misericor-

diae et justitiae tuae in hoc opere unio! hic vere justitia et pax osculantur se; misericordia enim decrevit, justitia executa est, prima sola exoperari potuit, ut Deus fieret sacerdos; sapientia invenit victimam corpus humanum purum, quia cooperante spiritu Dei conceptum et ex virgine natum justitia univit immolantem et immolatum; et sic Deo Deus patri offenso filium innocentem humano corpore puro et immaculato vestitum, sed omni humana fragilitate ornatam naturam hominis offert. Recollige potentias tuas, o anima mea, stupore tanti mysterii debilitatas et hebetatas, adora sapientiam, time justitiam, invoca misericordiam, et ama victimam. Adora, inquam, sapientiam, cujus investigationi par non es! time justitiam, quae proprium filium tradit ad crucifigendum! invoca misericordiam, sine qua purificari neqis, et ama victimam cujus sanguine mundaris! Sic in te solo, o Christe crucifixe, reperio objectum adorationis, timoris, confidentiae et amoris. Et quia omnium horum diversorum objectorum perfecta unio es, procul dubio vis, ut adorans timeam, confidens amem. O quam suave et dulce est facere, quod desideras, qui hos actus operaris in me; vere enim tu incaptivasti intellectum meum non scire sed adorare te avidum; tu fiduciae et spei meae timoris imposuisti habenas; tu denique cor meum inflammas amore, cui mundus tam insipidus factus est. Quid igitur retribuam tibi pro omnibus, quae retribuisti mihi? dixi, et ita est, te haec omnia effecisse, quae in me bona sunt, et quia omnia effecisti, clarum et evidens est, quod ex me nihil habeam, quod enim meum est, te indignum est; accepta igitur illud nihilum meum, quod memetipsum esse agnosco; sed quid dico: agnosco, cum haec ipsa cognitio tua est? Sic ergo totus tuus sum, et esse volo in saecula saeculorum. Amen.

Dies sexta. Venisti igitur in mundum, o Deus filius, sacerdos, homo et victima, ut redimeres et reparares humanam naturam, peccatores in tenebris constitutos devios et aberrantes reducere oportuit. Tu verbum aeternum, qui sapientia patris es, potuisses in uno instanti illuminare, docere et spiritu tuo replere eos, et tamen 30 annos in silentio tres in praedicatione veritatis complevisti cum hominibus, antequam hoc internum opus regenerationis perficeres. Adsit mihi, quaeso,

gratia tua in considerandis circumstantiis vitae tuae, quae hactenus non defuit mihi in meditatione arcanorum mysteriorum incarnationis tuae, descendisti in regionem longinquam acquirere tibi regnum, quaerere sponsam, formare populum. Cur ergo latitas in obscuritate 30 annorum spatio? Multis saeculis annunciasti adventum tuum per ora prophetarum, et ecce nunc, cum ipse cum corpore humano os assumpsisti verbum aeternum, siles; anne exspectas, ut praecursor tuus in virtute Eliae praecedens applanet vias asperas, annunciet te? Sed si sic est, cur eum citius nasci non fecisti, ut veniens in mundum, praeparatas reperisses vias et corda hominum ad recipiendos sermones tuos. Duodecim annorum fuisti, dum primum in templo disputabas cum doctoribus, et jam tunc stupebant sapientiam tuam, cui novum imponis silentium, et nobis quoque occultum esse voluisti, quidnam tot annorum spatio cum matre et Josepho reputato patre tuo feceris, praeterquam quod obediens et subjectus fueris parentibus tuis. O de novo adorandum sapientiae tuae silentium, siles et doces, taces et instruis; exemplo doces obedientiam et observantiam parentibus nostris debitam, et in humilitate exspectas horam, quam pater aeternus praefixit tibi ad manifestandum missionem tuam. Totius conservationis tuae cum hominibus finis fuit, ut manifestares patrem, quam quia videre nemo potest, ejus majestatem revereri obedientia et humilitate tua docuisti. Veneras in mundum ad formandam sponsam tuam Ecclesiam, et hinc primus ea demonstrare dignatus es, quae te in coelos ad patrem redeunte adusque consummationem saeculi fieri ordinasti. Prima porta regenerationis nostrae humilitas est, per quam miseriam nostram agnoscimus, et huic virtuti oppositum peccatum primi parentis nostri detestamur, hanc portam ingressi occurrit poenitentia, ad quam praedicandam praecursore Joanne opus erat, et haec via praeparanda fuit a voce clamante ubi? in deserto quo ire oportet ad poenitendum et ad baptismum digne suscipiendum, in desertum dico, quod a deserendo derivat, et propterea deserendae sunt omnes vanitates et pompae mundi, superbia vitae, a quibus mundandus erat homo. Huc et tu, Jesu mi, accedis, non ut baptismate munderis, sed ut missionem Joannis exemplo tuo confirmes, et tuam

a patre accipias; ex obscuro vitae deserto venis in desertum, baptisaris, manifestaris per descensum Spiritus Sancti et vocem Patris, qui te filium suum dilectum esse declarat; te esse agnum Dei ad tollenda peccata mundi digito suo demonstrat Joannes, sed vix haec omnia completa sunt, denuo a spiritu duceris in desertum. Haec egisti, ut idem facerent filii patris tui, fratres tui, qui regenerantur per Spiritum Sanctum per baptismum, quod per Joannem figurative inchoatum instituisti realiter post passionem tuam. Fuisti tu, Jesu mi, filius patris et antequam baptisareris a Joanne, sed nonnisi baptisatum declarat, et manifestat te Pater, usque huc vixisti in obedientia parentum, sed deseris illos, is in desertum et ab illa hora, qua baptisatus es, omnes, qui sequuntur voluntatem patris tui coelestis, pater mater et fratres tui effecti sunt. At demum, ut dixi, desertum ingressus es, ut demonstrares oportere nos omnia relinquere, et omnibus aliis praevie relictis amplecti statum vocationis nostrae, prout tu, Jesu mi, inchoasti vix e deserto egressus es, ubi post diversas tentationes ad regna mundi et dominatum vocaverat te diabolus, sed persistens in vocatione patris tui vix, inquam, egressus es, Andream Simonem et demum Philippum vocasti et e disciplulis Joannis tuos effecisti. Quo is e deserto, ubi inchoas manifestationem tuam? in nuptiis, in quibus renuis obedire matri, quam simpliciter mulierem appellas, et expectas horam patris. O adorandum exemplum, quo docemur sequi unusquisque statum vocationis nostrae, nec in eo ad aliam nisi ad Patris coelestis vocem attentos esse. Fac, o Jesu mi, ut ego quoque numero fratrum tuorum quamvis indignus, per baptismum adscriptus hoc exemplo tuo edocear; vocavit me spiritus tuus in hanc solitudinem, dedisti mihi gratiam et vires ad spernendas mundi vanitates et delicias; revocor ad regendum principatum, quem olim, ut credidi, te vocante amplexus fueram; revocor, inquam, non repraesentatione deliciarum et cupidine dominationis allectus. Nosti haec, quae dico, quia tu ipse me humiliatione mea contentum reddidisti; vocor ad thronum per aspera et per omnia pericula, quae mens humana sibi repraesentare potest. Indica mihi voluntatem tuam et veram obligationem meam; malo enim illam sequendo omnibus adversis et periculis subjici quam

vocationi tuae renuens hanc tranquillam continuare vitam. Loquere, Domine! Audit servus tuus vocem tuam unice sequi cupiens, haec aspera reducet in vias planas; delectabor enim in viis mandatorum tuorum, et tibi uniri et tecum regnare desidero in saecula. Primum miraculorum tuorum fuit mutare aquam in vinum, ultimum in terris convertere vinum in sanguinem tuum. Inchoasti manifestationem patris per miracula, quae faciebas in nomine ejus, dum advenit hora tua in nuptiis, coena clausisti conversationem tuam. O quam stupenda sunt opera tua, Jesu mi, quibus elevasti electos tuos ad cognitionem patris, coecos illuminasti, claudos ambulare fecisti, daemones ejecisti, mortuos resuscitasti, leprosos mundasti, esurientes satiasti, infirmos sanasti, mores correxisti, praedicationibus tuis intruxisti, peccatores absolvisti, et haec omnia egisti, ut cognoscamus magnalia patris, in cujus virtute faciebas omnia. Sic exemplo ducebas ad patrem, et hinc via es; docebas veritatem, veritas aeterna, et palam loquebaris verbum salutis; numquid haec sufficiebant ad salvandos electos tuos? Sed necdum satis; volebas enim et exemplo comprobare, quae praecepisti, summa doctrinae et sermonum tuorum fuit voluntatem sequi illius, qui misit te pater, ignominias patienter tolerare, condonare offensas, diligere inimicos. His quippe oportuit elationem humani spiritus expiare, hac humiliatione debebat satisfieri pro superbia primi hominis, qua repletus ille quia formam Dei ambiebat, opposito et stupendo exemplo Deus te exinanivit formam servi accipiens, et propterea mysterium redemptionis nostrae aggressus es per passionem spiritus, animae nempe tuae humanae, annihilasti et subjecisti voluntatem tuam voluntati patris in principio per acceptationem calicis passionis tuae. In agonia tua langues, Jesu mi, et sudore sanguineo conspersus procumbis ad aspectum hujus calicis, et his te hominem esse agnosco, confortaris ab angelo, ut me doceas imbecillitatem meam et necessitatem virium supernaturalium, quibus egeo, ut voluntatem meam subjicere possim voluntati patris et animae potentias ita annihilare, ut mandatis tuis efficiantur conformes; denique confortaris, nec confortato agere quid difficile amplius apparet in te toto passionis tuae cursu. Fers patienter ignominias, condonas offensas, diligis inimicos, oras pro persequentibus

te, flagellaris, spinis coronaris, ludibrio haberis, tandem crucifigeris, et in omnibus his mansuetus uti agnus duceris ad victimam. Quare? quia voluntatem tuam patri obtulisti, et confortatus es. Humilitas, obedientia et per hanc et alteram volutatis tuae subjectio mortificatio et quodammodo annihilatio conversationis, doctrinae scopus, passionis tuae nucleus est et medulla; his satisfecisti justitiae divinae pro anima, tormentis, cruciatibus, doloribus, morte pro corpore, ut natura humana ex his constituta regeneretur, et gloriae tuae efficiatur capax. Sic parasti tibi sponsam, comparasti regnum, et mortuam vitam resuscitasti moriendo, et ipse vita electorum tuorum effectus es. O stupenda reparationis salutis nostrae oeconomia, sapientiae, misericordiae et justitiae Dei opus perfectissimum! Quid mirandum, si praecipis, ut te imitemur, si tecum regnare volumus. Via es, nisi te sequamur, aberrabimus. Sed et aliunde satisfecisti patri pro peccato hominis; aut potius schedam decreti aeternae damnationis generis humani dilacerasti in cruce et hinc baptisati in statum innocentiae regeneramur. Sed si de novo veterem hominem inducimus, conspurcamur et maculamur; passionem tuam nobis reddimus infructuosam; hinc exemplo tuo edocti et spiritus et carnis peccata per mortificationem unius et alterius expiare oportet. Putrida et in pulverem reducenda est massa nostra carnea, succus, quo induitur anima nostra, et subsistit in ea sententia patris; revertitur quippe in pulverem, sed quia et hunc pulverem per resurrectionem gloriae fecisti capacem in corpore tuo, fors non erro, si dixero, mortificationes carnis ad adipiscendam hanc gloriam ejus per passionem corporis tui effectas esse utiles et necessarias. Sic enim vere ambulabimus per te viam, sequemur te veritatem, et vivemus in te, vita aeterna! Sed his quoque ulterius procedit misericordia tua, o Jesu Christe, qui justitia patris satisfacta inchoas regnum amoris et misericordiae in electos tuos; tu nobis manifestasti patrem, Deus Deo testimonium perhibuisti, tibi quoque a Deo homini ut testimonium perhibeatur, effecisti, o aeterna sapientia! Deo enim spiritu reples Apostolos, ut sic sancto spiritu pleni eodem modo quo tu patris, hi tuam manifestent deitatem et gloriam hominibus miraculis nempe in nomine tuo patratis et martyrio pro

nomine tuo passo. Sic duxisti gentes et universum mundum in regnum tuum, sic vocasti nos in numerum electorum tuorum, sic manifestasti deitatem tuam et regnum tuum, sic completur, quod dicit discipulus tuus dilectus: tres sunt, qui testimonium perhibent in coelo, pater et filius et spiritus sanctus, et hi tres unum sunt: pater filio, filius patri et spiritui sancto, et spiritus filio. Ecclesia id est unio fidelium electorum tuorum in caritate Christi et fide Sanctissimae Trinitatis, cui laus gloria et honor sit ab omnibus creaturis in saecula saeculorum. Amen. Inter quas ego quoque indignus gratias tibi ago, o infinita bonitas deliciae et amor cordis mei, quod me per gratiam tuam in horum, quae scripsi, cognitionem perduxeris, confirma, Deus, in me, quod tam clementer operatus es, da mihi vires, Domine, ut hanc veritatem conservem in corde meo, et pro ejus propagatione contribuere possim vita et effusione sanguinis mei. Denuo me tibi offero ad sequendum Sanctam voluntatem tuam; suscipe sacrificium ejus et uni illud sacrificio voluntatis filii tui, quod tibi fuit in horto, ne permittas, ut turbetur debilis natura mea praevisione periculorum, quae occurrunt in sequendis status mei obligationibus. Sperem, Domine, contra spem, vere enim supernaturali auxilio opus habeo effectuanda ea, in quorum finem opus aggrediendum est. Credo, Domine, non tibi deesse potestatem facere miracula, et firma fide persuasus sum te ea facturum, dum opus fuerit iis ad manifestandam gloriam tuam coram gentibus, in quorum societatem vocor. Illumina me, ut cognoscam, quid me facere oporteat, et si me indignum peccatorem ad portandum nomen tuum coram iis eligere dignatus es, perfice opus tuum, ut in debilitate mea appareat fortitudo brachii tui, quam invoco ad eliberandum populum, cui quondam me praefeceras. Respice afflictiones ejus, gemitus pauperum et viduarum; exaudi clamores eos, illumina coecitatem ejus, et fac ut ducam eum in ovile tuum in terris, ut sic fidelibus et electis tuis conjuncti intremus in regnum tuum tecum regnaturi in saecula saeculorum. Amen.

ANNO 1719.

IN NOCTE NATIVITATIS DOMINI MEDITATIO IN FORMA SOLILOQUIORUM SUPER EVANGELIUM LUC. SECUNDUM.

Propositum et praeparatio.

Quinta est nox haec vitae meae spiritualis, quae oritur mihi et lumine claritatis suae ducit me ad conspectum tuum, o Pater aeterne, Deus creator et plasmator meus, ad recolendam memoriam Nativitatis Domini nostri J. Christi filii tui. Praesento me igitur tibi, o Deus misericordiae et bonitatis. Vermis ego et cinis video in corde meo intentionem meam, quae ducit me, cujus finis gloria tua est; sed quia nihil possum ad hanc sine te coecus lumen peto, insipiens sapientiam, debilis vires a te imploro, ut possim, quod a me fieri volueris. Haec est SS. illa nox qua mihi Salvator natus est, et quia tu ad hoc opus miseras illum, vis ut recipiam adorans illum et recurrens ad eum; sum ergo certus facere me in hoc voluntatem tuam, fac mecum quam promisisti petentibus gratiam tuam, ut ego hoc digne prestare valeam. O animae mae potentiae, separamini et egredimini quodammodo a lutea habitatione vestra, ut eo aptius recipere possitis influxum luminis misericordiae Dei; dilatare cor meum et aperi aures tuas ad vocem creatoris audiendam. Statuo, Domine, haec omnia coram te, eleva intellectum et retine eum in praesentia tua; da ut memoria repellat fantasmata, accende voluntatem, ut alis caritatis feratur ad te; dispone, purifica cor meum, ut exaudiat, retineat vocem tuam, ut in his dispositionibus accedat ad recipiendum salvatorem suum. filium tuum unigenitum, qui venit in mundum, per ipsum dignius adorem te. Fretus ergo in misericordia et promissis tuis assumo historiam illam sacram, quam in monumentum aeternum tanti ac tam incomprehensibilis mysterii conscriptam esse voluisti, ut fidem fidelium nutriendo sit in escam animarum,

quae esuriunt justitiam tuam. Frangat, quaeso, mihi hunc panem bonitas tua; esurio enim sed non in tantum in quantum vellem, esurio quamvis indignus, filius tamen tuus sum. Nunc panem hunc peto a patre, mox alium petiturus a filio neo-nato, quem ideo nasci voluisti, ut sit frater meus; scio non se illum denegaturum mihi, et propterea in filiali confidentia accedo nunc hunc panem verbi tui, ut dignius manducare valeam carnem filii tui.

In hac sacra, prout dixi, historia, lego imprimis exiisse edictum a Caesare Augusto, ut describeretur orbis universus, et hoc edictum gentilis Caesaris coepit Joseph et Mariam consurgere a Nazaret, ut iret profiteri in Bethlehem civitatem David eo, quod essent ex familia David. Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies, ut pareret, et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in praesepio, quia non erat ei locus in diversorio. Haec sunt verba et succincta relatio sacrae historiae, nec quid ex circumstantiis vel minimis, quas a Prophetis tuis tot saeculis ante praedici feceras, in tam paucis verbis deesse videtur, et illae omnes tam naturali cursu implentur, ut nemo mortalium tantum mysterium agi suspicari potuisset. O summa simplicitas, Deus mi, quam simplicia apparent opera providentiae tuae, et quanta in illis latet secretorum profunditas! Princeps pacis nasci debuerat, ut totus orbis in pace esset, uni monarchae Augusto subjici debuit, non sola Judaea conscribitur, sed totus orbis, an propterea solummodo ut sacra Virgo ex Nazaret cogeretur transire in Bethlehem? non profecto, cum ad hoc solam Judaeam conscribi suffecisset, sed ut ignotum sibi Dominum adventurum ipse orbis universus praesagiret. Tu pater aeterne, conscribi curas gregem tuum per mercenarium assignaturus illum pastori, ut pascat illum. Totum genus humanum errabat tamquam grex sine pastore, et ecce completis temporibus promissionis in unum ovile intraturum conscribitur, et uno Caesaris edicto haec omnia implentur. Totus orbis uno eodemque tempore in motu est, et imaginor ego mihi ingentem ovium gregem per montes et valles et silvarum ac nemorum devia ac recessus hinc inde balantem currere, pastorem quaerere et ob defectum illius jam hunc jam alium obvium quemque a longe

visum hominem pro pastore reputatum sequi, et haec fuit hominum conditio dum haec, quorum memoriam recolo, agerentur. Appropinquat pastor, nascitur et vagit in praesepio, ad solum vagitum tantus motus suscitatur, et vera horum causa ignorabatur. Sed o infinita bonitas, ecce natus est infans, quem sacra virgo peperit, pannis involvit, flet, vagit, in praesepio locum non habens in diversorio, qui pastor futurus est gregis tui hujus immensi; et ecce quam miro ordine procedunt opera tua! Non memorabor ego denuo illa, quae mihi in praecedentibus meditationibus meis de humilitate filii tui in hac nativitate revelare dignatus es, nisi in humili gratiarum actione gratiarum tuarum circa illa mihi praestitarum. Non mirabor ingratitudinem hominum, quod Salvatorem suum in stabulo algentem relinquant, haec enim omnia, quia ignota esse debuerunt, ut sic evenirent, voluisti Domine, propterea relegendo continuationem sacrae historiae quodammodo propero, ut videam, quid tam stupendum mysterium, quod in tanto orbis motu in tam profundo silentio, in exiguae civitatulae Bethlehem tam neglecto et abjecto stabulo, ut in illo in tanta hominum undique concurrentium frequentia nemo hospitari voluerit, et ideo sacra virgo vacuum reperit igitur subsecutum est.

„Et pastores erant in regione“ etc. usque ad „bonae voluntatis.“ O divine paterfamilias! ecce quomodo voluisti nasci pastorem in stabulo, et primum prae caeteris revelari pastoribus custodientibus et vigilantibus ad gregem suum. Hoc sibi procul dubio promeruit simplicitas et sedula horum pastorum vigilantia, et filii tui nativitas his pauperibus et rudibus publicatur; sed cum quanta et quam convenienti nascenti Majestate publicatur. Nox vertitur in diem sicut tenebrae ejus ita et lumen ejus per oppositionem fulgoris spissitati tenebrarum et *caliginis*. Claritas Dei circumfulget pastores, *evangelizat* *) angelus gaudium magnum, et subito multitudo coelestis militiae apparet laudantium Deum et dicentium: „Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis!“ Auxiliare Domine, ne deficiam in consideratione tanti objecti. O beati pastores, quanta est felicitas vestra tanta visione frui! Quid

[*) cf. Luc. II 10 evangelizo vobis gaudium magnum.]

mirum, si fulgore Dei circumfulsi timuistis, sed confortati annunciatione tanti mysterii, quanta spirituali consolatione perfusi, in quam suavi interno gaudio spectabatis malitiam illam coelestem gloriam concinentem Deo! Coelum, terra et omnes creaturae tuae, o Deus aeterne, depraedicant gloriam creationis et omnipotentiae tuae, sed gloriam tuam ex incarnationis mysterio tota militia coelestis depraedicat. Sic laetatur beatorum illorum spirituum caritas advenisse tempus destructionis regni Satanae, eliberationis generis humani et consociationis ejus cum ipsis in unum corpus, et hinc est, quod hominibus bonae voluntatis mysteriose pacem annuncient. Unde potest enim provenire bona voluntas nisi a bono? sed quis bonus praeter Deum? et per consequens quae bona voluntas praeter voluntatem Dei? Sed quae est, aut in quo consistit voluntas tua, Domine? Procul dubio, si voluntas in nobis ad imaginem tuam creatis est, facultas, per quam ferimur ad aliquod objectum, voluntas tua est, amor et caritas, qua ferris erga hominem, et ecce haec est, quae manifestatur hodie. Quid aliud ergo esse potest homo bonae voluntatis, quam voluntati tuae in caritate adhaerens, et his annunciatur pax; hi enim beatis illis militiae coelestis choris in spiritu conjuncti, depraedicant gloriam tuam, et fruuntur pace illa interna, quam absque redemptore homo participare non poterat. Ecce unde procedit angelorum gaudium, Dei gloria, hominum pax et haec omnia haec beata nox manifestavit.

O anima mea, quae et quanta sunt, quae in his tibi repraesentantur, sufficiat tibi hactenus considerasse historiam sacram, agnovisti ex illa, quae facta sunt. Da gloriam Deo, et quia pastor tibi natus est, et adhuc tu ovis adinstar aberres super terram, gaude, laetare et pastoris vocem audi! — Salvatorem natum angelus pastoribus annunciavit, et ecce dicunt: transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum, quod factum est. Adjuva me, Domine, ut ego quoqe his adjungar; tu scis enim, quod me constitueris quondam pastorem gregis magni, quem digne et vere juste abstulisti a me; non vigilavi enim nec vigilias noctis custodivi, sed necdum me a pastoratu ita liberasti, quin non restet mihi adhuc custodiendus pusillus grex a tanto tempore una mecum e suis pascuis pulsus pascua

sua hinc inde quaerens. Indignus sum ego, ut exaudias me, et ad hoc misisti hunc supremum pastorem, ut ducat me ad te. Audio igitur te, o Jesu mi, qui in domum Bethlehem panis vivus de coelo descendisti. Consideravi hactenus opera patris in incarnatione tua, et dum te Salvatorem publicari audivi ad pascendum gregem patris advenisse, scivi qua peccator salvatorem, qua ovis pastorem, qua pastor supremum pastorum pastorem, accedo cum beatis illis pastoribus, quibus gaudium nativitatis tuae annunciatum est. Omni conditionis meae miseria et fragilitatis meae infirmitatibus oneratus venio ad te, salvatorem, ut salves me, errans, ut dixi, ovis accurro et qua pastor gregem quoque meum adduco; sunt quippe et illae oves tuae, quas ex plurimis curae meae commissis adhuc custodiae meae commisisti. Respice, Domine, statum nostrum et internas et externas miserias et necessitates videbis nos longe a pascuis nostris aliena quaerere coactos. Persequitur nos inimicus, nec est requies animabus nostris; alieni rapuerunt haereditatem nostram, orphani facti sunt filii nostri, et nomen quoque nostrum factum est in opprobrium; egestas, paupertas necessariorum quoque indigentia aggravant nos, et nec spes requiei nostrae relicta est nobis, et cura nostra panis noster quotidianus ab infidelium manu exspectandus est, qui te ignorant, Jesu mi, et quia exulat caritas tua e cordibus illorum; odio habent nos gentes, quae non adorant te. Ecce quantis malis aggravati nutrimur pane doloris, et amaritudine replentur dies nostri; his tamen non contenti persequuntur nos inimici nostri, et vitae quoque nostrae insidiatur. Quid dicam, Domine, pastor meus, de ovibus, quas quondam custodiae meae commiseras, et quas nunc mercenariis tradidisti? Confessus sum, Domine, me indignum fuisse custodia eorum. quamvis enim saepe animam meam posuerim, et nunc quoque lubens ponerem pro eis, si acceptum est sacrificium meum, nec ipse ambulabam, nec ducebam illas quondam in semitis rectis ad pascua tua tendentibus; sed iniquitate pascere sinens illas, elongabantur a te, o Pastor bone, Jesu mi, nunc igitur vere merito subjugata sunt colla eorum et extraneus dominatur illis, usquequo saeviet in nos justa vindicta sua, longe ne aberunt miserationes tuae a nobis et an semper tolletur a nobis hae-

reditas nostra, pro qua exules nos suspiramus et illi tanquam non possidentes in tribulatione cordis possident illas, et panem suum manducant in amaritudine. Expono, Domine, ob oculos pietatis tuae coram praesepi tuo statum nostrum externum, sed non verebor confiteri peccata et iniquitates nostras; Salvator enim es, o Infans, Jesu mi! Meremur, Domine, quae patimur, innumera sunt enim scelera nostra et caput nostrum transscenderunt, sed numquid venisses in mundum, si homo lapsus non fuisset? cujus salvator esses, si nos filii perditionis facti non fuissemus? Non possunt haec nos excusare coram te nec justos reddere; an enim ideo nos mali erimus, quia tu bonus es; an vindictam provocabimus tuam, quia tu misericors et bonus es; ideo ne peccabimus, ut salves nos cum Salvator sis? Absit hoc a nobis, Jesu mi, sed quia sine te ex statu conditionis nostrae semper mali absque auxilio tuo bonum quod facere etiam si vellemus, non possumus; miserere nostri, et salva nos! Melius tu vides, et noscis, quales sumus, quam nos tibi dicere valemus. Respice, Domine, et vide infirmitates ovium tuarum, exhibemus nos tibi in his amaritudinibus; sed fac, ut gemamus de iniquitatibus nostris, quibus deviantes a patre tuo aeterno offendimus illum, non de flagellis, quibus castigamur et quae promeruimus. Pax est quippe publicata in nativitate tua, sed hominibus bonae voluntatis; sed quia haec nequit esse bona, nisi sit illius, qui misit te, non ad gloriam sed ad opprobrium, non ad delicias sed ad cruces et passiones, et quidem misit qua pastorem, ut oves tuae audiant vocem tuam, et sequantur te. Nesciremus, quid peteremus, nec te pastorem sequi vellemus, si a temporalibus poenis, contradictionibus et crucibus immunes esse cuperemus. Fac igitur, ut illas, quae immittuntur nobis, supportemus in patientia, quo fiet, si nos tibi adhaeserimus per voluntatem nostram, ut porro adhaereamus tibi. Fac ut amemus te, quodsi enim amaverimus, et adhaeserimus tibi: bona erit voluntas nostra, quia erit voluntas patris, per quam publicate pacis efficiemur participes. Hoc solum est, quod nos petere debemus; caetera enim adjicientur nobis. Possideamus igitur in patientia animas nostras, sed tu prius purifica eas ab omni scabie mundana, quae adhaeret nobis, donec enim scabiosae fuerimus gregi tuo adnumerari quomodo

poterimus? Respice, et vide, iterum iterumque repeto, languores et infirmitates nostras et fratrum nostrorum, quorum miserias et afflictiones retuli tibi. Da gloriam nominibus salvatoris et pastoris et educ eos e manibus inimicorum et e jugo ferreo in virtute brachii tui excelsi, ut noscant gentes et persequentes nos, quia tu es salvator et pastor noster. Noli nos derelinquere in miseriis nostris, ne deficiat virtus nostra, et dubitemus de potentia manus tuae; aut si aliter statutum est in aeternis decretis patris, fac ut firmetur facies nostra contra illa, quae imminent nobis praesentia et futura, ut sit pax tua nobiscum in diebus nostris, donec perveniamus ad pascua tua aeterna et deliciosa nimis.

Ultima est anni hujus 1719. dies, in qua me sisto denuo coram te, Domine! Sic praetereunt anni mei repleti amaritudinibus, et solum mihi superest sepulchrum, irrevocabile est tempus, quod praeteriit, inevitabile decretum tuum, quod statuisti de me, et peccatum meum contra me est semper, et ex hoc praeterito, praesenti et futuro consistit vita mea mortalis, cujus finis est in manu tua, quod praeteriit dolore, quod praesens horrore, quod futurum timore configit carnes meas, et hic est status vitalis hujus infirmitatis meae, in qua compareo in conspectu tuo creatoris, Domini, judicis et retributionis meae. O tempus doloris, horroris et timoris filiorum Adami, quis te vitam appellare potest ex horum consideratione, cum si omnia, quae mundus jucunda, delectabilia et desiderabilia esse imaginatur, toto hoc anno evenissent, quid supermansisset mihi? Et tamen momentanei usus, instantaneae delectationes ac continua desideria horum sunt causae amissionis amorum aeternorum, et hic est status insipientiae, ignorantiae et infirmitatis, ad quem condemnatus es cunctis diebus peregrinationis tuae super terra, pulvis et esca vermium, qui homo diceris et his, quae tam velociter transeunt cum omnibus, quae tamen possidere credis, adhaeres ipsis. Statue te coram me, quisquis es mortalium, secundum opinionem filiorum mundi felicissimus; ut ego contester tecum, quis in hoc anni fine se feliciorem reputare potest, an justus qui in afflictionibus, contradictionibus et persecutionibus annum peregit, an tu, qui in dignitatum mundanarum apice constitutus omnibus sensuum

tuorum delectationibus fruitus es. Ecce praeteriverunt omnia nec tibi nec justo eorum, quae facta sunt, memoria superest; tu, fili saeculi, aeternitatem credis, aut nihil te post mortem supermanere impie statuis, et in hoc utroque casu dic, quaeso, quid te felicem fuisse juvat, si te talem futurum anno, quem inchoaturus es, ignoras? Si aeternitatem et illam felicem speras, dic mihi, quis et quibus conditionibus promisit tibi illam? Si animae tuae non disparem cum brutis sortem futuram impie statuis, in omni mundana felicitate infelix es, qui spe futurorum, qua omnis homo et tumet ipse plus quam actuali rerum fruitione delectatur careas; quodsi porro necdum ad hunc impiae infelicitatis gradum pervenisti, considera, ut memini, quis et qua conditione promiserit gaudia futurae et aeternae vitae, quae in permanenti et indesinenti fruitione bonorum consistunt, et reperies auctorem hujus et legislatorem illum immutabilem fuisse, qui nequit prolatam revocare sententiam, et citius coelum et terra peribunt quam jota unum aut apex unus ex illis, quae nobis sequenda proposuit. Ecce veritas aeterna, quae aeternam felicitatem promittit, sed quibus conditionibus? Tolle, lege, quos beatos futuros edicit, et quibus vae futurum pronunciat, et examina ad hunc finem anni, quid tibi, ex his quibus usus es, permansit, et quid sperandum superest? His porro taliter ponderatis convertere ad justum illum, qui dum tu in amicorum tuorum coetu in divitiis et honoribus et omnium deliciarum affluentia epulatus es, panem suum amaritudinis manducavit in lacrymis, dum tu omnis thesauri patrum tuorum haeres et possessor, omni seu amicorum seu adulatorum caterva stipatus, erecto capite incedebas in patria, ille omnibus his privatus et ad necem quaesitus omni odiosae persecutioni expositus, in humili patientia latitabat exul, nec reperiebat requiem animae suae, nec reclinatorium capiti suo. Annus tamen aequaliter et huic justo, et tibi dives ac epulo pertransiit: quis vestrum felicior est? Si tu dives et mundano modo beatus, animam tuam mortalem esse credis, alter in spe sua felicior est, qui illam aeterne victuram promittit sibi. Hic porro de spe futurorum est quaestio, cum de praeteritis nihil remansisse jam supra dictum est, quod si porro uterque vestrum ad aeternitatem ex fide aspirat,

quam differens est status vester, et quam diversum conscientiae vestrae testimonium, quod si illam ad lucem veritatis ex conformitate legis immutabilis examinaveritis, et quam facile demonstrabitur hunc unum vestrum esse filium promissionis, alterum vero filium reprobationis et ecce status, in quo reperimini in fine anni prosperitatum et infelicitatum vestrarum. Hoc examen hodie peractum est de rebus in hujus anni periodo revolutis, et cum quanto tremore renovandum erit in illa hora, quae vitae vestrae finem imponet! Quodsi enim fili mundi, annum in omnibus peractis prosperitatibus inchoabis quoque tandem in illa suprema hora de amissis et amittendis dolebis, et tu, qui justus es, prout nunc de praeteritis crucibus laetaris, ita tunc de deserendis illis cum vita gaudebis; in hoc enim momento illo deseret patriam, tu porro sperabis ire in patriam; et propterea ille flebit de amissis, tu ridebis de acquirendis.

Haec est sequela legis tuae, o supreme legislator, haec est promissio tua, o aeterna veritas, quorum quia fidem habere dedisti mihi per gratiam tuam, quidni gaudeam de omnibus contrarietatibus, quibus probasti me et quae pati et tolerare adjuvisti me. Non recordor ego horum qua meorum sed qua donorum bonitatis tuae et aeternorum illorum decretorum. quae sequelae sunt miserationum tuarum; omnia enim dedisti, quia dare gratuito voluisti. Nequeo igitur gaudere nisi de tuis, quodsi enim illa, quae mea sunt, memoro, heu quantus gaudio meo succederet dolor, si prout oporteret dolere possem, cum enim bona nonnisi a te fonte omnis bonitatis provenire possunt, quid praeter malum emanere potuit ex scaturigine malitiae putredinis et corruptionis meae? Et ideo quidquid non propter te sed propter me egi, quidquid praeter te ex me feci, quia a me processit vere respectu tui et finis mei bonum fuisse nequivit, nec propterea ex fonte illo bonitatis sed ex dicta scaturigine corruptionis meae emanavit. Ecce igitur causa doloris. Quodsi porro ulterius procedens considerem, quid sit te Deum summum bonum ita offendisse, ut non offendisse jam non sit possibile, et propterea poenae justitiae tuae me esse semper obnoxium, quantus horror non conjungetur dolori; et et si postremo recogitavero nunquam futurum, ut ego tanta fidelitate correspondeam gratiis tuis, ut irreprehensibilis pos-

sim esse coram te, quantum argumentum timoris non subsequetur in corde, cui dare dignatus es diligere te? Sed o dolor, honor et timor, quamvis tortores sitis omnium passionum humanarum acerrimi, nolite ita recedere a me, quin ad minimum non doleam, horream et timeam me non posse dolere, horrere et timere, prout cordi amore incesso haec praestare oportet; suaves sunt enim cruciatus vestri, quorum amor moderator est, dulces sunt lacrymae et gemitus, quas producitis, languores et angores, quos inducetis super me, erunt fortitudo mea et gaudium meum. Hi sunt effectus tui, o divina caritas, quos mundus ignorat; hae sunt dulcedines, quae filiis mundi tam insipidae et amarae videntur; doloris, horroris et timoris amantium finis est confidentia; mundanus dolori, horrori et timori vertitur in desperationem. Dolet amans, quod summum bonum cognitum et amatum offenderit; horret propter statum oppositionis suae; timet, quia in conspectu tuo purus esse nequit; sed confidit, quia amat; amat, quia confidit in verbis tuis, quibus innixus omnia absque turbatione agit in patientia; consolatur eum bonitas tua; horrorem moderatur misericordia, timorem leniunt promissa tua. Spiritus enim tuus, per quem animatus justus vivit, his humanarum passionum motibus illum ordinem imponit et mensuram, in qua tu, o sapientia aeterna, agis; omnia age ergo, o anima mea, quia te inter tot ac tantas vitae miserias, cruces et angustias a brachio excelsi protectum sentis; dole de praeteritis; abhorre peccata; time temet ipsam, et projice te inter brachia patris, qui nunquam deerit tibi, si tu ipsi non defueris. Diffide tibi; confide in ipso, qui omnia potest; ama amantem te, qui se tibi dat in retributionem. O dulcedo mea, Deus meus, quis sum ego, quod in tantum miserearis mei, quid possum, quo non teneor, sed heu quanto teneor, quod non possum! Sentio, quod amem te; sed quomodo possem hunc amorem, quem dedisti, ex toto corde, ex tota anima et ex totis viribus meis reddere tibi, si tu non adjuveris me? Sit tibi gloria et laus ex omnibus crucibus, afflictionibus et tribulationibus, in quorum tolerantiam adjuvisti me hoc anno, sed deficiam in his, si tu non adjuveris me. Continua igitur propter temet ipsum miserationes tuas, cum sim opus earum; confirma me

in viis mandatorum tuorum, et fac me bajulare cruces meas, ut filium tuum sequens perveniam eo, quo venit ducere me, et uniar tibi per ipsum in caritate aeterna.

Considerato per gratiam tuam reparationis salutis humanae mysterio, invoco auxilium tuum, lumen cordium, spiraculum vitae, anima animae meae, divine spiritus, cujus descensus super Apostolos crastina die recolimus memoriam, ad continuandam humilem confessionem meam. Geme in me gemitibus inenarrabilibus de peccatis transactae vitae meae; revoca in memoriam ea, quae mihi scribere proficua, lectoribus legere utilia futura nosti; voci tuae et lumini tuo subjicio mentem meam, et scribentem dexteram tibi devoveo; quidquid scribere possum de praeteritis, peccatum abominabile est in conspectu tuo; quamvis plurima inter ea reperiebantur, quae publicos mihi attrahebant applausus; sed horum memorari non jactando sed poenitendo desidero, me quaesivi quippe in iis, non te, finis meus et scopus salutis meae. Sed tu, o misericordiae abyssus, revocasti me a me ad te per castigationes incaptivationis et carceris mei. Sub finem mensis Octobris advenit Longuevallius Viennam ad recipiendas instructiones suas et literas, quas per manus ejus regi Galliae mittere, jam ut dixi, decreveram; quas concipiendas et componendas, tunc linguae non satis gnarus, eimet ipsi commiseram. Clausis foribus ipso dictante descripsi eas, et ad initium Novembris manibus ejus traditas (una cum aliis ad Ministrum Barbesieux exaratis) itineri commisi. Hoc solum est, quod referre opere pretium duco de iis, quae semestri spatio Viennae commorans egi; tempore de reliquo in vanitatibus et perversae Babilonis otio consumpto. Iam hyemalis bruma, et nivibus repletae nubes incertam reddidere navigationem Danubii sub medium Novembris; sed juvenili instinctu ductus, naves cum uxore, prole curae matronae Schillingianae relicta, conscendimus et secundo flumine ob brevitatem dierum stationis, ventorumque frequentiam longe tardiori, quam solitum, navigatione Posonium appulimus, ubi Brevia (uti vocantur) in numeroso Magnatum regni confluxu celebrabantur judicia. Horum amiciores vix adventum nostrum rescivere, ad navim affluentes

multum solicitaverant ad epulas; sed navi egredi renuentes una die a contrario vento detenti, sequenti rippas amovimus. Verum tarditatem navigationis pertaesi, Comaronii posta assumpta, terrestri itinere Budam petiimus, navium relictarum descensum et impedimenta ibi exspectaturi; quo currus et equi praejuncturae necessarii cum aula nostra jam praevie appulerant. Hic paucis diebus quieti datis Gyöngyösinum, proprium oppidum, pervenimus et in illo, ni fallor, festa Natalitia transegimus. Ibi certior redditus fui de morte Caroli II. Hispaniarum regis, quae, ab omnibus Europae principibus diu praevisa, mutatura erat rerum faciem. Nec profecto praeceptis tuis, o Deus, consonus fuit animus, quo ego eam percepi; rerum hoc casu innovandarum avidus, sed futurorum ignarus, nec mihi imminentia mala metuens, sat tranquillo animo exspectabam nuncii mei literas. Omitto igitur itinerationis meae circumstantias, quae non immutaverant tepidam meam vivendi aut potius tempus perdendi consuetudinem; venationibus et his similibus inanitatibus deditus in mense, ni fallor, Februario Sárosini me fuisse credo, et huc advenisse Longuevallium recordor cum litteris a Ministro Regis Galliarum Barbesieux ad me scriptis; quibus pronum in me regis sui animum denuncians, praefatus nuncius ore retulit ad continuandam negociationis seriem plenipotintionales nomine meo et consentientium expeditas requiri literas, ad quas concinnandas Munkácsinum ire et per transennam Ungvárini cum Comite Bercsénio et aliis ibi congregandis conferre statuens, biduo elapso iter per montana et nive refertissimas vias brevitatis causa agressus sum, et ad finem bachanaliorum Ungvárinum perveni. Procul dubio a singulari providentia tua effectum est, o infinita bonitas, tam ardua negotia tam perfunctorie nos tractasse; toto commorationis meae triduo in venatione consumpto, obiter cum Longuevallio loquebamur de seriis, et partim quaesitis, partim rationabilibus de causis quisque differendam censuit expeditionem instrumenti plenae ad negotiandum potentiae, quod desiderabatur; quam renitentiam ego tunc Comiti suprafato imputaveram, qui morte vitrici sui Comitis Stephani Csáki, Judicis Curiae Regiae, vacantem partium superiorum regni Generalatum solicitaturus iter Viennam parabat; et ex eo ego quoque mutationem animi sui sub-

sequi posse suspicatus, segniter ursi negotia, et tepiditatem simulavi; sed inchoatum cum aula Gallica correspondentiam poenitus interrumpere nolens, secundas scripsi Ministro literas a Longuevallio dictatas; quibus saepe fatum instrumentum brevi me missurum appromittens, pro regis benevolentia grates retuli et paucis diebus mecum Munkácsinum ductum et commorantem Longuevallium expedivi. Ignoro, Domine, ad hanc usque horam dolosum hujus hominis procedendi modum, et num ad tradendum me ab aula subornatus, an ad hoc scelus patrandum a propria malitia inductus fuerit. Nihil ego horum, quae me te disponente exspectabant, suspicatus, jejunium quadragesimale, a compluribus annis magis cupiditate quam necessitate inductus neglectum, in abstinentia carnium, non tamen ordinato ad mentem Ecclesiae jejunio, cum imminentibus festis paschalibus transegi Munkácsini; et quia hora castigationis meae appropinguabat, contemptis itinerum difficultatibus, ab extraordinario aquarum diluvio causatis, statui uxorem Sárosini valetudinariam relictam invisere et, ibi paucis diebus moratus, verna tempora venationibus destinata Szerencsini consummare; et propterea majorem aulae meae partem, levi custodiae corporis mei manu cum paucis aulicis ad latus meum assumpta, e medio itinere illuc praemisi cum impedimentis, et ipse deflexi Sárosinum. Adorans in humilitate cordis, admiror ego haec scribens invisibilem manum tuam, o cuncta disponens et regens providentia, mente pervolvens audacem caecitatem meam, qua ductus pericula hujus itineris contemnebam, aquarum torrentes, natantibus carpento praejunctis equis, vix rotis fundum attingentibus transibam, ruptis pontibus alioquin inpervios. Sic me exponebam periculis, ignarus cur properaverim, praeterquam quod juvenilis animus delectabatur in arduis superandis, et peccaminoso instinctu vere tentabat te, bonitas infinita, cujus vindictam tepiditate vitae et impuritatibus meis continuo provocabam. Amabam pericula, merebar perire in illis; sed justitiae tuae dexteram retinebat clementia, et sic impune gradiebar, aut potius currebam in viis iniquitatis et malitiae. Vere plus merebar, o Deus, quam quod contigit mihi paucis praeterlapsis diebus; sed quia sic, prout omnia fiunt, oportet fieri, ut satisfiat aeternis decretis tuis, conservasti et

conserva me in finem, qui soli tibi notus est; et hinc absit a me sollicitudo in crastinum, non me deserat tamen illa, quae mihi necessaria est ad operandam salutem meam in timore et tremore, prout ambulare oportet in conspectu Majestatis tuae, ut perveniam ad te, scopus et deliciae animae meae! Sic superatis praerecensitis periculis, incolumis perveni Sárosinum, ubi reconvalescentem reperi uxorem, et sub vesperam cartifoliorum lusu tempus terenti redditae fuerunt mihi literae sororis meae, cum quibus tabellarius ob torrentium inundationem sat longo tempore circumvagans, me Munkácsini quaesiverat, per quas notificaverat mihi, se Vienna recepisse literas, quibus perscriptum fuit Longuevallium Vienna abeuntem Lincii arestatum et reductum fuisse, et apud ipsum perniciosas Magnatum Hungarorum fuisse deprehensas literas, ex quibus unam viso periculo ipsemet devoravit. Non repetam, Domine, describere diversa pathemata animi, quae me in instanti haec legentem obruerunt; tu quippe melius me nosti ea sapientia aeterna, cui haec confiteor; tu quoque suppeditasti mihi vires, quibus ea immutato vultu celavi mecum ludentibus Germanis officialibus. Sed insipido lusui brevi fine imposito, anxio animo ad te recurrens, quid facto opus, petebam consilium; jam enim mihi fugam in vicinam Poloniam suadebat futurorum praevisio, sed parati aeris defectus praepediebat iter; jam fidelitas Longuevalli per literarum ab eo devoratarum famam sperare et subsistere jubebat, spe lactante, nihil Imperatorem, alioquin mihi multis ex signis benevolum, et aulam ejus, favorabiliter et amice erga me dispositam, praecipitaturos. Confirmabat me in hac opinione duarum septimanarum mora, quae a capto Longuevallio intercessit; denique tua dispositione, o bonitas infinita, effectum est, quod eventum rei dubius exspectare statuerim, et brevi horis vespertinis succedentibus ad quietem corporis me disposuerim; sed inter millenas cogitationes fluctuans animus, repulso somno, plus humanis inhaerebat consiliis, quam tuum petiit auxilium; simulata tamen quiete ad latus gravidae uxoris meae cubabam, dum die 28. Aprilis circa 2-dam horam noctis ad insolitum strepitum, quem in cameris per quas ad cubiculum nostrum adeundum erat, excitatus aures erexeram, vere secundam portam aperiri canis mei venatici latratu distincte

audivi; et hoc rumore excitata uxor quoque vocabat cameraiam, et ipse ego ad lustrandam rumoris causam e lecto surgere parabam; sed ecce vicinam lecto januam violento ictu aperiri et duos mihi notos e legione Salmensi centuriones candela et attractis brevioribus sclopis illico circumdedere lectum, et me nomine Imperatoris incaptivatum denunciavere. Sed tu, o aeterna misericordia, quae hunc praevisum sed insperatum disposuisti eventum, non defuisti mihi, sed contra adversa et indignum statui meo procedendi modum confirmasti animum et reddidisti intrepidum; anxietatibus successit quippe fortitudo et patientia, qua instructus jam vehementiores uxoris querelas sedabam; verbis et exemplo, jam simulata innocentia et securitate animi voluntatem Imperatoris expetebam, quam mihi officiales denunciavere dicentes, se habere in mandatis, ut Eperjesinum, vicinam civitatem, milite Germano praesidiatam, ducerer, data mora ut carpento equi praejungerentur, et ipse pro solito vestibus induerer adhibitis aulicis meis et famulis. Iam matutinum apparere incepit crepusculum, dum carpentum conscendi; nec ullae preces separare poterant a me uxorem, quae officialibusque invitis me comitata est, et sic in praefatam civitatem, populo mihi addictissimo ad triste spectaculum affluente et passim lacrymante, inductus fui; ubi in destinato mihi hospitio a Generali Comite Solario, ad incaptivandum me Vienna misso, exceptus, sat arctae custodiae subjectus tribus ferme, si bene recordor, hebdomadis remansi, uxore mea illa ipsa incaptivationis meae die Viennam postali occasione cum summa celeritate praemissa. Urbs lugubri silentio apparebat attonita, et Caraffiani cruentis theatri memor, rei eventum exspectabat; et brevi post Baronem quoque Stephanum Szirmai Regni Iudicem, Protonotarium, incaptivatum ex vicino suo castello adduci vidit, de complurium Magnatum incaptivatione percrebrescente fama. Insperato nuncio attonita soror quoque mea, Comitissa Asperimontis, appulit horis promeridianis, cui me videndi licentia data est a Comite Solario, qui te, o misericordia infinita, ita disponente deposito suo in me malevolo animo, quem aliquot abinde annis ob diversos in bonis meis commissos excessus accusatus foverat, insperato casu amicissimus mihi factus est; et rigorem instructionis suae summa

civilitate temperabat; relaxabat custodiam et dispositionem de rebus meis; aulicisque aditum non denegabat. Quid dicam tibi, o veritas aeterna, de secretioribus cogitationibus et dispositionibus meis? Converteras eas ad te et agnitam manum tuam, jam inchoaveras adorare facere. Conversus igitur ad te fundebam crebrius preces meas non tam impatiens et anxius de praesentibus, quam examen et quaestiones mihi proponendas timens; ignorabam enim genuinam casus causam, et Longuevallium jam fidelem jam infidelem repraesentabam mihi, inscius num utraque mea epistola, num una tantummodo intercepta fuerit ab aula, aut utraque, prout fama fuerat, occultata simplices suspiciones fuerint causae detentionis meae. Subaudivi brevi post Comitem quoque Bercsénium pari sorti subjiciendum quaeri, et Adamum Vai, nobilitatis origine, prudentia, facultatibus et nobilitatis minoris affectu sat celebrem, jam captum Cassoviam ductum fuisse; et haec omnia augebant dubietates meas, spem jungebant metui; sed tu, Domine, confortabas me, et tempus dedisti ad sedandos primos motus meos. quibus successerunt diversae cogitationes et suggestiones de libertate mea fuga quaerenda; resolverat enim aula Viennensis, ut educerer ex Hungaria, et iter per arcem meam Szerencsiensem prosequendum erat, ubi equi et aula mea substiterant, et haec occasio medio illorum eliberationem meam quaerere haud negligenda videbatur, et jam longinquas dispositiones facere in hunc finem inchoaveram. Sed aliter ordinasti de me, sapientia aeterna; exundationes enim aquarum praecluserunt vias, et postquam Eperjesini tres plus-minus hebdomadas detentus fuissem. valida peditum et equitum manu circumdatus in proprio carpento eductus fui Cassoviam et inde ulterius per possessiones meas populo bellicoso et ad militiam per majores meos destinato refertas, qui ab amore et fidelitate debita stimulati stabuli mei praefectum adierant, ut mihi promptitudinem suam et de eliberando me possibilia consilia communicaret, et mandata mea expeteret; rem enim aperta armorum vi agredere statuerant et illos numero superiores futuros Germanis optime noveram. Sed te inspirante factum est, Domine, quod hanc occasionem intentatam praetermiserim, nolens complurium pagorum oppidorumque incolas Germanorum armis et furori subjicere, qui

seu succedente seu non succedente eliberatione mea inevitabilis mihi videbatur ipsis, et in casu infelicis eventus aggravasset causam meam, de qua me extraneorum principum amicitia et affinitas complurium ministrorum et aulicorum ipsiusque tunc regis Romanorum Josephi benevolentia bene sperare jubebant; et hae considerationes praepollebant prioribus, et tua fuere instrumenta, Deus, quibus me disponebas ad patienter ferendum statum meum. Pratermittam igitur itineris ob insequentem peditem militem sat lenti circumstantias et stationem dispositiones, in quibus omnes adhibebantur militares regulae et praecautiones ad arctiorem custodiam meam requisitae; bini enim prae foribus, bini in cubiculo apertis diu nocteque portis strictis gladiis aderant custodes, qui me decumbente ad ipsum lectum adstabant, nec tamen meum rumpebat somnum solicitudo et maeror, sed cibum reddebat insipidum; mens tamen et animus ipsi quoque Generali Solario carpento mecum vecto ad stuporem videbatur tranquillus. Tu solus nosti, o afflictorum solatium, inquietudines meas, quibus cruciabar desiderans rescire genuinas Longuevallii captionis causas, cujus mea sequela fuerat; sed non nisi Budam advectus per uxorem meam missum secretarium meum instructus fui de interceptione literarum, adhuc tamen ignarus primarumne vel posteriorum. Conversatione enim quotidiana dietim magis magisque devincebam Solarii animum, qui mihi non tantum colloquium cum secretario meo privatum permisit, sed et Baronis Szirmai et Adami Vai eodem itinere quamvis diversis carpentis ductorum denunciationes ad me et meas ad illos vere sincero et reali animo ferebat. Sed haec ipsa notitia augebat inquietudines meas; sensus enim primae epistolae differens a secunda differentem exposcebat explicationem, et unius et alterius genuinum contentum elapsum erat memoriae meae; et tunc ignorabam, postmodum autem agnovi, has ipsas incertitudines media fuisse, per quae de lumine proprii intellectus, agnita debilitate ejus poenitus desperantem et dubium vocabas me ad confidendam causam meam tibi et ad fiduciam in te solo habendam: praeter haec nec id quoque scriveram, quo ducebar; et inter has dubietates jam Aldenburgum perveneramus oppidum, ubi diversa concurrentia itinera deliberationem Imperatoris poscebant, et prop-

terea biduo ibi exspectato de nobis Neostadium ducendis generali mandatum est, quod ille mihi illico significavit. Quid dicam, Domine, tibi de motu animi, quo eum excepi? Quamvis enim arx haec inter residentias Imperatoris locum obtineat, nihil nisi triste ominabar de hac destinatione mea, memor feralis theatri, quod olim ibi erectum fuerat pro decollandis Comitibus Petro Zrinio et Frangepanio, avis meis maternis, quorum corpora quoque ibi sepulta sunt. Credidi igitur me quoque duci ad victimam libertatis Hungaricae, de qua poenitus tollenda Caesar decreverat; nec me fefellit opinio, biduo enim post inter maximum confluxum me subsannantis et obtrectantis populi latera carpenti cingentis adductus, muratis fenestris sat tenebrosae fornici, alias culinae Imperatoris dispensae destinatae (cui olim praedictus avus quoque meus Comes Zrinyi inclusus fuerat), ego quoque incarceratus fui. Haec fuerunt, o aeterna bonitas, viarum angustiae, per quas ducebar ad te; et vere ultimus hic rigorosus procedendi modus omnes humanas spes abstulit a me, et a primo ingressus mei momento sincero corde me tibi devovens, diei feria II jejunium in pane et aqua observandum mihi firmiter proposui, qua nempe die et captus et huic carceri inclusus fui. Invocabam te, o afflictorum solatium, corde vere contrito et humiliato adhuc ignarus, quid respondendum mihi foret in imminenti examine, a quo dependebat conservatio vitae meae; horrebam mentiri, sed secundum perversorum quorundam theologorum sententiam restrictionem mentalem ipsumque mendacium ad salvandam vitam absque detrimento tertii et status publici licite adhiberi posse vere mihi persvaseram; fatebor igitur ingenue, o aeterna veritas, quod te rogaverim, ut me edoceas, quo modo sensum literarum mearum apparenter detorquere possim, quas me scripsisse negare non potui. Detestor, Domine, nunc factum meum, quod peccaminosum fuisse tibi dolente corde confiteor; sed fors ideo permisisti, ut tunc in caecitate et tenebris constitutus gravitatem criminis non agnoscerem, quia subsequenter me ad alia destinaveras et eliberandum benigne decreveras; absit igitur a me nunc dicere, quod tu me mentiri instruxeris; tu tamen permisisti, ut ea in mentem venirent, quibus mediantibus nullum aequum judicium capitali sententia potuisset me aggravare; non enim agebatur

de legibus Hungaricis, quibus ipsa incaptivatio quoque mea contraria fuerat; nec me ipsemet purus et genuinus literarum sensus et facti species secundum illas condemnare potuisset; sed quia aulae Caesaris procedendi modum per eum, quem cum praementionatis Comitibus observaverat, cognovi, propterea recurrendum erat mihi ad quaerenda media, per quae coram illegali foro quoque defendere me possem; confidebam in concaptivorum meorum fidelitate et constantia, et praeter eos nullum contra me testem reperiri posse certus fueram; denique inter has angustias constitutus, preces meas fudi ad te, Domine, et illis absolutis tam subito illuminatum et consolatum me sensi, ut deinceps nec examinis, nec judicii, nec ipsius mortis me conturbaverint imminentis species. Taliter igitur ab anxietatibus liberato animo serenior horas diei inter preces, somnum, prandendum et per carceris mei angustias deambulandum repartitus sum; nec enim ad initium spiritualis admittebatur conversatio, nec poenitus ulla librorum lectio, multo minus scribendi modus; recreationis loco habebam muscas captare et telis aranearum injicere, et aranearum in capiendis et alligandis iis admirabar industriam; sed ex his exilibus necdum sciveram conscendere ad admirandam et adorandam sapientiam et providentiam tuam; admirabar creaturas huc infirmas, sed creatorem in illis adorare neglexi; non enim te amavi, Domine; subjeci me tibi et providentiae tuae sicut equus et mulus, quorum maxillae freno constringuntur, et illuc eunt, quo ducuntur, alacres qnidem, sed nec frenum nec ducentem amanter sequentes. Sed parce mihi, o amor meus, tunc enim haec sufficere credidi, quod si enim aliam vivendi rationem oportere novissem, fors ad eam pervenire posse a te petiissem; vere mirabilia fuere tua de me judicia et multae in me miserationes tuae, secundum quas agebas mecum; periissem in ignorantia et tenebris meis, si primorum rigorem posteriorum lenitate non mitigasses. Dixi, Domine, et ita est, resolutum me fuisse et vere subjectum voluntati tuae; sed resignationis meae nec amor nec timor fuerat fundamentum; non timebam te, quia multum de bonitate tua praesumpsi; sed nec amabam, quia quid sit amare te nesciebam; ignorabam praecepta tua. Evangelium tuum, quod in missa legi audire, sufficere credebam; hoc enim

communiter sic dicitur in regionibus, ubi vixeram: ubi instruuntur Christiani sperare in misericordia tua et confidere in te, sed non adjungitur, quod unum et alterum absque amore tuo praesumptio est; quis enim sperat, qui non amat: et nunc confidendi causam habere potest, qui non diligit? Vere praesumit de misericordia tua, qui non diligit, id est: qui mandata tua non servat, quae dilectionis tuae praescripta methodus est. Delectabar vel potius objecta ratiocinationis meae fuerant muscae et araneae, et tam inani otio consumebam tempus, quod mihi pretiosius reddere debebat status mei ratio; sed quid mirum, nihil amando quid potui agere; ut jumentum factus fueram, agebam ut illud; talis est homo, qui longe est a te, o anima animae hominis; et profecto longe est, qui te non diligit! Horreo, Domine, in consideratione horum, nam enim magis mihi demonstrant, quam propinquus fuerim morti aeternae; in filo quippe pendebat vita mea corporis et animae. Adoro igitur nunc profunditatem misericordiarum tuarum et rogo, ut dignus tibi gratias referre possim pro conservatione mea; noli, Domine, perdi in me opera ejus, sed adjuva me, ut residuum vitae meae digne impendere possim amando et et serviendo tibi.

Sub tam stricta custodia serratis januis cum ephebo et cubiculario in tam arcto ergastulo inclusus ignorabam, quid agebatur de me in aula Caesaris. Prandens mihi aderat centurio Leman ex legione Comitis Castelli desultoriorum, cui arcis et et captivorum custodia commissa fuerat, Nobilis ex Pomerania ditionis regis Borussiae oriundus, qui convasatis prandio requisitis singulari cura cultros requirebat, et auferebat speciali ad id mandato instructus, carnes discindebat et panem, secretiores in iis cartas nefors occultatas disquirens; usque ad has minutias solet enim procedere aulae Viennensis suspicio. Elapsis aliquot diebus misit uxor mea ad investigandum statum meum quendam olim cubicularium meum, incaptivationem meam praecedente anno inter custodes corporis Imperatoris Leopoldi recommendatione mea adscriptum, cum literis legatorum Angliae Vilhelmi et Borussiae regum, per quas nomine principalium suorum assecurabatur, se habere ordines, ut negotium eliberationis meae agant, cum quibus ille praedictum Leman accedens loquendi mihi licentiam petiit; sed nihil obtinere potuit, nisi ut

per clausas fores altiori voce sciscitaretur de sanitate mea nomine uxoris meae. Casualis fuit et nullius apparentiae commissio, te tamen disponente subsequenter fundamentum eliberationis meae effectu est; centurio enim praedictus taliter de regis sui in me affectu instructus, meliori spe de rebus meis praeconcepta, longe favorabilior mihi effectus est, et prandio finito longiora mecum faciebat colloquia, et causam infortunii mei disquirere inchoabat, compassionem suam uberioribus verbis demonstrando, quam ego ad simplices suspiciones et malevolorum falsas accusationes et Angliae regi scriptarum literarum mearum nefors interceptionem et sinistram interpretationem referebam, et multis rationibus et apparentiis in medium adductis de innocentia mea persuasi. Nec igitur ille dubitabat amplius de subsequenda eliberatione mea, qua subsecutura remunerationes largas a me sperans, quia Iurium Imperialium peritissimus fuerat, consilia mihi suppeditabat, speciem facti causae meae in lingua Germanica componebat uxori meae transmittendam; sed adusque tempus examinis mei, quod imminere dicebatur, omnibus supersedendum ratus, quaestiones mihi proponendas sat tranquillo exspectabam animo. Advenit tandem dies, et aulae Caesareae Cancellarius Comes Bucellini, cum adjuncto sibi Consilii Bellici Referendario Ejlers nuncupato comparuit, et me nulla caracteris et dignitatis ratione habita adduci jussit in hypocaustum ad id destinatum; ubi illo pro tribunali sedente me quoque considere jusso et longo discursu facto nomine et e mandato Imperatoris plurimas in medium attulit quaestiones de nociva et rebus regni praejudiciosa correspondentia mea cum rege Galliae; de factione et conjuratione facta cum compluribus regni Hungariae proceribus, quorum nomina plus-minus 60 e catalogo praelegebantur; de secretis cum iis habitis consiliis et multis similibus circumstantiis, quarum maxima pars figmenta fuere. Inchoavi responsamen per protestationem de incompetenti procedendi modo, forma et foro, coram quo respondere nec qua Imperii Princeps, nec qua liberorum Principum haeres tenebar, nullum aliud judicii causae meae agnoscens forum, praeter Diaetas et Comitia imperii aut regni Hungariae. In Cancellaria enim Imperatoris aulica nonnisi res Austriae tractantur et Imperatoris, qua Austriae Archi-

ducis, cujus provinciae nec incolae nec membrum unquam fuerunt praedecessores mei; responsurum igitur me extra seriem ad mandatum Imperatoris, ne causae meae diffidere et subterfugia quaerere credar; et vere absque periculo literas regi Galliae scriptas confiteri potuissem, si foro et examinandi modo edoctus ad salvandam meam et incaptivatorum vitam necessarium esse non credidissem celare veritatem. Parce igitur mihi, o veritas aeterna, peccavi enim in te, et vere mentitus sum dicens literas mihi demonstratas, quibus nullus superinscriptus fuerat titulus regi Vilhelmo Angliae scripsisse, ab ipso Longuevallio dictatas et compositas, quod equidem verum fuit; non negavi continere eas terminos, qui de suscitandis motibus suspicionem oriri possunt, sed intentionis meae non fuerat mittere eas; scripsi tamen, ut dictantis maliciosum detegam animum; quibus finitis e vicino cubiculo ab uxore vocatus, paucis exprobrans subdolum Longuevalli animum me illas igni traditurum asserebam, et dum reversus fuissem, vidi Longuevallium cartam in vicinum ignem projecisse, quam literas meas fuisse ab ipso persuasus fui, quod mutatis circumstantiis de secundis quoque factum fuisse credidi. Facile mihi erat reliqua examinis puncta negare, quae plerumque ab ipso perfido Longuevallio ficta fuerant; et vere veritati in tantum contrariabantur, quod falsitatem eorum non tantum proprio juramento sed et centum testium assertione me comprobaturum promittebam. Sed statutum erat de perdendo me in consilio aulae, et propterea die sequenti denuo accersitus praesentem ipsummet Longuevallium reperi; sic homo, qui edebat panem meum, supplantavit me.

Ille solus accusator et testis fuit contra me, et complures falsitates dictorum suorum juramento suo corporali in mea praesentia confirmavit; quibus peractis scriptotenus exhibui protestationem meam contra illegale forum et procedendi modum, et in custodiam reductus sum. Nihil de literis meis sciverant ii, qui mecum capti fuerant; Comes enim Bercsénius, Viennae tunc vicinus, dum nos captos et se quaeri subaudivisset, fuga sibi in Poloniam vicinam bonis suis consuluit; reliqui nec Longuevallium noverant, et propterea simpliciter veritatem asserendo in plurimis accusatorem falsitatis et mendacii arguebant. Ignoti producebantur Longuevallio, confrontabantur cum

eo, cum quibus in consiliis praesentem se fuisse impudenter asserebat, locorum denominatione et circumstantiis in medium adductis veritati manifeste contrariantibus; sed nolebat errasse aula, statutumque erat de nobis, nisi tu aliter ordinasses, o infinita misericordia, quae me subsequentibus reservabas fatis; et propterea vanae fuere hominum machinationes et vitae meae instructae insidiae. Sed quia haec occultaveras mihi, disponebam me ad mortem, et propterea confessarium pro spirituali consolatione desiderabam, qui aliquo post examen tempore datus mihi fuerat P. Sagel Jesuvita, domus Neostadiensis rector, qui ante durante bello Turcico superioris Capellanorum exercitus imperatoris fungebatur officio. Cui posteaquam ea, quae in examine protuli, enarrassem, de innocentia mea non tantum persuasus est, sed eam per literas imperatori et confessario ejus P. Manegatti Jesuvitae scriptas defendendam quoque te sic disponente Domine, suscepit. Aggravabant dietim magis magisque captivitatem meam calores aestivi angustiis cubiculi murata fenestra aucti, cui oppositum tectum aeris circulationem praepediebat; et immundities, effluviaque vicinarum culinarum insupportabili foetore replebant omnia. Sed posteaquam amicitia et confidentia centurionis Leman secretioris communicationis securum modum cum uxore suppeditasset, detexi ei nimisquam onerosum et sanitati meae praejudiciosum statum meum; qui tandem elapsis 11 septimanis ad frequentes sollicitationes ejus mutatus est, et feria 11. die suscepti jejunii mei incaptivatus, inclusus, examinatus in aliud spaciosum et tribus fenestris cratibus ferreis sed non muratis illuminatum cubiculum translatus fui, in quo celebrandi diebus dominicis et festis sacrificii missae potestas quoque data fuerat confessario meo. Dicam, Domine, nec tacebo gratias tibi referens gaudium meum, quod sensi et hac insperata mutatione aeris et hypocausti; nihil enim unquam in vita mea mihi accidit jucundius, infantium enim exiguis quibusque delectari solitorum gaudio laetabar, nec satiari poteram prospectu liberiori, qui tamen nihil mihi repraesentabat praeter fossam arcis aqua limpidissima plenam et huic adhaerentis hortuli arbores. Horas integras transigebam fenestris insidens, jam pisces et praegrandem sturionem in aquis, et cignos hic supernatantes circumspiciens et

illis ad libitum assuefactis escam porrigens. In his animi relaxationibus septimana peracta, libros, cartam, atramentum et instrumenta mathematica coloresque habendi licentia quoque data fuerat mihi, ac proinde diei horas in stabilia exercitia divisi; matutinarum precum tempus lectio profanorum librorum excipiebat, sequebatur hanc delineationis et picturae exercitium, a quo regressus ad officium Virginis matris tuae recitandum, horis meridianis prandium sumpsi, quod mihi praestabatur sat lautum; cibum sequebatur conversatio centurionis, hunc somnus pomeridianus, post quem matutina lectionis et picturae reassumpsi exercitia adusque horam conversationis cum confessario, quae ordinarie plus inutilia quam spiritualia concernebat; finita illa residuum officii recitabam, deambulabam in cubiculo, coenabam et finitis vespertinis sat dissipatis precibus decumbebam; gratia enim tua, o Domine, quamvis mihi indigno praestita confortabat me, et solicitudines de statu meo repellebat a me, et sic asuefiebam solitariae vitae cujus jucunditatem et delicias ausim dicere cum majori fructu me degustare fecisti a tempore inhabitationis sanctae hujus eremi; accuso me tamen, Domine, de dispendiis temporis, quod potius poenitentiae et meditationibus impendere debuissem; nec de hac necessitate tamen, nec de habitualibus impuritatibus meis tamen admonebat me confessarius, quamvis in confessionibus meis me de eis accusaveram, et propterea in erronea mea opinione confirmabar. Legebam sub finem captivitatis meae scripturam sacram, magis curiositate ductus, quam alimoniae spiritualis avidus; credebam enim secundum doctrinam communem ultramontanorum examen et meditationem ejus non esse necessariam; vetatur enim communiter a fidelibus, et propterea nunquam antea legeram; et tunc quoque perfunctorie pervolveram veteris testamenti libros, ex quibus curiosas formabam quaestiones; et propterea remanebam in tenebris, et obscura videbantur mihi ea, quae a sola fide illustrantur, quae profecto infructuosa, tepida et propterea caliginosa fuerat in me. Altum interea observabatur de continuatione processus mei silentium, et nec continuata cum uxore mea clandestina correspondentia, nec publici rumores edocere me poterant, cui me fato reservet aula, quae nihil contra me praeter Longuevallii fassionem reperire poterat,

quamvis pollicitationibus et promissis complures testes et ipsos mecum captivos tentaverit ; alii me brevi eliberandum augurabantur, alii retentionem meam in captivitate adusque finem belli, quod eodem anno in Italia de successione monarchiae Hispanicae in Italia exortum fuerat, praesagiebant, et propterea me jam ad arcem Rotemburg in Tiroli, jam Grecium translatum iri ominabantur. Haec sunt loca diuturnae captivitati destinata, in quibus frater quoque matris meae, ultimus familiae suae, Comes Joannes Zrini in flore juventutis suae ad leves suspiciones tempore obsidionis Viennensis captus ab 28 annis vitam morte duriorem agebat et eam sub illis temporibus finivit, ob imminens Bavaricum bellum e prima nominatarum arcium in posteriorem delatus. Inter caeteras librorum lectiones pervolvebam jura quoque imperialia, quae mihi eorum expers centurio Leman explicabat, confrontabam cum iis leges quoque patrias, et in illis condemnationem meam ad torturam et decollationem legebam, in his de innocentia et illegali captivitate mea persuadebar ; illa a Nerone, Domitiano et aliis Romanis idololatris Imperatoribus condita capitalem sententiam pronunciabant contra eos, qui de simplici solummodo suspicione infidelitatis argui possunt ; hae a Christianis Ungariae regibus in liberis regni diaetis statutae neminem nobilium non auditum, non convictum arestari jubebant, et infidelitatis actum, non suspicionem condemnandam praecipiebant ; nocivas correspondentias cum regni inimicis vetabant, ad quas sensus literarum mearum detorqueri non poterat ; pacatis enim temporibus ad regem seu Angliae seu Galliae amicum non inimicum fuerant scriptae ; patrocinium petebatur non ad detrimentum regni, sed ad stabiliendam libertatem, contra quam agentes reges liberam non tantum agendi sed et insurgendi facultatem nobilibus tribuebat aurea bulla Andreae II. regis tunc adhuc sub regimine Imperatoris Leopoldi (qui eam sartam tectamque manutenendam juraverat) in suo vigore permanente. Et haec fuit genuina ratio, qua inducta aula Viennensis sepositis Hungariae legibus sententiam meam delegato e ministris extraneis judicio pronunciandam decreverat ; nec enim Longuevallii fassio acceptari potuisset in foro competenti diaetae Hungaricae, quia testimonium testis extranei et non nobilis et indigenae

Hungari contra nobilem Hungarum deponentis pro nullo habetur. Haec igitur omnia bene sperare me jubebant, priora angebant; resolvi propterea me coram foro extraneo potius nihil respondere, quam a juramentali obligatione mea, a qua ut Comes Sárosiensis ad leges tenebar, extraneum forum agnoscens recedere. Et vere, Domine, tu me in hac resolutione spreto omnis mortis et violentiae periculo confirmaveras! — Tertium, si bene recordor, agebam mensem in captivitate Neostadiensi, dum nomine Imperatoris Consul dictae civitatis mihi loqui cupiens introductus fuit et longo praeambulo facto discursu citatorias ad comparendum coram judicio delegato, cujus praeses aulae Cancellarius Bucelini destinatus fuerat, praesentavit cum libello accusatorio nomine fisci aulici, ad quem respondendum sex, ni fallor, hebdomadae pro more juris observari solito praefixae fuerant. Fateor, Domine, quod horruerit animus ab insolito et indecenti procedendi modo; repugnabat propagini et dignitati meae citari a Consule et ad exteras cogi leges; reposui proinde dubitare me conscio et jubente imperatore fieri hanc citationem, qui principum pientissimus, procul dubio recordatur juramenti sui super leges Hungaricas sartas et tectas conservandas praestiti quibus contrariatur citatio, quam propterea acceptare nequeo, nec forum nec judicem illis contrariantem agnoscens. Recessit quidem hoc responso dato Consul, sed biduo elapso accusatorium libellum retulit; repetii quidem praedicta, sed posteaquam declarasset se in mandatis habere eum in hypocausto relinquere, nec se amplius referre audere. Respondi, quod si Imperator oblivioni tradidit juramentum suum, recordari me illius, quod super leges patrias praestiti; posse se facere quod libuerit, me tamen libellum nunquam loco moturum; satius mihi futurum injuste condemnatum occumbere, quam violato juramento defensa causa absolvi, et sic depositam mensae chartam loco haud movendam in conspectu ejus creta circumduxi. Et profecto, prout dixi, sic me facturum credidi; sed tu meas mutasti cogitationes, Domine, et elapsis binis septimanis indidisti mihi animum evasionem e carcere tentandi; persuasus enim fui aulam non mutaturam semel capta consilia et nimisquam clarum fuit causam meam secundum leges imperiales judicatam condemnandam et me capite plec-

tendum iri; ac proinde de intentione mea uxorem secretis literis instruxi, et ut de equis necessariis comparandis cogitaret, petii. Appropinguabat interea praefixum responso tempus, et opportune accidit, quod quadam die copiosiori vino sumpto laetior me accesserit centurio Leman, qui sinceri sui animi protestatione praemissa, se vitam suam pro me ponendam offerebat, et ut de evasione cogitarem, ipse suadebat opem suam offerens in facilitandis necessariis mediis. Tu nosti, o infinita bonitas, quam grata mihi fuerit haec propositio, quam tu ei suggesseras; sed opus tuum fuit prudentia quoque, quam mihi in re tam periculosa inspiraveras; opus meum fuit mendacium, quod ego ei effutivi asserens, me innocentiae meae confidere et fugam dubiam tentando causam meam nolle agravare; quodsi enim apertae relinquerentur portae et omnis etiam tolleretur custodia, difficile foret mihi persuadere exitum nisi pronunciata innocentia. Haec dicebant labia mea, sed longe ab iis erant cogitationes meae; nihil me cogebat ad mendacium, poteram enim respondere mille modis, sed inerat cordi meo fermentum malitiae et iniquitatis, et ego obliviscebar me loqui in praesentia aeternae veritatis, contra quam peccabam, et me indignum reddebam misericordiarum tuarum, quas mecum exercere decreveras. Propterea confiteor igitur tibi iniquitatem meam, ut renovato dolore meo de iis impetrem veniam tuam; tu enim, Domine, saepe differs punire peccatores, salvas eos ex periculis; non tamen propterea semper parcis illis, sed differs poenas, ut gravius punias; propterea inquam, o deliciae animae meae, desideratam hanc et tam diu optatam solitudinem hodie ingressus renovare volo omnes actus poenitentiae et desideria, dolores et contritiones meas totius vitae meae tempore, sed vel potissimum a tempore vocationis meae in hanc eremum factas. Recordare, Domine, misericordiarum tuarum, quibus motus eripuisti me e societate malignantium; vere enim tu vocasti me e medio principum et amicorum, inter quos suavem et jucundam, sed inanem et omni bonorum operum fructu vacuam duxeram vitam. Vocasti me et fecisti, ut non renuerem tibi, sed audita voce tua confessus sum tibi iniquitates meas, et delectabar in via mandatorum tuorum. Fac ut renovato dolore confixo corde poeniteam de transactae vitae turpitudinibus, et

elapsorum posteriorum annorum poenitentiae meae negligentiis, tepiditatibus et omissionibus. Statui hanc septimanam peragere in gemitibus; adjuva me, et fac prorumpere fontes lacrymarum ex oculis meis, lavem illis stratum meum et manducem panem meum in singultibus. Doleo propterea et vere doleo de mendaciis in illis circumstantiis effutitis, dum tu me liberandum e carcere decreveras. Multae et variae fuere cogitationes meae, posteaquam vespere facto centurio a me recessit; periculosum fuit considere me discretioni officialis, qui e plurimis selectus fuerat et custodiae meae praepositus; sed periculum judicii et mortis suadebat confidentiam, statui igitur sequenti die data occasione talia illi suggerere media, quae mihi nocere non possint, et hinc eo ad prandium adscito post varias loquelas ipsemet reassumpsit praeteritae diei oblata, ipse petiit, ut suggererem occasionem et eliberationis meae media, pro qua se vitam suam expositurum asserebat. Nec igitur occasionem negligere volens, reposui mirari me, se a me petere haec, quae in potestate ejus sunt, qui supremo fungitur in arce imperio. Quid facilius, quam simulare, se ab Imperatore accepisse mandata, ut me in arcem Grecensem transferat; ordinet proinde currum postarium et mihi nocturno tempore excitato coram officialibus suis denunciet simulatum mandatum; faciat insidere rhedae postariae duos subalternos officiales adusque vadum fluvii Laitha, qui non procul a portis civitatis profluit, et dum ad ripas ejus pervenerimus; jubeat recedere insidentes sub praetextu comitivae nos in adversa rippa exspectantis: sic enim delusis illis cum omni securitate iter nostrum continuabimus in Italiam, et si semel Venetias civitatem neutralitatem inter Gallos et Germanos jam belligerantes observantem pervenerimus, facile ad exercitum Gallicum transibimus. Attente auscultabat ille proposita, et ad melius ruminanda ea tempus desideravit; interea ego quoque diem noctemque inter complures cogitationes transegi, nec me dictis et prolatis quid periculosi aggressum fuisse opinabar; videbatur enim mihi modalitatem prolatam prodesse plurimum, nec obesse posse; quodsi enim etiam non successisset, statui simulare me non fugam intentasse, sed denunciato mandato Imperatoris obtemperare voluisse; quapropter anxius exspectabam resolutionem ejus, de qua sequenti

die ipsemet loqui coepit; sed prolata exequi detrectabat, non tam solidis rationibus adductis, quam simplici renitentia declarata, quae mihi suspicari fraudem fecerat, quam dum ille advertisset, repetitis juramentis et assecurationibus conciliavit animum meum, et appromisit se malleos et forcipes ad rumpendas crates, funem ad descendendum per fenestras et ipsam clavim vivarii ferarum, quo arx muro circumdata adusque civitatis moenia cingitur, suppeditaturum. Quae promissa subsequentibus diebus re quoque effectuavit, et quamvis plurimae difficultates se opponebant, serio tamen cogitare coepi de evasione mea per fenestram. Descensus ad fossam aquae plenam sat altus fuerat, aquae profunditas mensurata quatuor pedum et ultra fuerat, sed in descendendo fune a muro violenti pedis ictu semoto sperare poteram posse me pertingere ad pontem cancellis cinctum, qui circumdabat arcis fossam et ad capiendas truttas (quae diligenti cura nutriebantur in circumfluentibus limpidissimis aquis) destinatus fuerat; sed hac difficultate superata alia successisset, pons enim gradibus et clausis portis separabatur, et fossae muro distinguebantur in diversorum piscium vivaria, et horum unus (angustus et in declive utrimque tectus) scandendus et per eum fossa transeunda fuerat, antequam perveniretur in ferarum vivarium, cujus portarum claves suppeditatae fuerant mihi. Exiguam proinde successus habebam spem; tu tamen fovebas illam, et illa lactatus uncos craterum studebam evellere, ut iis, qui latera earum et ima tenebant ablatis, superioribus relictis, a muro se amoveri paterentur, et sic mihi ad descendendum spatium patefieret; sed quia de die tribunus centurionis quoque me invisere solebat, qui militaris disciplinae fuerat observator acerrimus, ut opus meum celarem, e denigrata cera confictos uncos pro veris reponebam. Horas integras consummabam ad vesperum in hoc opere, quod plus patientiae et tarditatis quam virium desideraverat; fessus laborem ephebo meo Bersevitio commisi, qui operis quandoque impatiens, et vere durae cervicis juvenis, a me si corripiebatur, ictus mallei tam vehementer impingebat, ut vere solummodo te impediente, Domine, effectum fuerit, ut a vigiliis et vicinis sonitus ferri non exaudiretur. Iam cuncta disposita fuerant, et equi comparati jussa exspectaverant; sed supererat

desiderio uxoris satisfacere, quae extremum vale mihi dictura omnia tentare se resolvit, ut ad me pervenire posset. Nolui huic periculo exponere centurionem, quod si enim cum suppeditasse medium rescitum fuisset, eliberationis meae spem poenitus amisissem; suasi proinde uxori, ut tribunum Kertzel, Viennae in suis negotiis aliquot diebus commorantem, disponeret et donariis aggrederetur; quod ubi factum fuisset, res pro voto successit. Conventum fuit proinde, ut die statuta uxor mea rhedam rusticanam ad instar plebeae foeminae vestita conscenderet, et ad suburbia Neostadiensia divertens pedes veniret in arcem. Exspectabat illam tribunus ad portas, et sub affinis suae specie prius in proprium hypocaustum introduxit et demum vespere facto in meum immisit, vigiliis persuasis sinere se mihi prostitutae foeminae commercium, qui juvenili et ea nimia incontinentia adactus longiorem captivitatem alioquin supportare nequirem. Merebatur, o Domine, bonitas tua a Christianis conjugibus gratiarum actionem pro tanta utriusque consolatione, miseriae enim nostrae augebant affectum, et alioquin jam a compluribus annis in decenti conjugali amore vivebamus. Sed, heu Domine, poenitens confiteor tibi, quod nosti, procul profecto fueras ab ore et a cordibus nostris, quamvis fere totam noctem in mutuis amplexibus et colloquiis transegimus. Convenimus inter caetera, ut subditum meum quendam aurigam ad exploranda mitteret itinera, per quae me ducturus erat; ut equi post octiduum in diversorio nominato exspectarent, et ille, quem ego conscensurus eram, in ipsammet civitatem duceretur a fratre centurionis Leman ad viduam quandam, quae sola inhabitabat domum suam; et sic diluculo apparente inter lacrymas et singultus abinvicem separati sumus. Occurrit hic mihi, Domine, detestabilis actus meus, ad quem paucis ante exitum diebus me resolveram, quia te me offensurum non credebam, sed vere peccavi, quia Deos alienos quaesivi. Fuit captivus mecum Baro Stephanus Szirmai vir magnae prudentiae et ingenii, sed dubiae religionis, quam pro statu et mutatione temporum saepius mutaverat; is mihi singulariter affectus sciebat intentiones meas, quas ei per varios modos adinventos ad initium, sed demum per liberiorem communicationem cum ephebo meo, consanguineo suo patefeceram. Desiderabat liber-

tatem meam, sed timebat infelicem eventum, et propterea solicitabat me, ut ei indusium aliquod usuatum mitterem, cognoscere quippe se foeminam, cui mittendi modum quaeret, quae, conjurandorum spirituum gnara, ope illorum etiam non succedente inchoato opere, me ex omni dirissima captivitate quoque eliberabit. Haesitabam primum dubius, et artes fraudesque daemonis abhorrens, sed solicitationibus et allegatis in contrarium rationibus seductus consensum praebui. Recordare tamen, Domine, me protestatum fuisse coram te, me ope daemonis et spirituum ut ministrorum tuorum uti velle et consentire, omni implicito et explicito pactui renunciando; vere enim credebam, tunc curiosorum librorum lectioni, cabalistarum figmentis, astrologorum praedictionibus plus ex sciendi curiositate quam persuasione veritatis deditus, posse hominem absque offensa tui, o Deus, ministerio daemonis quoque pro bono fine uti non se subjiciendo sed imperando ei, tanquam creaturae, quae hominis, nomen tuum invocantis, et per illud ei imperantis subest potestati. Novi, inquam, quid de his scriptitant vanitatum scrutatores et mendaciorum scioli indagatores; sed ignorabam, quae spiritus tuus in scripturis novae et veteris legis loquatur de ariolis divinatoribus et similibus superstitionibus tam severa lege vetitis et tot exemplis punitis; scivi ignoranda, et ignoravi scienda. Hinc me trado justitiae tuae, Domine, implorans misericordiam tuam. Nihil mihi superest, nisi ut doleam; tu solus nosti enim, o clementinimus justitiae pater, num et in quantum fuerit peccaminosa ignorantia mea. Justus es et misericors, fac mecum voluntatem tuam, et lauderis ab omnibus creaturis tuis in saecula saeculorum.

Sub hoc tempus cubiculario meo (cui non satis fidebam) quaesito sub praetextu Viennam remisso, mansi solus cum ephebo; et tandem dies advenit ab aeterno a te Deus eliberationi meae praefixus; antequam enim nascerer haec et subsequentia sic decreverat de me aeterna sapientia tua, persequebatur me digne justitia, sed conservabat me misericordia tua; sic enim tu ens entium totus agis in omnia et agunt tecum omnia praedicata tua; ades enim et ines omnibus, quia reples universa. Iam crates ferrea amoveri poterat, et ad descendendum parata erant omnia; sed difficultatibus reliquis omnia

erant inpervia, rogavi igitur centurionem ut mihi vestes similes vestibus desultoriorum Castellensium fieri curaret, quia siquidem frater ejus, rerum mearum conseius, ejus legionis fuerat vexillifer, et saepe ad visitandum fratrem ex stationibus suis vicinis venire solebat. Facile credidi vestitus adinstar desultoriorum suorum ipsum arce egredientem sequi posse, ad quam modalitatem ipse quoque consensum praebuit. Equi mei cum reduce auriga advenerant die Dominica ad vesperam 6. Novembris Anni 1701. ad diversorium in suburbiis Neostadiensibus portae vicinum; sequens dies lunae jejunii fuerat, et proptarea desultorio, qui ordinatus fuerat, ut cibos meos pararet et domestica curaret, demandari curavi, ne me aegrotantem turbaret tota die adusque vesperam, nisi vocaretur. Conventum fuerat, ut ephebus, saepe cum filiis Castellani in horto arcensi deambulare solitus, per posticam portam illis non advertentibus eggrederetur et concenso equo in diversorio continuaret iter, nec me nisi ad angulum muri vivarii, ubi fluvius transvadatur, exspectaret. Et haec ad vesperam adventante crepusculo fieri debuerant, quo imminente tua inspiratione factum est, quod opus hoc totius vitae meae periculosissimum aggressurus coram imagine cruci affixi filii tui redemptoris provolutus auxilium tuum corde vere devoto imploraverim, et voluntati tuae meam resignaverim; et vere tu confortasti me in tantum ut, mente et animo sereno et prorsus imperterrito peregi omnia. Transeundum erat mihi ex meo hypocausto ad centurionis Leman cubiculum, quod a meo tantum angusto ambitu separatum fuerat, in quo vigil desultorius adstare solebat portae; oportuit ad hoc, ut ipse Leman juberet ipsi, ut ad accendendam candelam discederet, quod cum vigil pro more militaris disciplinae facere recusaret, ipse centurio sclopo ejus accepto functurum se munere suo assecuravit; et sic vix ille egressus est, ego transivi in cubiculum centurionis et post murum fictilem vestes mihi praeparatas indui. Iam ephebum arce egressum credidi, dum ecce ipse adest nuncians portam esse clausam, et nullo modo se egredi posse prout conventum fuerat. Non exigua fuit haec turbationis materia; sine ipso enim elabere non videbatur consultum, ne se derelictum videns et futura mala praevidens indi-

caret evasionem meam. Procrastinare rem periculosum fuerat, proinde ex arena sumptum tentare oportuit consilium, ut nimirum directe per magnam arcis portam tentaret transitum et interrogatus responderet, se me aegrotante ad confessarium meum Iesuitam missum esse, ut eum venire juberet. Injunxi praeterea ei, ut si exire posset ad portam civitatis, civibus custodibus diceret, se esse officialem legionis Castellianae, remansisse in civitate desultorium suum ebriosum in popinis, qui si post se veniret, dicerent ei se praecessisse. Exspectare oportuit igitur excessus ejus successum, quamvis longa apparuerit mora; sed periculis supervenere pericula; volebas enim magis magisque manifestare mihi potentiam tuam, o Deus, probare me et reddere debitorem pro gratiis tuis. Solus centurio Leman, frater ejus et ego eramus in cubiculo, dum ecce vexillifer arcensis custodiae, qui paucis a tunc diebus in vicem tribuni Kertzel (qui ad bona sua invisenda obtinuerat licentiam) ordinatus fuerat, tam inpraevise advenit, ut vix tempus habuerim cum fratre Leman post fictilem murum recedere. Erat vexillifer miles rudis et provectae aetatis, gestorum suorum strenuitate ex gregario per gradus in officium provectus; praesentia proinde et adventu inopinato perterritus Leman non colloqui cum eo, sed balbutire et suspiria ciere coepit mente confusissimus, et currens ad mensam actu imprudentissimo exstinxit candelam; ignarus igitur quid ageret, deambulare coepit in cubiculo, et fratris juvenis, qui mecum latebat, vix 18 annorum puer, augebat timorem anxietate sua; jam iste quoque ex imo pectoris trahebat suspiria, et confusa musitatione quid facto opus, a me sciscitabatur. Sed misericordia tua confirmabat me, o Domine, et dicam, ut glorificeris a legentibus haec, quod non plus me moveri senserim in tanta angustia, quam nunc dum haec me scribere facis; tranquillo igitur et faceto vultu imponebam ei silentium, et subridens explodebam vanum metum ejus. Quadrantis horae ferme spatio agebantur haec, et jam ipse quoque centurio reassumpto animo proposuit vexillifero, num secum visitare vellet reliquos captivos, et non exspectato responso egressus est uterque. Quapropter nec ego quoque ulteriores eventus exspectandos ratus, dum juvenis meus novum hausisset spiritum, et mentem recollegisse animadvertissem, jussi praecedere eum,

et ipse humeris sacco, in quem pallia imponi solent, imposito onustus prosecutus sum. Transeunda erat pergula, qua arx interior circumdatur, et in ea excubabant vigiles captivorum mecum nobilium, quorum tum singuli unus ab altero suas accendebat candelas et obviabat mihi, sed denigratis superciliis et mustacibus securo et truci vultu despiciens eos progrediebar, et sic septem post me relictis vigiliis arce feliciter egressus sum cum praecedente puero, qui dum se liberiorem sensit gemitus suos de novo inchoavit, et quid facturus esset, num in templa aut monasteria se salvaret, a me petebat consilium. Urgebam igitur gradum, et hinc domum viduae pervenimus, ubi sacco cum celeritate et semper per gratiam tuam hilari animo alligato equum conscendi; et ipse Leman, prout conventum fuerat, remansit, ut redam rusticanam eum exspectantem extra urbem conscenderet, et posteaquam uxori meae felicem eventum eliberationis meae denunciasset, diligenti itinere Brandeburgicas ditiones pro salute sua peteret. Adfuisti mihi, o aeterna bonitas dulce solatium animae meae; vere enim si inter tot pericula uno solo momento defuisset mihi singularis cura tua, actum fuisset de libertate mea. Conscendi equum et viam portae in ignota urbe me scire credebam, sed ingnoravi; errabam igitur de platea in plateam et in tales angustias perveni, in quibus domorum vicinitas eam, per quam gradiebar, redegit in angustam semitam curribus inperviam; hinc errore sat tarde percepto redux aliam ingressus sum plateam, quae me recto tramite reducebat ad arcem; non audebam interrogare portam ab obviis, ne suspicioni locum darem; fingebam igitur ebrium, et equitando corpore jam in dextram jam in sinistram in declive acto, plebeas cantiunculas rauca ebriorum voce simulata murmurabam potius, quam cantabam, ut errore continuato daretur perquirendae portae praetextus. Sed cuncta felicius, quam opinabar, evenerunt; te enim, o Domine, sic ordinante in supradicta platea juvenem Leman habui obvium, qui redibat ad arcem imprudens, ut fratri suo abitum meum felicem denunciaret, qui me improvise advenientem sibilo monuit et plateam recta ad portam ducentem levato brachio demonstravit. Iam candelae passim accendebantur in civitate, et quamvis jam viae securus equum ad celeriorem passum stimulaverim, in ipso momento

perveni ad portam, quo ad claudendam eam pro solito more ad arma accurrebant vigiliae, et hirsutam trabem seris occludendam detrahebat vigil, quod primo aspectu ad transitum meum impediendum fieri ratus magis perculsus fuissem, si me allocutus non fuisset interrogando, num ex legione essem castelliana, rogasse enim eos Capitaneum, ut advenienti desultorio suo dicerent se praecessisse. Ad quod dum monstrato vestitu et temulenta voce respondissem, trabe elevata transitum patefecit, et sic laqueus contritus est, et ego eliberatus sum et ad vadum destinatum ephebum exspectantem me deprehendi; unde citatiori gressu suscepimus iter, quod fortior imber et ingruentes tenebrae reddebant difficilius; equos quoque uxor non ad currendum exerceri sed impinguari jusserat, sic aptiores futuros credens, quam si frequentiori equitatione maceriores fierent, et propterea illi quoque lutosas vias ingressi breviores trahebant halitus; omni momento augebantur tenebrae, quas coelum nubibus undique tectum reddebat spissiores. Sed his omnibus pejor erat ductoris aurigae ignorantia, qui semel tantummodo peragratas vias tam exacte nosse non poterat, ut in tenebris quoque earum securus esse potuisset. Habebamus quidem surdam laternulam, sed ventus et supervenientes pluviae saepissime exstinguebant candelam; et sic bis ducti fueramus ad lacus Nisideriensis, aut, ut Germani vocant, *Neusiedel*, palustria, in quibus nos esse tunc advertebamus, dum coeno et luto impediti corruebant equi nostri, et eos ipsimet pedites retrahere debebamus. Sed tandem te, Domine, dirigente vias nostras advenimus in suprafatam urbeculam, in qua redula rusticana tribus equellis praejuncta nos exspectare debuerat aliquot abhinc diebus apud hospitem sibi notum a juniore Leman ordinata pro officialibus legionis, qui ad nundinas Freistadienses ad comparandos equos ire debuerant, Iam hora noctis facile secunda fuit post duodecimam, si me non fallit memoria, et quamvis praejunctionem equorum urserim, tergiversationes hospitis et varia quaesita impedimenta retinuere me adusque 4. Equos igitur aurigae datos inde deserui ob pinguedinem ad longius iter ineptos; nec amplius fugiendi, quodsi quis insecutus fuisset, spes supererat. Redulae rusticanae, ut dixi, insidebamus ego et ephebus, qui superiorem agebat officialem, ego

vigiliarum magister eram; sed continuantes adusque diluculum tenebrae saepe nos deviare fecerant in vastis et incultis campestribus *Nyulas* ab incolis nuncupatis, viae enim parum frequentatae undique herbis tectae celant orbitas; et aliunde nec arbor nec ullum signum, ex quo itinerantes se recolligere possent, reperitur adusque ripas Danubii, quem ad Samariam in insula Schütt sitam in navibus trajicere debebamus; nec eo citius, quam hora 11. antemeridiana appulimus. Sed parum juvit properasse nos, ventus enim validissimus navis in adversa rippa existentis praepediebat transitum; nec nos clamor nec pecuniae ostentatio juvabat, nec alius transeundi modus supererat, sed exspectandum fuit adusque horam 4. pomeridianam, donec scilicet sedatus ventus transeundi fecit copiam. Tu dedisti, o Deus, moram hanc et in tam arduis necessariam patientiam, defendebas ne prosequerentur; et sic superatis ternis Danubii alveis, quibus insulam amplissimam cingit et dividit, sub occasum solis advenimus in pagum Csekle̋sz, ad quem tendebamus propter postam, quae per eum transit. Quia vero saepe elapsis annis iter illud regulatis postis per montana Hungariae directum frequentaveram, ut ignotus transire possem, domum magistri postarum ingredi verebar. Substiti igitur in medio pagi et ephoebum ad petendos equos misi; sed nec hanc moram sine periculo transegi, insidebam quippe solus currui et circumspiciens facile agnovi legionis castellianae desultores, quibus pagus plenus erat, et ipsimet fuerant, qui pauco ante tempore Neostadio advenerant aliis in vicem illorum illuc missis; nihil igitur superfuit, quam ut pallio involutus somnum fingerem adusque adventum ephoebi, anxie metuens, ne quis curiosorum militum ad quaestiones formandas currum accederet; longa igitur interjecta mora vidi tandem redae postariae insidentem venire ephoebum, et sic ephippiis et sarcinolis pauco labore transpositis maximam difficultatem postae habendae superavimus, ad quod singulari dispositione providentiae tuae opus erat; mos enim est, et strictiores renovati fuerant ordines, ne postales darentur equi iis, qui passualibus literis instructi non fuissent. Oportuit igitur ebrium esse postae magistrum et pecunia egere propter rariorem cursorum frequentationem, et his duabus causis tanquam instrumentis usus es, o infinita bo-

nitas, ad facilitandam evasionem meam; nihil ergo amplius requirebatur, quam ut me in domibus postariis, in quibus aut prandere aut noctare olim solebam, plus quam in aliis occultarem, ad quod nihil melius ratus, pro more ebriosorum militum relicto domino ad cauponas et diversoria secedebam et transeunti ficto domino jungebar. Notabilis inter reliquos locus fuit urbecula Bajmócz, quo die mercurii sole ad occasum vergente perveneramus, et ego inedia confectus (propter diei lunae enim jejunium a die dominica nihil praeter buccellam panis et haustum vini in *Neusiedel* sumpseram) pro solito more in cauponam Judaeorum (nec enim alia ibi ob frequentiam horum incolarum reperitur) diverti. Urgebat stomachus, quem haustu moderato cremati satisfactum iri ratus mihi solidi pretio dari jussi; sed vere expavi ad majoris, quam credideram, propinati potus mensuram, quem libando bibere militem novum quid apparere potuisset Judaeo, haurire autem non audebam. Haesitavi proinde tantisper, sed tandem ad potandum aut potius ad deglutiendum illud adinstar desultorii me resolvi, et paulo post tempore tanto stomachi ardore correptus fui deficiente ex ore saliva, ut totius cursus mei tempore, qui duabus noctibus et tribus diebus duraverat, non computando rusticanam vecturam adusque Cseklészium, nec buccellam panis deglutire potuerim, sed continuo *aquarum* acidularum, cerevisiae, vini et lactis potibus sustentabam me adusque limites Poloniae, in quod regnum nos ire ad comparandos equos simulavimus. Sed longo discursu opus fuit, ut equi darentur mihi ab ultima posta, ubi via regia deserta ad urbeculam Podolincz, tredecim oppidorum e Hungariae regno reipubliae Polonae olim a divis regibus appignoratorum deflectendum fuerat. Inane fuit reditus nostri facere spem, donec ephippia nostra pignoris instar relinqueremus: quo facto res pro voto successit, et, si bene recordor, die veneris circa meridiem feliciter in praefatam urbeculam pervenimus. Securam in illa mansionem promittebam mihi, sed ubi a hospite diversorii relatum audivissem, dietim advenire et divertere solitos officiales Germanos e vicinis stationibus circumjacentibus, de securitate mea melius statuenda cogitabam. Non ignotus fuit locus ephoebo meo, qui bonis parentum suorum in vicinia sitis pro commoditate studiorum, quamvis Lutheranae sectae sequax

fuerit, humaniora tamen studia in collegio patrum, ut vocant piarum scholarum, ibi fundato frequentaverat; decrevi proinde hospitium quaerere in eo ad securius pernoctandum, et praemissum juvenem instruxi, ut se officialem Imperatoris fuisse diceret, sed duellasse se cum alio, quem occidere contigit, et propterea cum fidele sibi vigiliarum praefecto salutem in fuga quaerere coactum fuisse; nec enim amplius quaestio fuit in foro conscientiae meae, num mentiri liceat; postquam prima repagula, vitam mendacio salvari posse credens perfregissem, innocentia esse statuebam mendacia, quae in detrimentum proximi non vergunt; nec mendaciorum patri difficile fuit mihi suggerere illa, quibus indigebam, et quae suum sortita sunt effectum. Adhuc professorem suum in vivis reperit ephoebus meus, qui eum cum caritate et compassione mecum suscepit, et die sequenti cura ejus conductus auriga duxit nos in Poloniam. Non narrabo ego hic curiosa, quibus jucundior effici solet narratio, quamvis non defuerint eventus: non scribo enim pro mundi asseclis et curiositatum sectatoribus, sed pro adoratoribus providentiae tuae, ut videant et stupeant magnalia ejus, et discant se committere ei; videant, inquam, ex simplici et ingenua status animae meae confessione, quam indignus fuerim cura tua, o Domine. Sed tu quam bonus et quam misericors fueris in me; tu agebas quippe ut Deus, ego ut homo; tu parcendo demonstrasti magnitudinem miserationum tuarum, dum ego mihimet ipsi et perversitati naturae, fragilitati, malitiae, denique concupiscentiae deditus irritabam te, et provocabam justitiam tuam. Verum equidem est, o Domine, quod captivitas mea juventutis et juvenilis animi mei fervorem aliquantum tepefecerit et vitae sedentariae, solitudini, regulandis diei horis me asuefecerit; evitabam mala facere, quae mala et peccaminosa scivi, nolui enim displicere tibi; nunquam enim servili animo servivi tibi et ab usu rationis semper me subjeci providentiae et sacro-sanctae voluntati tuae, sed ignorans Christianae animae obligationes eousque ambulabam in tenebris. Hinc sacro Podolincii audito promiseram tibi me ibi fundationem facturum ut qualibet die lunae missa solennis decantaretur de Sancto Spiritu in memoriam eliberationis meae, quod postmodum executioni quoque mandavi per gratiam tuam. Et sic *illinc* discedentesin tra

triduum Cracoviam perveni, ubi desultorii veste deposita, civitatem et in ea constructas superbas ecclesias magis curiosus quam devotus perlustravi. Monstrabatur mihi in arcensi cathedrali Stephani Bathorii sepulchrum, e cujus sanguine me descendisse non tempus fuerat tunc me manifestare; sed quaesita occasione discedendi, conduxi curriculum quatuor equellis projunctum, et Varsoviam petii; ubi me Comitem Bercsénium, fidum mihi amicum (quem ad aulam regis Poloniae Augusti bene haberi et familiaritate principis gaudere adhuc in captivitate audiveram), deprehensurum sperabam. Non mihi supermansit amplius captivitatis et castigationis tuae memoria; delectabar puellarum et mulierculàrum aspectu in diversoriis, et si malum non commisi per actum, non amore aut timore tui retinebar, sed mala corporis et foedas infirmitates perhorrescebam. Sed paulo post Varsoviam perveniens, hunc quoque horrorem superavit naturae meae pravitas. Peccavi enim, Domine, tu vidisti illud, quamvis in occulto perpetraverim; et hunc actum vere scienter ex praesumptione misericordiae tuae commisi, et haec fuit gratiarum actio, quam ego tibi praestiti pro tantis beneficiis tuis; liberasti me e vinculis, et ego spontanee vincula Sathanae reassumpsi. Quid dicam tibi, o dulcedo animae meae, nolo enim quaerere subterfugia, peccator fui eousque; sed peccata vel per ignorantiam vel per violentas passiones amoris inductus commisi; sed in hoc meo detestabili actu nihil horum fuerat; scivi me male facere, in ipso delicto accusabat me conscientia; non amabam foedum scortum, et tamen illud tibi praetuli. Confitebor igitur solummodo tibi peccatum et iniquitatem meam, et per gratiam tuam doleo; sed fac me amplius dolere de eo, plane nihil reperio enim in eo praeter puram brutalitatem, et fors ideo maximum fuit peccatorum meorum, quibus Majestatem tuam offendi; induxit me ephoebi pravum exemplum, qui prior illa abusus est; sed hoc ipsum execrabile est me secutum fuisse illum, quem mihi subdideras, ut ego ad te ducerem illum. Considero haec et examino, ut me plus accusem, et confusus confugiam ad misericordias tuas. Morabar ego Varsoviae in abstrusissimo suburbio Judaeis refertissimo, et studio me in tam obscurum locum duci volui, ut me ad id usque tempus

occultem, donec quid certius de Comite Bercsénio rescire possim; ac propterea legatum Gallicum de Heron adire statui, Gallum enim me fingebam, et ut intentiones meas melius celare possim, imminente festo Sanctae Catharinae simulavi me confiteri velle et propterea ad ecclesiam Gallorum Patrum Missionis Sanctae Cruci dicatam duci desideravi. Accersivi proinde mihi unum ex illis, et postquam quaesitum legatum in vicinia manere edoctus fuissem, rogavi, ut eum adiret nomine meo et diceret ei adesse quendam, qui ei magni momenti negotia patefacere vellet, si colloquii faceret copiam; secretum enim rei desiderat, ne ipsemet in domo ejus appaream. Nuncio percepto adfuit post exiguum tempus legatus, homo liberi accessus, affabilis et omni ministerii sui qualitate praeditus. Haesit attonitus, dum ei eventus meos recensuissem et qualitatem nomenque meum patefecissem, sed animadverti non eum mihi promptam fidem adhibere; reiteravit enim varias quaestiones, et tandem, num Bercsénium noscerem, interrogavit? Et postremo suasit, ut me in securitate esse minime persuaderem, scire regem et legatum imperatoris, tunc praesentem Varsoviae, me e carcere evasisse et in Polonia esse; nihil propterea praetermissurum imperatorem et ejus ministros, contra quos exiguam mihi securitatem futuram; sicarios etiam me metuere debere ex casu, qui Comiti Bercsénio accidit et quem mihi recensuit; sed ubi Comes esset subticuit, appromisit tamen se de eo informaturum et reduci ad vesperam hora sexta responsum daturum. Procul erat hospitium, et lutum Varsoviae praegrande esse solet, difficilisque in tenebris via; impatiens tamen fui rescire quid certius de amico, et aliunde, quod si pro hora destinata non adfuissem, infallibilem de me suspicionem causassem legato. Adfui igitur difficultatibus cunctis superatis, et dum ad domus postam, num legatus adesset, interrogarem, adfuit P. Montmejan, Gallus sacerdos, Missionis et Domus tunc Superior, qui me ad grande coenaculum invitato, donec legatus adveniret, varias de Comite Bercsénio in medium attulit quaestiones, ex quibus facile colligere potui, scire quidem ipsum ubinam esset, sed mihi diffidere; unde e repositorio excepi sigillum meum usuale Comiti notum, quod ut illi monstraret, rogavi. Adfuit redux non multo post tem-

pore, et dum in sat obscuro, ut dixi, coenaculo mecum loqueretur, post tergum meum portam aperiri percepi modo furtivo et strepitum praecavere volenti; quapropter respiciens, postquam eam primo semi-apertam vidissem, cum impetu subito aperiretur, summa cum laetitia vidi Comitem quaesitum in amplexus meos ruere uberioribus ab utrinque profluentibus lacrymis. Omnibus enim his praecautionibus uti debuerat, antequam se cuipiam manifestare potuisset; nec igitur sigillo, nec relationibus fidere voluit, sed me prius videre et agnoscere, quod per portam semi-apertam fecerat, et tandem sic in occursum prosiliit. Tam brevia et tam cito transeuntia sunt hominis gaudia in mundo, ut quid in illis, dum fruitur, sentiat, cum semel transierint, eloqui nequeat; sic accidit mihi in illo casu, quamvis pauca hoc eventu suaviora mihi accidisse credam. Junctus eram illi corde et fortuna; fletum ex animi teneritudine natum amicus risus et joci exceperunt, qui tamen subito in compassionem mutati sunt, qua profecto nimioquam dignus fuerat status ejus, quem facies emacerata, oculi e cavo capitis vix perspicui, barba prolixa, color faciei flavedine praedominante subniger, vestes lacerae e Germanico thorace et Polonica chlamyde composita designabant. Latebat ille in hacce domo a tempore casus sui, quem subsequenter mihi recensuit, et illo perterritus, omnia sicariis *referta* ratus, inops consilii effectus fuerat; desperaverat de salute mea et sic se solum superfuturum ratus, jam Romanas pelegrinationes et, quid scio, similia sub peregrinorum habitu praemeditabatur; petiit proinde, ut noctem in cellula sua peragerem, quod facile impetravit. Quid dicam tibi, Domine, de colloquiis nostris, quae mussitando proferebamus, ne cellam praetereuntes Patres, aut vicinam cellam inhabitantes audirent; Comes enim sub praetextu Litvani Nobilis piis exercitiis vacare volenti solo superiore conscio receptus fuerat in domum. Dignum et vere dignum fuisset, o infinita bonitas, ut unitis vocibus et cordibus gratiarum actione praemissa inchoassemus enarrare infortunia nostra; sed hoc ex parte mea neglectum fuerat, Comitem tamen id peregisse facile suppono; infortuniis enim suis ad te recurrere edoctus fuerat, dum ego longe a te recesseram. Nugae fuerant proinde in conspectu tuo loquelae nostrae, sed

principaliter meae; juvenilis aetas reddebat me insensibiliorem periculorum, quae evaseram; vix intravi, jam claustri impatiens fueram; et vere persuasi Comiti, ut sequenti die in vicinam domum pernoctare veniret; non tam praeteritorum conveniebat nos esse anxios, quam imminentium. Mutatus fuerat regis Poloniae animus, et, primo ministro ejus Beichlingio disponente, regis Galliarum amicitia postposita, partibus Imperatoris adhaeserat. Nullus mihi notus in Polonia, nullus amicus, quamvis per aviam Principissam Bathoream praecipuas domos consanguineas habuerim, sed sub Germanorum jugo vetitum et periculosum fuerat mihi illorum colere amicitiam. Liceat mihi, Domine, tibi confitenti paulisper ad recensendam historiam deflectere; nihil enim ex ea patebit, nisi providentiae tuae opus, qua regis et ad finem tuum hominibus ignotum perducis omnia. Paucis enim nota sunt ea, quae prolaturus sum, quamvis plurimi de iis blaterent; proderit tamen eorum relatio ad veritatem detegendam et contexuendum temporum eventus. Paucis me retulisse memini, Comitem Bercsénium subaudita incaptivatione nostra in Poloniam profugisse; nunc ergo reassumam filum eorum, quae cum eo contigerunt.

Post ultimam conferentiam nostram Ungvárini habitam discesserat praefatus Comes ad bona sua, Brunócz nuncupata, ad fluenta fluvii Vagi 20 milliaribus Vienna sita; et dum nos incaptivabamur, ille cum uxore sua Comitissa Csáki, longe se provectioris aetatis, magna prudentia praedita muliere Viennam iturus iter moverat, et jam ferme ad medium iter Tirnaviam pervenerat, et jam equis carpento praejunctis iter continuare intendebat, dum ei nunciatum fuit Franciscum Szluha a Barone Stephano Szirmaio expeditum et Viennam tendentem advenisse, et ipsi loqui velle; quo ad colloquium admisso relatum fuit illi, se eo momento a domino suo, cujus confidens domesticus fuerat, expeditum fuisse, quo captus a Germanis ducebatur Eperiesinum, me quoque capto; et quia communis fama fuerat inter captivantes Germanos plurimos nobilium in captivandos fore, ubi Comes esset, diligenter investigabatur ab eis; et pari fama dicebatur Generalem Ulenfeldium eo tempore, quo Solarius ad incaptivandum me expeditus fuerat, ad eum cum compluribus partium inferiorum Hungariae nobili-

bus pari sorti subjiciendum exmissum fuisse; et quia Longuevallium captum fuisse Comitem non latuit, facile sibi veritatem loquelae persuasit; et hinc brevi sed doloroso vale dicto uxori statuit Comes repetere Brunóczium, et quid in castello suo actum foret e vicinis montibus inspicere. Profuit cautela, sequenti mane enim vidit advenire Germani militis equitis manum duce Ulenfeldio et castello circumdato perlustrare omnia; sed cum herum quaesitum non deprehendissent, recesserunt arcensibus examinatis. Quapropter veritate sic comperta, Comes moras in Hungaria trahere periculosum ratus, per passum Zolnensem, bonis suis contiguum, paucis domesticis comitatus fugam in Poloniam, evitatis civitatibus et urbibus, per juga montium agressus est; et superatis plurimis praedonum periculis, qui nunquam desunt in illis confiniis, sub titulo quaestorum feliciter regno excessit; et imprimis sub specie devotionis monasterium quoddam Calvariae a peregrinis undique frequentatum petiit, remque suam et adventus causam religiosis aliqua ex parte caute detexit. Ignotus ille quoque fuit in Polonia. sed a Patribus persuasus fuit in vicinia degentem nobilem Mecsinskium invisere, qui in exercitu Polonico officialis supremi in legione quadam vigiliarum praefecti fungebatur officio; asserebant enim Patres, nec abs re, eum Germanis esse infensissimum et aliunde e praeclara prosapia ortum; habere fratrem Capitaneum Vielunensem magna authoritate inter nobilitatem Palatinatus sui praeditum. Placuit opportunum consilium, et Guardiano monasterii ad captandam benevolentiam et adventus denunciationem praemisso ipse Comes secutus est, nec religioso credidisse poenituit; honorifice quippe receptus amicum in Mecsinskio nactus est fidissimum, qui postmodum illum ad notitiam fratris sui viri dignissimi perduxit, negotia ejus apud regem summo cum affectu egit et in omnibus fidelis amici et honesti viri praestitit officium. Agebantur haec tempore, quo, bello Suecico non multis ab ante annis inchoato, rex Augustus contra suprafatum regem adhuc inermem Livonia se sua sponte submittente ducebat triumphos, et Rigam capitalem provinciae obsidione cinxerat. In Italia tunc inchoabatur bellum et imperii Principes inter Galliae Regis et Imperatoris partes divisi, quidam neutrales jam unius iam

alterius captabant benevolentiam et captabantur. Imperator moliebatur, ut in bellum ingrederetur totum corpus imperii, rex Galliae laborabat pro contrario, et propterea componere studebat septemptrionale bellum. Sueciae rex antiquus fuerat colligatus Galliae, Augustus erat tunc potentior, et ad statum rei amicitia ejus qua Electoris Saxoniae, erat proficua. Rex Sueciae in egressu suo e regno Sueciae cum exiguo et sat imbelli exercitu petebat debitorum patri suo subsidiorum restantiam a rege Galliae, quam sine manifesta offensa Augusti rex Christianissimus solvere non poterat; totum ergo ablegati de Heron circa id volvebatur studium, quomodo capra salvaretur et caules. Rex Augustus in suam susceperat familiaritatem ablegatum et favebat ipsi ad invidiam, et hocce favore legatus utebatur quam optime. Offerebat se rex Augustus ad colligationem cum rege suo ineundam, si res suas cum Sueco componeret, qui ne ad extrema redigeretur, consensit cinctam milite suo Rigam intactam reliquere. In his rerum conjuncturis insinuavit Mecsinskius regi Bercsénium, qui ei statum rerum Hungaricarum in clandestina audientia in Biali P. P. Camaldulensium monasterio exposuit, et tam proclivem principem et tam bene dispositum deprehendit, quod si res cum Sueco composita fuisset, de Hungaria armis ingredienda in secretiori regis consilio deliberatum fuerat. Sed aliter statutum fuerat in consilio tuo, o aeterna sapientia; pereundum fuisset mihi in capitivitate tunc adhuc existenti, si bellum hoc in Hungaria exortum fuisset; mutasti consilia principum, et indurasti cor regis Sueciae, qui nihil motus eo, quod Riga sua sponte Augusti liberata fuerit, inopinate fluvium Dunam transivit, Saxonicum exercitum profligavit, et, a domo Sapesiana in Lithvania motus ducente invitatus, Poloniae minabatur. Hi casus inopinati mutaverunt primi ministri regis Augusti Beichling animum, prout dicebatur, notabili summa pecunia ab aula Viennensi devinctum; et dum ablegatus Jordan Parisiis tractatum cum ministris Gallicis subscripsit, rex ejus eo plane tempore suum cum Imperatore conclusit, qui ipsi pacem cum Sueco appromiserat, et se effecturum propterea persuasit, quia regis Galliae sollicitationibus effici nequivit. Proficuae et magni emolumenti fuere conditiones, ad quas aula Gallica

ondescenderat, quae regi pecuniam ad $^{m}_{30}$ exercitus exsolvendam appromiserat; sed Sueco triumphante et progrediente, si se rex Poloniae contra imperatorem declarasset, et exercitu et electoratu suo, unde exercitus iste exsurgere debuisset, caruisset, inter duos ignes ante et a tergo constitutus. Non neglexit hac occasione uti aula Viennensis contra Bercsénium, quem a rege ut vinctus traderetur, in signum amicitiae petierat, sed apertum consensum non impetravit a rege; sed ministro persuasit, qui rem ita agressus est. Lactabatur ab eo spe rerum Hungaricarum inchoandarum Comes, et persuasus fuerat regem ad Imperatorem Turcicum et Tökölium suos misisse emissarios, ut de suscipiendo bello contra imperatorem agerent, et conventum fuisse Tökölius sibi fidum hominem Csestokoviam mitteret, ut ibi cum Comite secretiora conficeret pacta. Suasum fuit igitur ei, ut quanto secretius fieri posset, iter illud agrederetur; subministraturum se carpentum et regium commissarium, qui provideret de necessariis, nec propterea opus esse ut Comes omnes suos secum accipiat famulos. Successit fraus ministri, et Bercsénius *cum* duobus Hungaris famulis et uno Polono, quem sibi Mecsinskius dederat, homine regis, uti ipsi persuasum fuerat, in carpento ministri discessit Varsovia. Itinere biduo plus-minus continuato, dum Petrikovia urbe excessissent per silvas Csestokoviam tendentes, dum pius Comes rosarium recitaret, ecce e silvis prorumpentes equites currum sistunt, pars famulos agreditur, unus ephebum ejus occidit, alter Polonum vulnerat, pars equo desiliens, antequam Comes in arcto carpento arma arriperet, breviori sclopo ad pectus ejus applicato immotum subsistere jubet et manu altera retinet manum sedentis, interea adversa porta carpenti aperta commissarius ad latus ejus insidens exsilit et pacificus spectator scenae subsistit. Credebat eousque Bercsénius haec a praedonibus patrari et de vita minus solicitus de pecunia et sarcinis agi supponebat; sed ubi ab illo, qui sibi insistebat pro curru et funibus mitti socios subaudivit, facile dijudicavit fraudem; levi ergo violentia facta manu dextra, pro qua sinistram porrexerat, liberata, dum agressor ejus, quid ageretur, circumspiceret, in sacco suo conservatum breviorem sclopum arripit, et se tenentem tam feliciter vulnerat,

ut dimisso se illico corruerit. Exsilit ex adverso latere carpenti inermis, dum adhuc reliqui agressores circa onerandos sclopos suos, quos in prima furia exploserant, occuparentur; adfuit in his angustiis constituto fidelis Polonus servus suus, jam bino ad renes et per maxillam vulnere trajectus, equo desilit, frameam subministrat, et qua versus fuga sibi consulat, manu demonstrat. Evadit Comes viarum et locorum ignarus per silvas, antequam reliqui equos conscenderent, alii circa vulneratum versantes, alii pro funibus et curru missi, et recto itinere pervenit ad cujusdam pagelli ecclesiam, parochum clamat, ad ostia templi profugit et eo aperto ingreditur; parocho ingredienti de praedonibus conqueritur, asylum expetit et pro majori securitate a sacerdote in turrim salvatur, cujus porta e sacristia patebat; et revera exigua interjecta mora adsunt persequentes, vociferantur et ecclesiam circumdant negante parocho se vidisse quaesitum. Longo hic assultus durabat tempore, sed postquam Comes diversis vicibus quidquid pecuniae habuerat parocho dedisset, persuasi agressores eum alio fugisse recesserunt; et sequenti diluculo clerica sacerdotis indutus Comes ipso parocho comitante in vicinam urbeculam Studennam nuncupatam ad domum P. P. congregationis Sancti Philippi Nerei deducitur, ubi cum caritate susceptus auriga laceris vestibus indutus procuratorem domus Varsoviam advexit, et directe ad domum missionariorum, ubi ego illum inveni, secessit. His timoribus et angustiis angebatur adhuc me adveniente, tunc enim hic casus contigit, dum ego Cracoviam adveni, et insultores ejus ea via recesserunt, qua ego veni.

Ex his apparet igitur in quanto versabar periculo Varsoviae commorans, legatus Galliae ipsemet ignarus quid mihi et Comiti consilii suppeditaret; rege enim partibus Caesareis favente Magnates scindebantur in diversas factiones, et plurimorum venales animi justam inspirabant diffidentiam. Erat Cardinalis Radiscovski devinctus regi Galliae, sed regebatur a consanguinea sua, foemina pecuniae avida; volebat legatus me in Palatino Belsensis, mulieris virilis animi e domo Lubomirskiana natae, filiae magni Mareschalli regni, notitiam perducere, sed illa aliquot abinde septimanis novercam suam ad thermas

Carolinas in Bohemiam comitata fuerat; nihil igitur melius repertum est, quam ut ad Capitanei Vielunensis, fratris Mecsinskii, castellum Minsk appellatum paucis Varsovia milliaribus distans recederemus, ibi adventum suprafatae Palatinae exspectaturi; habebat enim Comes Bercsénius patentes literas ejus ad omnium bonorum suorum gubernatores sonantes, quibus mandabatur, uti illum ubique recipiant et interteneant; ego cum ipso amici sui Capitanei Saxonis fungebar titulo, et sic ibi quatuor, ut recordor, septimanis permansimus, quod legatus Caesaris resciens novas contra nos minabatur insidias, et a Magnatibus milites ad nos clam capiendos petebat, sed non obtinuit. Ad Natalitia festa venit Palatina Belsensis Varsoviam, et illico de ejus adventu nos legatus certiores reddens accersivit Varsoviam, et me ad illam noctu·duxit, a qua non tantum civiliter receptus fueram, sed et de securitate vitae et omni defensione sub amicitia mariti sui, tunc in bonis suis in Russia commorantis assecuravit; altera igitur die ephoebo suo nobis adjuncto me sub titulo architecti militaris Galli, Comitem pariter Germani architecti civilis misit in Russiam; quo ad exordium anni 1702. pervenimus feliciter, et ut melius occultaremur in praedium, medias inter silvas eremi adinstar occultatum, Moscsenitsa dictum Polonicis vestibus amicti collocati sumus, postquam praevie cum Palatino in vicinis aedibus Mareschalli aulae suae prandium lautissimum sumpsissemus. Hic magnas, ex antiquissima Granov de Simiava prosapia oriundus, eandem mecum per familiam celeberrimam Kostka traxit originem, et sic sanguine quoque junctus strictiori mihi amicitia jungebatur, quamvis et personalem affectum erga me et ego vicissim semper conservaverimus, et adhuc, ut spero, conservemus. Medico proinde suo, Gallo viro, hilaris et faceti animi nobis pro hospite juncto nihil deesse passus est, et ipse ad regni comitia Varsoviam discessit. Sed nec in hac solitudine longam moram trahere poteramus ignoti; nimis enim splendide excepti fueramus, et hinc fama percrebruit Principem Contium ad regem Poloniae, post mortem Joannis cum Augusto electum, e Gallia advenisse et eum a Palatino partium ejus ante ideo addictissimo occultari, ut adjutorio Sueci expulso Augusto thronum conscenderet; sed haec fatua fama non nos loco movisset, si legatus Caesareus rei

veritatem non rescivisset a transfuga ad se thesaurario Palatini Judaeo baptisato, qui cum notabili summa adjutus a dicto legato profugit in Silesiam; propterea literis a saepefato Palatino acceptis, ne in praedio silvis undique circumdato et tantummodo ligneis sepibus cincto diutius commoremur, in castellum ejus Driko transtulimus nos adusque adventum suum Varsoviae una cum Palatina. Tibi soli in arcano cordis gemitu confiteor, Domine, detestabilem statum animae meae, de qua loqui non me puderet coram hominibus, sed vetat caritas, turpitudinem alterius meae junctam enarrare: mortuus fui in anima, quam pro vita corporis conservenda occidi; parce igitur iniquitatibus meis, de quibus gemere nunquam satis possum, evaserant enim habituales et multis annis duravere. Tibi sit soli notum lapsus mei initium et fatalis perseverantiae meae causas, quae me excusare possent coram hominibus et mundo, qui secundum malitiam suam illas prudentiae sanaeque rationis nomine celebraret et extolleret; sed ego humillime rogo te, ut de illis nonnisi in amaritudine et gemitibus cordis meminisse et loqui sinas me; melius enim fuisset me structis insidiis et laqueis irretiri, quam conservari per media tibi tam contraria, quamvis illa necessaria fuerint ad omnia ea, quae postmodum pro patriae meae salute inchoavi et gessi. Ego proinde filum narrationis continuabo pro hominibus, tibi soli detegendo primum mobile eorum, quae subsecuta sunt. Palatino, ut dixi, cum uxore sua adveniente Varsovia longum inivimus consilium, et jam de nobis cum Comite separandis et in dissitas Ukrainae regiones et arces suas mittendis, jam ad Břzezanianam arcem vallis et praesidio munitam locandis nobis agebatur, quae sententia tandem praevaluit: et ego reassumptis Gallicis vestibus et qualitate architecti militaris cum infortuniorum socio Comite discessi, ubi adusque annum 1703. mensem Majum commoratus sum; laboribus muniendae arcis praefui et regi omnia quo meliori modo, quum me revera talem, qualem me esse fingere oportuit, vulgus persuaderi potuit, et profecto quaerentibus me longo tempore latebam hoc agendi modo. Fuit quidam Magnas in Polonia, cujus nomen, quia adhuc vivit, subticeo, magnae prosapiae, mihi pariter sanguine junctae, qui ad instigationem principis Jacobi, filii regis Joannis, qui, sorore imperatricis

Eleonorae Neoburgica nupta, residebat in Silesia, magnae pecuniae summa illi promissa, commissionem de capiendo aut occidendo me suscepisse passim credebatur; quod num verum fuerit, indecisum relinquo. Palatinus tamen Belsensis, quia rem posse fieri credebat, ad arcis custodiam augendam quandoque et incolae civitatenses compellebantur; nunquam enim praedictus Magnas nisi quingentorum plus-minus militum manu comitatus saepe transibat per Břzezanium ad bona sua transiens, augmentabat quandoque hunc numerum, qui ex abjecta et desperata praedonum et plebis fece componebatur, et illorum ope multa in occulto faciebat, quae praedonibus imputabantur. Communem hic regni opinionem refero, non meam, cui tanta fides adhibita fuerat, ut in mense Julio ipsamet Palatina propterea advenerit Břzezanium, ut frequenti aulicorum suorum comitatu et custode milite defendentium arcem augeret numerum. Praetermitto recensere hic quaedam, quae pariter a legato imperatoris rege consentiente contra me molita fuerant, ut ex arce sat secura amoverer; sed quia hic eventus quoque alium concernit, qui ex debilitate animi, non ex malitia consenserat, praetermittendum censui; sufficiat mihi per ejus memoriam novo actu et renovata memoria adorare providentiam tuam, qua vere intrinsece fueram indignus. Quamvis enim in infortuniis existentem suspicabatur me imperator et, bello Italico jam tunc et Bavaricis bellis aggravatus, securior esse voluisset de rebus Hungaricis, saepe mihi offerebat amnistiam haereditatumque mearum restitutionem; sed securum non videbatur mihi nudis verbis fidere, et inter ungues Austriacae domus recidere. Causae propterea, quae me prout amplius recensui suo loco, ad scribendam regi Galliae per Longuevallium epistolam persuaserant, adhuc subsistebant; quapropter liberiorem correspondendi modum nactus, aulae Galliae conjuncturas Hungaricas jam directe jam per ministros ejus du Heron et successorem ejus de Bonac repraesentabam; sed tam exiguam omnium propositorum meorum habuit aula Gallica curam, ut nihil certi mihi promittere nec sperare potuerim. Hinc quamvis arx, ubi morabar, nonnisi tridui itinere distet a confiniis Ungariae et ducatu meo Munkácsiensi, ab omni correspondentia et literali commercio supersedendum duxi, ne vana spe delusis quid si-

nistri causarem. Mensis Aprilis anni sequentis 1703. fluebat, proinde dum solita exercitia et quandoque venationem frequentans domum reverso relatum fuit mihi, rusticos duos venisse ex Hungaria, qui passim domos in civitate obambulantes de me quaesierunt. Quod quidem cum primo intuitu fraudi nos persequentium attribuisset domi se continens Comes Bercsénius, re tamen melius ruminata, statuit causam adventus eorum melius indagare; commisit proinde agazoni suo, juveni vilis conditionis, sed sat acuti ingenii, ut cum aliunde Polonice vestitus esset et linguae gnarus, captaret ansam cum illis colloquendi. Quod cum ad mentem domini executus fuisset, retulit causam adventus eorum majoris debere esse momenti, quam appareret, de reliquo nihil nisi sinceri prae se fert loquela, vultus et modus simplex agendi me inquirentium; jubet ergo eos Comes adduci, et sic ego tunc e venatione superveniens eos in cubiculo deprehendi, qui ubi me e loquela agnovissent, ad pedes meos lacrymantibus oculis singultusque prae laetitia ciente corde provoluti interrupta loquela salutant, securim petunt et fissis fustibus suis, quas pro more rusticorum manu gerebant, missionis suae epistolam producunt. Fuerunt illi Michael Pap et Ladislaus Bige rusticanis vestibus induti Nobiles, qui paupertate ab oppressione Germanorum causata coacti jam plebeorum potius, quam nobilium coetui adnumerabantur. Literae scriptae fuerant a subditis meis, qui subaudita eliberatione mea et ferente fama, quod in Polonia delitescerem, obtestati fuerant eos inter se degentes, ut regnum eo usque peragrarentur, donec me reperto de fidelitate sua me certiorem redderent et de dispositione universae gentis Hungarae, quae gemens et extremos trahens halitus a nutu meo dependet. Asserebant illi non haec nos mirari debere, totus enim populus tanquam grex sine pastore oberrans, ultima desperatione adactus pagatim in publicos confluit coetus, me anhelat, de me loquitur et a me sperat; excessisse e regno Germanum militem, nec nisi in praesidiis subsistere, quae multitudine affectae plebis cincta diu resistere non poterunt; tempus esse tamen ut juventur, jam enim anno praeterito complura millia Hungarorum in legiones nationales redacta educta sunt in Imperium et Italiam, pro quorum supplemento $^{\text{m.}}_{12}$ petuntur a Comitatibus praestanda; sic bellico-

siores e blebe contrahuntur, et si exmissi fuerint domi remanentes senes infirmi et pueri inepti erunt ad serviendum. Non spernenda equidem haec fuit ratio, et motus primos suscitandi magna facilitas apparebat ex relatis illorum, sed ex illis, sine fundamento continuandi belli et spe auxilii inchoatis, magis misere plebis ruina timeri, quam prosperi successus sperari poterant, ut ergo paratos conservemus animos, tempus lucremur et veritatem dictorum referentium indagemus, agazonem supradictum cum illis mittendum mutuis consiliis decretum est, qui cum illis notos circumiret et de mea vita et faventi animo assecuraret; communiter enim credebatur in Hungaria me secreto occisum fuisse in captivitate et tantummodo ad celandam innocentis mortem aulam promulgare fecisse famam eliberationis meae; observaret praeterea plebis animos, Germani militis numerum et praesidiorum statum et complura his similia.

Interea ego rem, quae ad me perlata est, aulae Galliae et Ministris transmisi; fundum pecuniarium ad conducendum militem Gedani in paratis habendum expetii; arma officiales in promptu habendos postulavi, ut ex plebe ferventi et furenti animo consurrectura illico ad stipendia seligerentur aptiores, ex iis formarentur legiones, et ad initium extranei praeficerentur officiales. Sed pari hae proportiones trahebantur desidio prout priores, ignorans num dictis meis fides aut aulae defuerit voluntas; ac proinde converti me ad Magnates Polonos, amicos meos. et Principem Visnovezium Palatinum Kijoviae Potocsium in vicinis eorum bonis commorantes requisivi, ut pro viribus suis quisque suo milite mihi non deesset. Adfuit redux agazo ad finem Maji, et non tantum ea vera esse, quae relata fuerant, confirmavit, sed fama vitae meae in tantam spem erectam fuisse plebem, ut longiori mora contineri non poterit; tempus esse proinde, ut majora edantur signa voluntatis meae et assecurationes me illis non defuturum. Proinde de ceteris quoque, quae commiseram nuncio, edoctus, statui illos, qui cum agazone venerant, patentalibus mandatis instructos remittere et pro signo ultimae voluntatis et resolutionis meae illis aliquot vexilla nomine meo insignita dare, quae accepto mandato levare debebant, ut natio noscat illos arma non praedandi animo sed ex mandato meo

arripuisse. Injungebam praeattactis mandatis, ne praedas agerent, violentias in nobiles committerent, et cetera sanae regulae militari consona et ad conservandos animos necessaria; secretioribus vero ordinibus mandavi, ut in id intenderent, ut pro occasione concertatis modis unum aut plus praesidia obruendo occuparent, novi enim Germanorum praesidiariorum segnitiem et officialium ignaviam, qui plerumque lucri cupidi negligebant militarium curam. Postremo affidavi eos, quod et juramento confirmavi, me illis mandatis meis obedientibus non defuturum, sed procuraturum, ut interea, donec subsidia regis Galliae advenirent, contracto tali quali exercitu ab amicis meis in confiniis paratus subsistam; velle tamen me, subjunxi, ne vexilla fidei eorum commissa erigant, antequam desuper ultima mea acciperent mandata, dari quippe ea illis non ad belligerandum immediate, sed ut illis, quae protulerint, ab ignava plebe fides adhibeatur. Nunciis his mandatis instructis expeditis, ipsum Comitem Varsoviam ad Ministrum Gallicum de Bonac misi, ut res, in quo cardine versarentur, referret, et ut aliquam quamvis exiguam pecuniae summam subministraret per omnia sacra et profana obtestaretur, ut, ejus aliqua parte inter Magnates Polonos distributa, aliquot manipulis desultoriorum et cohortibus Valachorum instructis et his majorum spem faciens, diu contineri nequeunti plebi secundum datam fidem succurrere possim. Diverti ipsemet Leopolim interea ad Palatinum Kijoviae, et quamvis duobus tantum famulis comitatum hinc inde divagari non satis securum fuit, quia res ad finem vergebant, activitate et motu opus erat. Tibi, o aeterna providentia, commissa cura vitae meae, a Palatino pro solito amice exceptus manebam in domo ejus, in suburbiis civitatis edito in loco sita; et ejus quoque aula et custodia non tota adfuerat, dum nuncium accipit Magnatem consanguineum ejus, quem mecum male agere velle ipse quoque suspicabatur, uno milliari distare cum Valachis suis et rogare, ut colloquii causa eum accedere vellet. Perculsus tantisper Palatinus fert ad me relata nuncii; verebatur quippe, ne insperatus adventus illius domini male me de se suspicari faceret; sed prorsus attonitus stupuit, dum ei respondissem me itineris sui socium futurum et omnino non obstantibus omnibus, quae in contrarium dici poterant, conscenso solus

cum Palatino carpento discessimus. Sic ego me tuae coecus commisi providentiae, o infinita misericordia, sed tunc in tenebris peccati existens et sanae doctrinae ignarus nesciebam me sic agendo non confidisse in te, sed praesumpsisse de tua misericordia. Vana generositas et exinde enascenda falsa magnanimitatis imago fuerat fundamentum actionis meae: scivi ex multis actibus illum, cum quo agebam, pari laborare acquirendae reputationis phantasmate, ac propterea cum eo de generositate certare statui. Tu quoque, o verae magnanimitatis et generositatis fons et origo, profecto ita disposuisti vanae delusionis imagines, quae extra te quaeruntur, ut me non fefellerint. In conspectum quippe venientes unus alteri ignotus carpento desilii, et ad amplexus ejus accedens dixi: sanguis tuus, quamvis ignotus sum, quem te persequi me non credente diceris; quod si ita est, ob id te facere credo, quia me aut sanguine aut amicitia tua indignum quid fecisse credis, propterea venio igitur, ut in me te quid dignum esse credas et noscas. Nomine meo his subjuncto quodammodo recessit vere perculsus et rubore ac verecundia suffusus, magna cum reverentia accessit ad amplexus meos, et exinde vere mihi factus est amicus confessusque est ei $\frac{m.}{50}$ aureorum numum appromissa fuisse pro perdendo me; sed se nunquam eo tetendisse, curiosum tamen fuisse, ut pro amicitia sua Principi Jacobo debita ei quid certi de me significare potuisset, sed tam varia fuerant ea, quae illi de me relata fuerunt, dum Břzezanii mansissem, ut in illis certitudinem reperire nequiverit. His demum et similibus familiariter prolatis Leopolim redivimus, ubi temerarii ausus mei eventum anxius exspectaverat Bercsénius, qui reditu meo laetus die sequenti iter Varsoviense agressus est; ego in Holesitze ad invisendam Palatinam Belsensem discessi: opus enim erat mihi in confiniis morari, ut quae agerentur in patria promptius rescirem; propterea tridui fors mora facta una cum Palatina Drosdovitzam ad invisendum tunc Podoliae, postmodum Cracoviensem Palatinum Conskium, virum piae et vere Christianae una cum uxore vitae, transivimus. Vix patentes meae literae et vexilla allata sunt inter plebem, morae impatientes tumultuari coepere et mandatis contraeuntes Curias nobilitares, itinerantesque nobiles agrediebantur erectis vexillis, ad quae

jam plus-minus, ut mihi postmodum relatum fuerat, 6 millia hominum confluxerant, et nomine suo Stephanum Majos bonae nobilis familiae juvenem cum aliis compluribus ad me miserant, ut acta nunciarent et adventum meum urgerent, si primum novitatis avidi populi favore uti vellem. Hi me adhuc in Holesitse invenerant, et propterea iis alio itinere ire jussis tendebam Drosdovitiam. Necdum Bercsénius Varsoviam attingere poterat, dum haec agebantur, et inexpectato reditu ejus ego urgebar ad bellum sine milite, sine officialibus, armis, pecunia destitutus inchoare, aut affidatae plebi deesse. Verum est, Domine, quod in his angustiis a te petebam consilium, quo scelerata vita mea me reddebat indignum; urgebat patrius amor, data fides; stimulabat juvenilis ardor non regnandi sed genti serviendi cupidus; retinebat periculorum aspectus, et diffidebam capacitati meae; prudentia suadebat ad amicos dominos pro promissis cohortibus mittere, Bercsénii exspectare responsum et Gallicum succursum, lactare approximando plebis animum et tempus tempore lucrari, et hac intentione consentiente Palatino quoque strenuo et veterano milite, qui mihi cum tota domo sua fuerat amicissimus. Accepta ad latus cohortis desultoriorum suorum custodum parte lentis passibus iturus 9. Junii moveram, et sic ego proposueram; sed tu aliter disponebas; bidui itinere abfui, dum in urbecula quadam prandens advenit tristis nuncius de totali clade plebis, quae tumultuari coeperat et sine capite furens et praedans ad obviandum mihi venerat in Montana confiniorum; vexillorum major pars victoris cessit potestati, et vix duobus millibus sub residuis signis remanentibus reliquum vulgus dilapsum est, unde tempus urgere ut succurrerem, et nutantes aut potius moribundos praesentia confirmarem animos. Sic subvertuntur hominum te dirigente consilia, quorum tu non es author et adjutor, Domine. Verum est, quod confirmaveris in tam adversis et confortaveris me; et pansis velis ire contra ventos sentiebam me audere; consulebam prudentiam, sed quidquid dictabat ea imminens periculum subvertebat, et propterea rejectis omnibus considerationibus dum memet ipsum juramento obligationique meae tradidi, projeci me in abyssum providentiae et miserationum tuarum, et citatiori quam eatenus gradu procedens die 13. Junii, ni fallor,

Rubiconem transii praemissis mandatis, ut residuus a fuga exercitus me expectaret ad confinia, quem 14. die nempe adventus mei ad ipsam limitum patriae meae separationem obvium habui e 500 hominibus sclopis armatis et totidem fustibus, falcibus et lanceis instructis consistentem; et sic secundum verbum Palatino datum remissis desultoriis suis, ipse fido mihi cubiculario Pasman et duobus agazonibus solummodo ad latus retentis remansi.

Ecce belli Hungarici, e scintilla suscitati incendii exordium, quod te miserante ducente et demum secundum justa judicia tua dissipante septem duravit annis, cujus descriptionis continuationem nunc suspendere jubes, dum me ex hac solitudine evocas et hanc ipsam scenam renovare velle videris. Suscipe igitur, o adoranda providentia, cujus me filium gloriose profiteor, haec, quae ad adorationem tuam incitandos legentes scribenda prout credidi et credo, te suadente susceperam. Hoc opus est solitudinis meae, in quam mortuo rege Ludovico XIV., quem patris instar exuli dederas, me vocasti. Humili recordatione profiteor indignum me fuisse consolationum spiritualium, quibus benedixisti dies meos; glorior in iis tanquam tuis donis; parce, si illis abusus sum; quod si humanam prudentiam, vanitates et pericula dignitatum, instabilitatem earum solummodo considerarem, dulcius mihi foret spretis omnibus in ea remanere; sed si dulcia e manu tua suscepi, cur amara te propinante respuam? Absit hoc a me, Domine, quem triennio sanctis religiosorum domus hujus exemplis, confessarii instructionibus, verbo denique tuo propterea instruxisti, ut noscam obligationes meas, ad quas sequendas oportet promptum esse hominem Christianum. Exul sum, principatu spoliatus et subditis, quos me nunquam derelicturum coram te et sanctis tuis juravi; filii mei orphani et mendici, et tu mihi suppeditas media patriam, subditos et proles eliberandi et multa animarum millia conservandi a captivitate gentium. Excedit captum humanum spes felicis exitus, fateor, sed si hoc non obstaret, dulcia forent non aspera, quae mihi proponuntur; rogavi et obstestor te, ut non sinas illusionibus obfuscari tuam voluntatem unice sequi cupientem animum meum; et pro hoc orationibus, jejuniis, vigiliis, austeritatibus exoravi te, et ut me digniores famuli tui religiosi

exorarent, petii; et post haec omnia sentio confortari cor, et animum meum ferri ad ardua, quae occurrunt et exponuntur oculis meis; quidni credam igitur velle te, ut velim ea, a quibus refragatur proprii amoris quietem amantis stimulus, quem tibi subjectum dum annihilare statui, tibi sacrifico. Accipe in holocaustum voluntatem meam et adjuva, ut ea in altari providentiae tuae igne amoris tui consummatur, et ne imputes mihi in peccatum, si illudor. Justa sunt judicia tua, Domine, et quidquid mihi evenerit, tamquam e manu tua veniens suscipere statui; nihil mihi repraesentatur ad paganorum auxilium confugienti nisi perfidia, captivitas, carceres, feralia theatra, paupertas, vulnera et omnia infortuniorum genera, ad quae omnia te volente subeunda in te confidens et auxilium tuum expetens progredior. Non te interrogo, num me ad haec, num ad principatus fastigia, thronum mihi justo titulo debitum, ad patriam meam et ad prolium amplexus ducas, unum enim et alterum a tua dependet potestate; tuum est velle, quod decrevisti; meum sequi, quo ducis. Haec mihi dictas, en scribo; vis ut exequar, en adsum; nec scire cupio, num euntem in justitiae tuae assumpseris victimam, vel in miserationum tuarum statuere velis exemplum, in uno enim et altero aequaliter manifestabitur gloria tua! Tu sis mihi naviganti per maria polaris stella, o providentia; tu ductor ad proelium, tu solatium in periculis, anchora in naufragiis, tu sola laborum praemium. Mirabilia judicia tua adhuc repeto e sancto monachorum coetu, ducor inter gentes barbaras; stupebunt plurimi, condemnabit me tota quasi Christianitas, non considerans, quod olim Davidem quoque ad populi tui electi hostam incircumcisos Philisteos duxeris; repeto non me quaerere cur hoc facias, nec hominum me sequi velle judicia sed tua, tuum est perficere quae fors in hoc eventu mundi oculis velare voluisti. Quodsi tamen non obstantibus his quae dico, mea sunt, quae aggredior et non tua, confunde illa, Domine, et diffluant ut cera ante faciem ignis omnia opera mea; fiant ut pulvis in conspectu venti cogitationes meae, et glorificeris, exalteris in perditione mea, lubens consentio, dummodo animae meae sponsae tuae te amantis, te cupientis et ad te solum suspirantis misereare. Noli delectari in perditione ejus sed exerce rigorem judiciorum tuorum in corpus meum in

tempore; hic ure, hic seca, quia quidquid feceris semper sperabo in te et amabo te; scio enim peccata mea promereri omnia temporalia mala, quae immiseris mihi, fateor me mereri et aeterna. Et hic me subjicio misericordiae tuae; et dum me in abyssum providentiae, justitiae, sapientiae et misericordiae tuae gratia tua adjutus hilaris projicio, suscipe me, illumina me, et si tibi ita placuerit, adjuva me in iis, quae pro gloria tua, ecclesiae tuae incrementum, proximi bonum aggredior, ut sic per adversa et aspera crucem filii tui bajulans, ingrediar in haereditatem, quam promisit diligentibus et sequentibus se. Amen.

Haec exaravit ante te, Domine, cinis et vermis peccatorum maximus, coram mundo.

Franciscus II. S. R. I. Princeps Rákóczi, tua gratia P. Transylvaniae, partium regni Hungariae Dominus, et Siculorum Comes; Dux in Munkács et Makovicz; Dominus haereditarius in Sáros-Patak, Tokaj, Regécz, Szerencs et Ónod, Somlyó et Lednicze; et in grati animi signum et charitatis pignus Eremitis Camaldulensibus S. Joannis de Grosbois, quorum sancta vita et exemplis ductus et gratia Dei adjutus haec didicit, reliquit conservanda, ut manifestentur mirabilia tua, Domine, et adoretur providentia tua a legentibus, quorum preces scribens expetit.

CONTINUATIO CONFESSIONIS PER FORMAM SOLILOQUIORUM AB ANNO AETATIS XXVII.

Jnchoata Adrianopoli 21. Februarii 1717.
Liber 2-dus.

Reassumo, Domine, opus quod te jubente et adjuvante in beata illa et tranquilla solitudine inchoatum usque ad initium belli Hungarici continuaveram, ut retroactae vitae meae memorans defleam turpitudinem, et opera misericordiae et providentiae tuae laudans nutriam in corde meo debitum tibi amorem. Suscipe, o infinita bonitas, hanc intentionem meam, quae processit a dono misericordiae tuae et redit ad te fontem, unde emanas transit per me, et quo abundantius emanare feceris in cor meum, eo copiosius recipies effectus ejus Non permitte, Domine, ut ego peccatorum sordibus obturem scaturiginem limpidi fontis amoris tui, qui quamvis continue fluit, indesinens tamen est, et donec manaverit, non cessabit esse in corde meo, sicce nec tu a me, nec ego recedam a te: pereundum enim esset mihi sine te, sed hic vel maxime in hoc tenebrarum regno, in quem scio, o salus mea, quod non venerim, nisi quia te me vocasse firma fide persuasus sum. Sine, Domine, ut praesentium memor percurram praeterita opera providentiae tuae, ut ex illis pateat bonitas tua. Revoca in mentem meam ea, et repraesenta mihi peccata, ingratitudines meas, non ut delecter in iis, sed ut defleam illas in amaritudine et gemitibus cordis mei intrinsecis; sed nec hoc efficere possum sine te, gemat proinde in me spiritus tuus de foeditatibus et infidelitatibus meis et exultet ac laetetur in operibus misericordiae tuae; fac denique, ut tibi loquens per te loquar, et te dictante scribam illa quoque, quae te permittente quidem, sed nolente, quin imo te veluti absente ego miser, ille ego mundi, carnis et daemonis mancipium feci, confitear. Miranda et semper adoranda sunt ea, Domine, mihi, quae in praecedenti parte confessionis meae

te revelante scripsi ab infantia mea; humiliaveras me in adolescentia, beregrinum feceras extra patriam, reduxisti me in eam, demum detrusisti in carcerem; eliberasti, exulare fecisti, et ecce miseriis edoctum in thronum principis elevasti! Solus ego duobus famulis comitatus intravi in Hungariam, et tu mihi dedisti omnia, quae statui meo fuerant necessaria; monstrasti quippe potentiam tuam, quod tam facile sit tibi potentes deponere de sede, quam elevare humiles. Et iste fuit effectus spei meae in te; quodsi enim etiam tunc prudentiae humanae consilia secutus fuissem, nunquam tantum opus aggredi praesumpsissem, sed haec fuerunt opera arcanorum consiliorum tuorum; repraesentasti mihi obligationes meas erga patriam ex motivis, quae jam tibi ante captivitatem meam recensui; animasti, duxisti me et rejecta omni periculorum consideratione, tumultuantis vesanae et effrenis plebis manibus me totum tradidi. Non excedebat illa quingentorum peditum et 50 equitum numerum, qui a tribus millibus (aliquot ab inde diebus ad Dolham somno vinoque sepultis percussis ac dispersis) superstites remanserant, et hi ad recipiendum me ad usque limites Poloniae pagum Climetz dictum advenerant. Agrestium inermis manus! Hi mucronibus, illi falcibus, pauci sclopis muniti belli et disciplinae militaris ignari! Et tamen te favente tantillus numerus intra triennii spatium in Transylvaniae et Hungariae regnis ad 75 millium hominum exercitum excrevit. Sed siquidem non historiam scribo, praeteream fortalitiorum expugnationes, felices et infelices pugnarum eventus, militares expeditiones, pacis tractatus, externas negotiationes, politicum status regimen, in quibus tractandis septennium transactum est. Tu solus, o Deus, docuisti manus meas ad proelium et digitos meos ad bellum; praefuisti rectitudini consiliorum meorum, quae a vero fine juramentalium obligationum mearum nunquam deviaverunt; sed omnia haec honestatem et naturalem generositatem habebant scopum, nec profecto te, sed memet ipsum quaerebam in omnibus illis, quae publicis extollebantur laudibus et bonae vitae prae se ferebant speciem. Justus fui, quia naturaliter horrebam injustitias; non ambiebam quidpiam, ut verae generositatis praebeam specimen; thesauros contempsi, egenos sublevavi; sed horum omnium recepi

mercedem, me his thesaurisavi in coelis; haec enim et plurima alia apparenter misericordiae opera naturales fuere instinctus in quorum exercitio cor meum procul fuit a te, o supremum bonum et animae meae felicitas! Actus pietatis, religionis exercebam; sed principalior finis horum fuerat ratio illa status, ex qua principem sine externis religionis apparentiis bene regere nequire credebam. Vitabam mulierum commercium et harum conversationem, et utinam hujus apparentis castitatis quoque tu fuisses objectum; sed hic quoque amor profanus, adulter, impuritates denique meae habituales obtinebant locum tuum et expellebant te ex corde meo. Quid fui, Domine, quid fui praeterquam sepulcrum dealbatum et sub principis vestitu et in ejus throno sedens larvatum daemonis mancipium? Quanto aberam a te, o summum bonum, qui finem actionum mearum non te, sed memet ipsum, sed perversam illam rationem status constituebam. Poeniteat me, o misericordia aeterna, et quotidianis, quin imo continuis defleatur lacrymis actus ille meus barbarus et inhumanus in quadam occasione, in quem senatorum consiliis cum apparentia quidem justitiae ego, qua aequum et licitum, quin imo bono publico proficuum et in illis rerum circumstantiis propemodum necessarium, condescenderam; nec peccaminosum fuisse credens, eo usque oblitus fueram illum, donec tu, o bonitas infinita, habitaculum in corde meo et mansionem praeparare volens, has quoque sordes animae meae oculis demonstrasti. Concernebat ille aliquot centenorum hominum, quamvis inimicorum captivorum mortem, quem cum omnibus circumstantiis mundo patefacere tu scis, Domine, quod non puderet me, sed de circumstantiis ejus cogitare amplius vetitum et prohibitum est mihi, obscuravit quippe eas memoria et tempus; ego quoque patravi hanc levitatem non qua peccaminosum, non conscientiae repugnantem, et hinc ex confessarii mei consilio projicio me in abyssum misericordiarum tuarum cum eo, hic quippe solus et unicus est, quem me ut principem fecisse et dolet et poenitebit cunctis diebus vitae meae. Libera me, Domine, a sanguinibus, et ab alienis munda me; suscipe quotidianas orationes, suscipe jejunia, quae ego a tempore agnitionis hujus actus mei involuti et dubii in expiationem ejus suscepi. Tu, cui omnia sunt

praesentia, nosti quam optime, quid fecerim melius me; revela mihi, siquid mihi latet, et cognoscens obscoenitatem ejus te juvante plus doleam; et fac erumpere torrentes lacrymarum ex oculis et ex corde meo, ut deleam ea, quae de hac re scripta sunt in illo libro tuo, in quo connotata sunt occulta mea; denique hic ure, hic seca, dummodo in aeternitate parcas! Non intro, Domine, ego in judicium tecum, de illo, non contestabor et justificare non quaeram illum dicens, me nihil contra conscientiam egisse, aut malum nec cognitum nec volitum fecisse; abhorreo enim illud, quia tunc conscientia mea regebatur a spiritu erroris, dominabat enim peccatum in corde meo et lumen ejus tenebrae fuerant; et propterea in deliberando non a te petii consilium, sed a senatoribus, a hominibus; quod si enim ad te confugissem, fors misertus fuisses mei et illuminasses me. Hinc principes, quotquot hanc indigni peccatoris principis confessiones legetis, discite primum Dei, demum hominum expetere consilium, ut primo Christianae, secundo status vestri satisfaciatis obligationi. Judicium enim praeprimis Dei, secundo hominum vobis vitandum est, ut et illi cujus imaginem praefertis, et per quem regitis, et illis, propter quos in statum vestrum elevati estis, satisfaciatis. Sed mementote supremum illum cunctis praeferre judicem, qui non tantum vester, sed et populi, quem regitis, dominus, creator et pastor est; juste judicate non in justitia hominum, sed in justitia Dei; et haec charitati illius et proximi conjuncta sit ratio status vestri, ad quam omnia opera, actus et judicia vestra refertote; omnem in his reperietis politicam, nec alia quaerenda est; sit charitas in corde vestro, et consiliarium habebitis fidissimum. Deus enim ipse mansionem faciet in vobis, et vos in illo; quodsi vero peccatum regnaverit in illo, nolite fidere conscientiae et lumini vestro, illusio enim erit, quidquid dictaverit. Sed praevie purificate corda vestra per poenitentiam et sic consulite; in dubiis recurrite ad regem regum principem et dominum vestrum, et voluntatem ejus per orationes, suspiria et gemitus intrinsecos expetite et cognitam sequimini eam contra ipsosmet torrentes humanorum consiliorum et mundi, perseverantes in bono fugientes malum; tum enim in omnibus, quae pro muniis obligationum vestrarum feceritis, spiritus Dei,

qui agit in vobis, adjuvabit vos, et spes vestra in eo erit vera illa confidentia filiorum in patre, et non praesumptio in viribus et sapientia vestra. Utimini justitia et gladio, quem deus dedit vobis tanquam instrumento charitatis, et charitatem proximi colatis secundum regulas justitiae. Estote lenti in puniendo et maxime in fundendo sanguine humano; sed pro zelo Dei nec illi semper parcite, qui enim semper parcit malis, nocet bonis; fidelitatem erga Deum exigite a subditis vestris cujuscunque religionis fuerint, hac enim stabilita securi esse potestis de ea, quae vobis debetur ab illis vi et ex institutione supremi legislatoris. Nolite confidere in homine, qui fidelitatem erga Deum contemnit; nequit enim stabilis esse fidelitas, quae humana et pro ratione temporum mutabilia habet pro objecto et regula. Date Deo, quae Dei sunt, in publicis actibus religionis constituti, et quidem tali modo et corde, ut externis actibus quoque demonstretis esse vos in praesentia domini dominantium; humilietis vos coram illo, prout ab infimo subdito vestro desiderare possetis, ut se humiliet in conspectu vestro. In omnibus functionibus vocationis vestrae et repraesentatione dignitatis vestrae mementote vos esse imagines et ministros referentes honores et reverentiam, cultum denique civilem ad realitatem, cujus similitudo estis in terris; et exigite, quae vobis debentur, propterea, ut aptiores sitis exequi ea, quae ejus sunt. Propterea nolite respuere decorum externum status vestri, pompas et ceremonias, quae imprimunt respectum, obedientiam et humilitatem populo; sed horum omnium non finis estote, sed medium; nec remaneant in vobis, sed sinite transire per vos ad illum, cui vosmet ipsi haec omnia debetis; et sic colligentes omnium ad vos directum respectum, humilitatem et obedientiam, offerte cum illis illi, cui haec vere et unice debentur. Procurate diligenter, ut quisque ad exemplum vestrum ita exerceat functiones vocationis status sui, prout vosmet ipsi exercetis erga Deum; et haec est regula charitatis, quae stricte examinata et parcere et punire docebit vos. Estote semper parati ad bellum, militem conservate pro defendendo grege vestro, adhibentes eos in similitudine canum gregem custodientium; latrant illi, ostentant se, cursitant, dentibus frendent contra gregem vicinantes, sed non

mordent nisi invadentes eum; et si nemo approximat, dormiunt absque gregis et pastoris incommodo semper parati, et quodammodo vigili somno vacantes. Sit charitas collector et dispensator thesauri vestri, quae obligabit subditos dare vobis, quidquid poterunt, et eo magis quo tenentur; sed et vos retinebit, ne eorum posse plus exigatis, et ut ea, quae exegeritis, pro bono et utilitate publica convertatis. Charitas, inquam, sit, quae congregatos thesauros vestros distribuat cum discretione et in mensura status et meritorum, ut quisquis illis adjutus, possit supplere necessitates status sui, sed non excedere per luxum et fastum, qui cangrenae et pestis loco habendi sunt respectu Dei et pro utili et pro bono societatis hominum.

Praesideat denique divina illa charitas in omnibus actionibus vestris et docebit vos omnia; utimini in hoc mundo et omnibus creaturis Dei, omnia enim bona sunt, et pro homine creavit Deus, quem hac ducente semper et in omnibus reperietis, semper praesentem habebitis et omnia vobis data et praestita ad eum referetis et ei continue gratias agentes eritis semper gaudentes, et postquam taliter bonorum ejus veri dispensatores fueritis, e throno temporali thronum aeternum conscendetis. En vera ratio status, qua meliorem quaerere stultum est; frustra sine illa quaeris confessarium, frustra consiliarium, frustra fidelem subditum, frustra verum amicum, frustra bonum et audacem militem, frustra sedulum et fidelem thesaurarium, frustra tranquillitatem, pacem animi. Nihil enim est, quod vacuum cordis humani replere potest nisi charitas, nihil quod passiones ejus refrenare potest, ut statum vocationis suae debite exerceat. Fac, o princeps, quisquis es, erga Deum, quod a subditis tuis tibi fieri desideras, et legem charitatis implebis; age cum illis, prout tecum agi velles, si in statu eorum esses. Quid aequius? quid rationabilius? Et legi divinae ac naturali satisfacies, quod aliunde per alias vias sectari insanum est et assequi impossibile. Delector, Domine, in his nimium, et haec scribens sentio me conjungi magis et magis tibi, (sunt enim tua); fac igitur, o misericordia aeterna, ut et legentes haec participent de gratia tua et imprimant in cordibus suis has charitatis regulas, quae omnibus conditionibus et statibus conveniunt, et per quas

regis corda fidelium tuorum, unis illa tibi et sic regnas in illis et regnabis in illo regno aeterno charitatis tuae, quod pretio sanguinis tui acquisivisti. Sed liceat, o Domine, cum omni humilitate quaerere a te, cur me haec non docueris in illo statu, in quem me collocaveras, ut secundum eas potuissem regere populum, quem vero affectu univeras mihi, et fidelitatem, amorem ejus in multis occasionibus expertus fueram? Verum quid dico, non docuisti? docuisti enim, sed ego docilis non fui, quia non fuisti in me; non fuisti, quia necdum inveneram te; non inveni autem, quia non quaesivi te; sed nec quaerere potui, quia peccatum armatus ille fortis custodiebat domum cordis mei. Oportuit igitur humiliari me denuo, ut recurrerem et peterem a te ea, quae superabant vires meas; tanta enim fuit in me misericordia tua, ut me prius per longinquas terras, per diversa regna, per maria et pericula ducere voluisti, antequam loquereris mihi ad cor. Sed loquere, Domine, ut enarrem et scribam; quanta et quae feceris mihi indigne et peccatori; ut pateant magnalia tua, erubescam ego et confundar in ingratitudinibus meis, humilier in indignis actionibus meis; ut pateat virtus tua in debilitate mea, qua tunc circumdatus fueram. Dederas mihi multarum rerum cognitiones, quas ego nunquam didici, regnorum et principum et statuum externorum scientiam, quibus omnibus ego uti volebam pro utilitate publica; non ambivi principatum et dominium gentis Hungarae, renunciavi omni armorum juri in diaeta Szécsénii congregata. Eliberasti per directionem meam principatum Transylvaniae quoque, cui pariter liberum indixi conventum, ut de rebus suis consulerent, principem eligerent, et hanc ipsam electionem, tu scis, quod nec affectaverim, nec pro illa obtinenda quidquam egerim; et in his omnibus delectabar non qua tuis, sed qua meis, quia genio, quia obligationi meae erga patriam convenientia fuerant. Sed quamvis ego longe fuerim a te, et dietim repellebat amor proprius amorem tuum, quid faciebas? Confundebas omnia consilia mea ab extra, et in nulla extranea potentia reperiebam axilium; offerebas, aut potius probabas me oblatione coronae Poloniae primo per Cardinalem Primatem Regni ante electionem Stanislai, tunc Palatini Posnaniae factam, secundo per Czarum

Moscoviae post abrenunciationem Regis Augusti. Consentiebat ei respublica, invitabat me magnum consilium et supremus dux, minabatur mihi Czarus, si non acceptavero; sed coronae quoque Poloniae restitit amor in patriam, vel verius dixerim amor ille proprius, qui gloriae suae duxerat pro obligamine suo in patriam respuere coronam Poloniae, cujus res pro differenti ratione status regnorum incompatibiles tunc fuerunt cum bello Hungarico. Tu, o bonitas aeterna, feceras quoque, ut eligerer in principem Transylvaniae unanimibus votis, sed quia noluisti, ut hanc electionem respuerem, manifestasti mihi factiones Tökölii, in cujus reductione in patriam ego sincere laboraveram, et ille supplantationem meam moliebatur, et hinc timebam, ne rejecta in illa a me in illum deriveraretur electio, et in acceptatione ejus non renui tibi, sed me tibi tradideram in illis, quae sequela ejus repraesentabat mihi. Dubitaveram jam tunc de felici exitu belli Hungarici propter armorum Caesareorum contra Bavarum et Gallum ad Hocstet obtentam victoriam, nec amplius sperare poteram conjunctionem meam cum illis, nec Electoris Bavariae in Regem Hungariae electionem, in quam tanquam in bonum publicum sincero animo tendebam; et hac frustratus spe, nullum mihi supererat medium obtinendae Transylvaniae per pacificationem cum Domo Austriaca. Viceversa repraesentabam mihi juramentum, quod Status Transylvaniae exigent de non renunciando principatu, cui cum tempore vel contraveniendum erit vel exulandum vi Caesareanorum praevalente; quodsi vero horum unum et alterum evitare voluissem, recurrebant quae Tökölii electio, me non acceptante principatum, secum trahere poterat utrique regno, unioni animarum et religioni tuae ac ecclesiae praejudiciosa et contraria; et his, inquam, motus tradidi me tibi, commisi me curae tuae, et oblationem principatus per legatos Statuum factam acceptavi. Hanc acceptationem subsecutus fuit Conventus Szécséniensis, in quo, ut supra dixi, deposui authoritatem omnem et dum libertatem integram agendi et de statu gubernii sui disponendi prae manibus Statuum futuram declarassem, ut civem me in posterum adesse velle declaravi. Tantum est, Domine, amoris proprii incitamentum, tantum sibi complacendi in homine desiderium, quae historiae

tantis celebrant encomiis, et antiquitas tantis extollit monumentis, a quorum quaestu et ambitu humanus nequit desistere spiritus absque gratia tua. Tu porro, qui totum hominem possidere cupis, hunc Isaac tibi immolari praecipis. Sed desiste haec in me extollere, quisquis rerum a me aut potius per me gestarum scriptor fueris, quorum poenam nonnisi morte unigeniti filii sublatam esse voluisti in genere humano, nisi in me virtutes paganorum laudare volueris, quae Christiano indignae sunt. Miser es, o homo, quisquis mercedem laborum tuorum a temet ipso quaeris et aeternae retributionis cares objecto, id est, illud firma fide non credis; quodsi vero de illo persuasus es, nimisquam insipientem te esse oportet, qui temporaneam mercedem promissis Dei praefers. Dic de me, qui haec legeris, et miserum et insipientem fuisse, non laude sed compassione dignum, quod tantum temporis spatium, tantas occasiones et tot talenta inutiliter transegerim, neglexerim et infoderim. Memoro haec, quamvis necdum finem vacuis ictibus verberandi aëris imposuerim; saepius enim, quin imo omni die dolor dispendii temporis mihi repetendus foret, aliquot annis enim et subsequenter remanseram in coecitate mea, te enim seu volente, seu permittente solemnis illa confoederatio Statuum Hungariae subsecuta fuit declarationem meam, a qua ego in ducem confoederationis una voce et uno animo proclamatus fueram, et tanta in me gens ferebatur confidentia, ut authoritatem et potestatem meam illimitatam reliquerit. Solemniter haec, pontificante sub tentorio Episcopo Agriensi, cum invocatione S. Spiritus et subsecutis gratiarum actionibus peracta fuere, postquam solitum juramentum in leges et libertates et subsequenda confoederationis statuta manutenenda deposueram, ad quod fideliter exequendum et manutenendum, tibi cognitum est, num plus propter datam tibi fidem vel incitante amore proprio et honestate ferebar. Tibi cognitum est, repeto, quoniam etiamsi omnes meas actiones non ad te direxeram, non tamen rejeceram fundamenta religionis, quae per erroneam conscientiam obfuscata permanebant in corde meo, prout scintilla cineribus coperta; ipsum enim malum, quod feceram sub specie indifferentium actuum, plerumque repraesentabatur mihi; dubitare de quibusdam, alia ignorare malui; sed quia

lumen fugi, veritatem non quaesivi. Unde fuit, praeterquam quod te lumen et veritatem aeternam non amavi, fodi mihi cisternas, quae continere aquam non valebant, et te fontem aquae purae non quaesivi. Fors non male dixi fuisse scintillam in corde meo, quae me horrere faciebat scelera et publica scandala; nec malum quod potui faciebam, sed quantus cumulus cinerum amoris proprii, impuritatum impediebant calorem et effectum scintillae illius, quam tu miserante bonitate tua tandem eruisti. Laudat te anima mea, Domine, et gratias refert tibi, quod eam exstingui non permiseris, in cujus suffocatione ego omni propemodum momento laborabam. Fovebam ego in corde meo aliam profani adulteri amoris flammam, *quae* jam ante aliquot annos excitata adusque finem belli Hungarici alebatur multis perjuriis, mendaciis et nefariis turpitudinibus, ad quas ex depravatis illis politicis rationibus, quibus mundus uti contra legem tuam permissum esse credit, inducebar et publicum scandalum praecavendo in id intendebam, ut mihi persuadeam peccaminosa non esse, quae si possem nunc sanguineis deflere lacrymis! et pro iis expiandis lubens tibi quidquid patior, et in hoc mundo pati possum, offero. Reage, o misericordia aeterna, dolorem meum de iis, et miserere mei, saepius enim mihi haec memorare oportebit. Ecce vera dispositio mea, in qua gubernium regni Hungariae agressus sum et principatus Transylvaniae electionem acceptavi. Primum et difficillimum opus meum fuit inter orthodoxam religionem profitentes et Lutheri Calvinique errores sectantes subortas discordias sedare et animos conciliare, inter quos aula Viennensis per emissarios suos copiosum diffidentiae semen seminaverat, persuadendo illis me secreta cum Rege Galliae inivisse foedera et illis exstirpationem illorum spopondisse, quodsi arma mea cum illius exercitu conjungendo hunc in regnum induxero. Profundas haec opinio agebat radices, quam ego praecendentibus annis spe futurae satisfactionis evellere intendebam; saepe enim deventum fuerat ad violentas templorum reoccupationes, ad quorum restitutionem tamen semper persuaseram occupatores, praetensionem ad publicum subsecuturum suo tempore Conventum Generalem Statuum relegans; ad quem posteaquam deventum fuit, rem tot juramentis

promissam in futura tempora relegare et nefas et periculosum fore credidi. Fundabantur praetensiones partium in pacificatione Tyrnaviensi a proavo meo Georgio Primo cum Ferdinando imperatore et rege Hungariae conclusa et regni statutis legibus inserta, vi cujus Protestantibus 90 templa concedebantur, quae demum illis potiori ex parte partim Diaetarum Soproniensis et Posoniensis articulis, partim vi ablata fuere. Sed quia has duas Diaetas in plena libertate celebratas non fuisse compluribus libertatibus regni praejudiciosis articulis statutis demonstrari poterat, inter arma et animos ex zelo libertatis concitatos pro legalibus haberi et manuteneri non poterant. Magnates et potiores erant Catholici, Clerus Hungarus dominandi et cupidus et asuetus; minor nobilitas cum potiori militantium manu praenominatos sequebatur errores et auctis a diffidentia in me clamoribus, qui precum loco haberi debebantur, funestae et violentae repraesentabantur sequelae denegationis justitiae.

Quapropter sepositis partium allegatis rationibus, posteaquam hos et illos longis et reiteratis precibus et perorationibus ad mutuam charitatem et amicitiam exhortatus fuissem, post triduanum quandoque in seram noctem continuatum laborem animos sedavi et tanti momenti negotium, ex quo infallibilem scissionem speraverat aula Viennensis, ex consensu partium compositum fuerat. Accusabar ego a plurimis multa in praejudicium religionis orthodoxae fecisse, sed de his nec hactenus me arguit conscientia. Illumina me igitur, o sapientia et bonitas suprema, ut doleam, siquid me male fecisse contigit, tu enim melius nosti quam homines, ex quibus motivis egerim; finis et laboris mei scopus fuerat charitatis reductio, et dissensionis, odii et ex his ne fors subsequendae causae effusionis sanguinis exstinctio. Plurima et restitutis templa fuerant, quae ob sacerdotum penuriam deserta stabant; alia, quae in vicis populo alienae professionis plenis vix a decem incolis Catholicis et in aliis locis adhuc paucioribus frequentabantur, qui in vicinia filiales habebant ecclesias; alia vere contra leges et regum praestita juramenta per vim ablata fuerant in oppidis, in quibus ad amplectendam veram religionem armis compellebantur incolae. More regum Hungariae ad manutenendas leges, quae dissentientes religiones in regnum receperant, adju-

ratus fueram, et hae violentias vetabant; consideravi ego praeterea, o veritas aeterna, fidem esse lumen tuum, non effectum operis humani; nemo coecum a nativitate odit, sed compatitur ei, cur ergo caecam animam persequemur et odio habebimus, et non potius compassione tacti orabimus pro lumine ejus? Alius in nativitate visum recipit, inebriatur et cadit inter spinas, quae oculos ejus expungunt; opus charitatis esse credimus in domum receptis illis succurrere, et manu porrecta lumine privatum ad vias planas ducimus, quamvis caecitas ejus (eorum) propria culpa subsecuta fuerit, quodsi enim ebrius non fuisset, spinas evitasset. Haec est sors hominum a vera fide, lumine et luce tua deviantium; inebriatur anima amore proprio, amore mundi et illecebris, et temulenta per avia et devia oberrat, donec tandem inter spinas peccatorum lapsa orbetur lumine. Absit a me judicium, Domine, qui solus interna hominis judicas, tu scis proinde, quae sit differentia inter Catholicum per peccata publica, per pravam vitam a praeceptis tuis et ecclesiae tuae aberrantem et inter haereticum: nisi quod hunc putridum alterum amputatum membrum esse dicamus. Sed si in pondere sanctuarii ponderabimus hanc differentiam, si fides sine operibus pro mortua habetur, hunc et illum fide destitutum deprehendemus; sed dicamus peccatorem adhuc in communione fidelium existentem sacramentorum ecclesiae posse fieri participem; sed quomodo? per sanum usum et applicationem illorum, quorum secus faciendo reus est. Sed unde tribuitur hic usus requisitus nisi per gratiam tuam, quae quia donum misericordiae tuae est? sors unius et alterius aequaliter in abysso judiciorum tuorum sepulta est. Rectum esse puto aequali charitate comprehendere illos et operam nostram in curando uno et altero impendere, cum et aliunde plura mala causant in corpore fidelium pravorum Catholicorum conversationes quam haereticorum moraliter bene viventium exempla; facilius putredinem sanis partibus causant membra adjacentia quam avulsa, quae si corpori adhuc adjungi possunt, cur minori charitate sunt diligenda putridis? Aequaliter falsi prophetae et sub pellibus ovium lupi sunt rapaces, qui verbis falsam docent doctrinam, quam qui exemplis et vita fidem et sanam doctrinam dementiuntur et pervertunt. Verum quam differens est doctrina theologorum de

his in ecclesia tua, Domine! Prohibent et ad cremandos igne, supplicio afficiendos illos inducunt principes, qui in errore et tenebris suis existentes congregantur in nomine tuo et easdem preces et psalmos concinunt, quibus te laudandum ecclesia statuit, et ad publica theatra convenire permittunt Christianos, in quibus concupiscentia oculorum praesidet, concupiscentia carnis incitatur et plerumque superbia vitae repraesentatur! Provocant indignationem principum contra illos, qui verbum tuum, quamvis obscuratum, praedicant, et remunerare sinunt illos, qui paganorum figmenta in praetensivo lumine verae fidei in theatris decantant; denique ut paucis dicam, illos diligendos suadent pseudo-christianos et hypocritas, qui operibus suis fidem se non habere demonstrant, quam illos, qui externis actibus suis manifestant, se credere quod habeant, et tam perniciosis consiliis delusos saevire suadent in subditos, armatos agunt Apostolos et in propagando evangelio Petri aurem Malchi amputantis sequuntur ostentationem, sed laborantis, conversantis, patientis, indulgentis et diligentis nolunt sequi exemplum. Hortantur et adulationibus invitant ad aedificanda et a haereticis occupanda templa lapidea, sed templum illud spirituale et charitatis, quae vere mansio tua est, ruinant. O vere admiranda et stupenda judicia tua, Domine! haec fiunt in ecclesia tua, corpore illo mystico, quia regitur a spiritu tuo; sed haec sunt illa scandala, hae haereses, quas oportere fieri ipsemet praedixisti, ut appareant magnalia tua, ut luceat lumen electorum tuorum in his tenebris, ut probetur fides eorum, et ut in debilitate hominis appareat virtus tua, gratia tua in illis, quos per illam usque in finem perseverare facis et perseveraturos decrevisti, ut in illos justitiam, in hos tuam exerceas misericordiam. Non examinabo ego ea, Domine, sed confitens tibi miserias, infidelitates, fragilitates, infirmitates meas in humilitate profunda in annihilatione mei adorabo ea, et ad hoc debite exercendum invoco auxilium gratiae tuae. Noli me perverti cum perversis, quos si figere vellem, exeundum esset ex hoc mundo, quod ipsum sincere me desiderare fecisti quidem, cupio dissolvi et esse cum Christo, sed cupio in mensura voluntatis tuae, non ut glorificer, sed ut voluntas tua glorificetur in me; non ut labores, miserias et tot ac tanta mala, per quae fors me adhuc

ducere decrevisti, effugiam, sed ut te perfectius amare et laudes tuas cantare, te exaltare possim cum sanctis tuis in aeternum.

Verum illumina, o veritas aeterna, intellectum meum et sine, ut loquar ad Principes, quos tu ex misericordia tua ad regendos populos vocasti, quorum plerique statum suum elevatum esse credunt, ut pro lubitu suo dominentur et fruantur mundo pro jucunditate sua, persuasi quidquid volitum licitum esse. Sunt, qui externam religionis speciem prae se ferunt et directores conscientiis suis confessarios quaerentes consulunt et sequuntur illos et caeca obedientia ducuntur in sentimenta illorum, persuasi non se, sed illos pro se rationem reddituros in tremenda illa die, in qua praesentabitur omnis homo in conspectu Tuo, et patebunt arcana cordis illorum. Nolunt hi plerumque de religione sua instrui, nolunt scripturas scrutari et ex illorum fontibus haurire limpidas illas aquas, quarum potatione acquiritur spiritus consilii, sed firmiter persuadent sibi sacerdotum haec esse munia: legant illi, ut adaequati consulant, et hos sequentes credunt se esse infallibiles.

Sunt alii, e quorum numero ego quoque peccator fueram, qui hujus principii abusus et aliorum exemplis edocti, suam sibi conscientiam pro directore eligunt, publica scandala vitant, religionis actus exercent, sacramenta frequentant, sed fixum habere confessarium vitant ex ratione politica, ne causatis scrupulis, conscientiae directionem per monita, per absolutionis dilationem aut denegationem sibi attribuat. Legunt hi Principes casuistarum libros, sacras quoque scripturas, sed libros morales tanquam insipidos, taediosos plerumque seponunt; faciunt sibi casus, primo honestum consulunt et demum exempla quaerunt et theologos, quorum doctrina sit ad palatium ipsorum; quaestionibus delectantur, circumstantias casuum formant et persuadent sibi, omnia quae agunt, sana et tranquilla conscientia agere. Sunt denique alii (de quibus non loquar), qui perruptis religionis et pietatis cancellis currunt ad interitum, devorant iniquitatem tanquam cibum panis et suum consulunt instinctum, non conscitentiam. Omnes illi, quos novi, de quibus audivi et qui in temporibus meis vixerunt, et quorum regiminum differentiam, Tu o misericordia aeterna, mihi demonstrasti, in has tres reducuntur species, ex quarum exa-

mine te inspirante cognovi nullum dari statum in mundo, in quo quis magis adhaerere et te unice quaerere debeat quam Principis, qui profecto in quotidiano et quidem dupplicato timore et tremore debent operari salutem suam ambulantes indesinenter in conspectu tuo. Omnes caeteri status subordinationis et obedientiae status sunt, duces habent in superioribus, et ipsa humilitas et obedientia reputatur illis et convertitur in bonum; illi in multis dubiis tenentur sibi respondere pro illis, nec consiliario, sed docilitate plerumque indigent. Sed princeps prototypon tuum est in terris, huic dedisti justitiae tuae gladium et misericordiae clementiaeque tuae dispensationem. Regit filius tuus, salvator noster, caput ecclesiae tuae corpus suum per hierarchiam ecclesiasticam et gubernat in spiritualibus; princeps pro temporalibus et ad regendam, ut ita dicam, vitam carnalem constitutus est; illorum gubernium futuram, horum praesentem vitam concernit; illi ducunt animam, hi corpus: et propterea hae potestates eandem harmoniam requirunt, quae est inter corpus et animam. Ministris ecclesiae claves regni coelorum traditae sunt, principi gladius justitiae; hinc nulla illis in corpus potestas, nec his in animam; sed quanto difficilius est corpus redigere in potestatem spiritus, eo difficilius principis administrare officium. In hoc mundano regimine vult Christus, ut repraesentetur justitiae suae authoritas, in spirituali vero charitatis ejus humilitas: et propterea non dominari sed servire docuit discipulos suos et potestatibus obedire. In hac humilitate exaltatus ipsemet, exaltavit demum et ecclesiam suam, cui subjecit potestates, non in authoritate temporali, regnum ejus enim non est de hoc mundo, sed in humilitate spirituali, in qua princeps cum omni splendore dignitatis suae se humiliare debet coram ministris Dei. Hoc fundamento supposito considera te princeps, quisquis es, et videbis principalia munia obligationis tuae, et si de iis viva fide persuasus fueris, tremes in aspectu illorum; tu es unctus aut electus Domini, tu pascis et custodis gregem in temporalibus, sacerdotes in spiritualibus; te Deus constituit patrem pauperum, pupillorum et orphanorum, viduarum et afflictorum; hi a te exspectant panem, justitiam, misericordiam et sublevamen; Deus tradidit tibi omnia dona sua temporalia, tu dispensator eorum

es; dedit tibi talenta sua et *minas* Christus, dum transiit ad quaerendum regnum suum aeternum; felix es, si lucrari facies eas, infelix si foderis in terram; minister Christi es in terris, caput es ecclesiae corporalis, et quia caput ejus es, non potes pedum et manuum consilium statuere tibi pro regula, sed praecepta et mandata Domini dominantium. Terribile est. quod dico, et haec se sic habere tu persuasisti mihi, o veritas aeterna, ex his cognovi, quam horrendum sit ambire principatum et quam sensibile non sequi obligationes ejus. Quodsi ergo consiliarius tuus solus Deus esse debet, o Princeps, infallibile est te ei adhaerere debere et in spiritu ejus et per spiritum ejus regere, qui non manet nisi in corde charitate pleno, et hinc te per illam regere debere jam supra dixi, hic eam tibi pro consiliario adjungo; consule tute conscientiam tuam, si illa repletus fueris, sed sine illa conscientiae tuae expetere consilium praesumptuosum esse scito et erroneum. Cupiditas enim et amor ille proprius reget illud, et lumen tuum erunt tenebrae. Potes, quin imo debes, confessarii et consiliariorum tuorum pro poscenda aut potius indaganda veritate expetere sensus, sed memento semper hos et illum homines esse, et hinc praevie illorum, quantum homini licet, scrutare in charitate ex operibus et fructibus arborem, idest conscientiam. Non opes, non dignitatem, non scientiam, non familiae eorum splendorem, non fidelitatem eorum erga te respice, sed erga Deum: quodsi enim illos hac repleta repereris, consilium a charitate eorum dabitur charitati tuae, sine qua (repeto), quia spiritu Dei carebis, nec bonum consilium discernere poteris a malo. Omnia haec speciali gratia Dei indigent, quam fideliter et assidue petentibus denegare non potest, quia promisit.

O infinita misericordia et bonitas Dei, tu scis solus, quanta et quam tremenda *repraesentantur* mihi in statu principum, sed si etiam proferrem ea, surdis narrarem fabulam, caecis loquerer de colore, quod si tu auditum non praebueris et oculos eorum non aperueris. Oeconomi dispensatores villici *minarum* et talentorum divites sunt, de quibus tot reperiuntur parabolae in Evangelio tuo; docuisti illos, minatus es eis. nec quid mihi restat nisi implorare gratiam et misericordiam tuam pro illis omnibus; sed oportet illos esse prout sunt, mali quippe sunt flagella,

boni autem retributiones populorum: castigas hos per illos et saepe principes per populum. Adoranda illa est oeconomia providentiae tuae, ut boni misceantur malis! Omnia haec sunt instrumenta tua; horum mira dispositione occultantur judicia tua, quae impius cursui naturali rerum, casui, fatalitati, rerum periodo attribuit, nec cognoscitur mira et vera dispositio horum, nisi per lumen gratiae tuae; anxiatur homo sinistris rerum eventibus, quos jam huic jam illi causae imputat, vult avertere, praevenire eos, sollicitatur, fluctuat, dubitat, gemit, gaudet, sperat, desperat, quamdiu veram horum causam ignorat; sed pacatus et tranquillus est, dum noscit horum omnium te esse causam et te immutabilem agnoscens, conformat se voluntati tuae, tibi repraesentat miserias suas, annihilat se coram te, gemit, suspirat, petit a te vires, confidit in te et sic amans timet et timens amat te. Dupplex est modus afflictiones, contradictiones et cruces e manu tua suscipiendi; unus in spiritu poenitentiae, agnoscendo se peccatorem et omnes adversitates recipiendo a justitia tua in expiationem peccatorum; alter in spiritu amoris, dum quis gaudet, laetatur dignum habitum fuisse contumeliam pati, probari et purificari in fornace afflictionum, credens fide firma, quod diligis, quia castigas; hic alterum praesupponit, sed excellit et uterque salutaris est; ille sancta quadam tristitia replet animum, hic gaudio et suavitate satiat; poenitens ambulat in conspectu justitiae tuae, amans currit ad te sicut cervus ad fontes aquarum spe et confidentia repletus exstinguendae sitis suae; gemit ille de praeteritis, gemit iste de praesentibus miseriis, gemit quia cupit dissolvi et esse cum Christo; amat et poenitens, nisi enim diligeret, poenitentia ejus contritione careret; sperat, sed spes ejus necdum ad gradum perfectae confidentiae pervenit; hinc complementum omnium virtutum charitas est, quae hominem in sinum tuum, o Deus, projicit, praeterita et praesentia curae tuae committit et nonnisi te desiderat et in viis tuis progreditur in quieta et tranquilla illa amoris solicitudine, quae omnis anxietatis expers praesentia non curat, fufutura non perquirit, sed omnibus temporalibus curae tuae relictis, quae tibi placita sunt sequi, et quae tibi displicent, vitare cupit. Hic solus ille status est, qui principem et subditum et omnis conditionis

hominem felicem reddere potest et aeternae illius beatitudinis est initium in terris; hunc propriis viribus concipere, aut ad illum pervenire homo nequit, nisi lumine tuo illustratus et gratia tua adjutus fuerit; lapis hic esse debet philosophicus Christiani, quem indagare tenetur, et quem dum invenit, omni thesauro pretiosiorem reputare debet. Supple, o misoricordia aeterna, quod deest mihi in acquirendo illo, cujus initium me praegustare feceras in solitudine mea, ut semper in conspectu tuo ambulans et voluntatem tuam sequens compleam dies peregrinationis meae super terram et perveniam ad te.

Quid dicam tibi amplius, o bonitas aeterna, de rebus gentis Hungarae, quam tu olim per miros S. S. providentiae tuae effectus e longinquis terris eductam in illas regiones plantaveras, et demum vineam tuam feceras ex illa, postquam lumine verae fidei illuminasses eam. Nolo recensere historiam ejus, sed adorare in ea decreta tua. Paganismi tenebris successit lux evangelii, et illa longo tempore fulserat inter eam. Memoranda fuit quondam S. S. Regum Hungariae pietas, florens libertas, quae successu temporis, postquam in luxum degenerasset, in licentiam conversa est; sic deviavit a te, et sibi cisternas fodiens deseruit te, fontem vivum, et flagella tua promeruit. Monstravit illi furor tuus illa primo per Turcarum progressus, per scissiones et discordias Magnatum, per introductam dissensionem religionum, denique per exstinctionem claritatis; et sic propinasti ei in ira tua calicem amarum nimis per jugum gentis exterae inimicae sibi et per mala, quae jam tibi recensui, et sub cursu hujus postremi belli, pro quo ducendo me debile instrumentum assumpseras, misericordiae tuae quendam fulgorem demonstraveras ei; sed tibi soli cognitum est, cur non perfeceris, quae inchoaveras; te disponente destituebar exterorum principum auxiliis, demum internis belli ducendi subsidiis, quae mala triennalis propemodum pestis subsecuta est. Quanta haec est malorum series, quae caeteris minoribus superaddita fuerat, quae a belligerationis ignorantia, ab incolarum avaritia, multorum perfidia, timiditate cursu quodammodo rerum naturali provenerant; luctabar ego cum his omnibus quatuor propemodum annis, sed propterea non convertebar ad te, sed horum humana quaerebam remedia, et

quamvis nihil illicitum aut injustum fecisse credam. quidquid feci, peccaminosum fuisse in conspectu tuo te miserante persuasus sum; fuerat enim actionum mearum scopus juramentalis obligatio mea, sed hujus finis desinebat in amore proprio, aut, ut idem dicam, in honestate et magnanimitate illa, quae a naturali hominis excellentia procedens, dum a te deflectit, redit ad semet ipsum, et prout dixisti, et ego jam confessus sum, recepit a memet ipso mercedem suam, nec quid aliud mihi reliquit praeter dolorem abusus gratiarum tuarum et perditi temporis, cujus cursu multa tibi grata agendi dederas occasiones. Ecce, Domine, compendium propemodum octennalis miserae vitae meae et gestorum meorum, quae te respiciunt; sed quanta sunt, o desiderium animae meae, quae me concernunt et quae mundi fuerunt et diaboli, quorum me fuisse mancipium jam confessus sum; non memorabo ego ea nisi sub nomine generico peccati, cujus origo fuerat superbia vitae, amor ille proprius et excellentiae suae, quo natura nostra corrupta repleta nascitur, crescit et alitur, nisi illuminata fuerit per gratiam tuam; hic est fomes ille peccati, fons et origo omnis mali, ex quo omnia peccata emanant; quidquid enim non propter te facimus, plerumque propter nosmet ipsos agimus; toleramus mala, cruces, miserias, contemnimus thesauros, coronas, ut satisfaciamus nobismet ipsis; nec hoc propriae complacentiae desiderium mori aut cessare potest, nisi supernaturali gratia tua adjuvaveris nos, quia caro sumus, et propterea sensus nostri carnalia habent objecta, in quibus nihil nobismet ipsis dignius reperimus; et hinc amor ille noster, sine quo vivere homo nequit, exiens e nobis circumvagatur in creaturis et ad propriam redit excellentiam, et sic fit contrapondium amoris. tui, qui nequit praeponderare nisi te miserente et adjuvante, Fides est gratia tua, quam Christianus acquirit in baptismate, in quo erigis bilancem; sed haec quoque bona opera requirit; ut praeponderet; possumus concipere bilancem in aequilibrio suo subsistentem, sed hanc status hominis nequit admittere, quamdiu vivit enim, nequit non agere, nequit non cogitare nequit semper silere, quae omnia in hanc vel in illam bilancis scutellam imponuntur; nec quid horum est, cui non propria inest gravitas, vel minima motum causant in hac bilance, et

sic vel amoris proprii vel charitatis oportet praeponderare scutellam. Omnis homo vel in statu peccatoris, vel tepiditatis, vel justi positus est; peccator in scutellam cupiditatis, ut potius dixerim iniquitatis, effundit pondera, quibus aggravata dum praefixum misericordiae tuae terminum excedit, rides in interitu ejus; tepidus fragilitatis culpas huic continuo imponit et bonorum operum pondera in oppositam scutellam inferre negligit, et sic in statu praecipitii et proximi praepondii est; justus autem, quamvis fragilitatis, a qua in hac vita nemo exemptus esse potest, culpas saepe in praefatam cupiditatis scutellam quodammodo inadvertenter cadere sinat, continuo tamen in id intendit, ut scutellam charitatis accumulet, posteaquam gravitate ponderum actuum poenitentiae gratia tua adjutus primum baptismatis bilancem restaurasset; et hinc evidens est, debere quemlibet tendere ad hunc statum. qui perfectionis humanae est; oportet, ut cupiditatis scutellam semper tremens respiciat, et in alteram nunquam se satis imponere posse credat; in illam enim fragilitate inductus plurima ignorans quaeque et propria et aliena imponere potest peccata, in hanc nihil boni nisi volenter et intendendo referre valet. Quilibet sibi sufficit ad male agendum, ast bene operari nemo potest sine te, unde deducitur Christianum indesinenter orare, id est semper tendere debere ad te; haec est vera illa oratio, haec vera illa adoratio in spiritu et veritate, idest in intentione et opere; intendit quippe spiritus, cujus veritatem actus comprobant, quamvis enim misericordia et bonitas tua saepe et intentione contentetur, haec in illis intelligenda est, quae quia negligentes actione nostra exequi nequimus ea, quae facere possemus, mentimur tibi in spiritu, quoniam non adoramus te in veritate. Et haec sunt, o misericordia aeterna, quae me convincunt te nec in spiritu nec in veritate tot annorum cursu adorasse, haec sunt, de quibus me in conspectu tuo gemere oportet cunctis diebus vitae meae.

Loquatur, scribat quisquis, quod voluerit, de belli Hungarici et ejus exitus causis; accuset me de credulitate, segnitie, alios de avaritia; tibi soli notum est, o sapientia aeterna, cur rebus talem uti subsecutus exitum praescripseris. Non diffitebor ego, me plurimos in proeliis ignorantia errores commisisse

ot plurimos ab aliis quoque commissos fuisse, sed humano judicio scrutando omnia, defectus aeris et communis belli gerendi inscientia rebus bene et audacter inchoatis et sub tempore cursus cupreae monetae alacriter continuatis, illa vilescente finem imposuerunt; per saevientem pestem tandem in praesidiis deficiebat peditatus, et horum supplementum minuebat illius numerum, qui in campo militare debuerat. Lento passu occupando fluvios et montium accessus procedebat inimicus et pro occupatorum securitate vados muniebat, arculas praesidiabat, valla erigebat, quae omnia ob campestris peditatus defectum nec praepediri nec occupari poterant; hinc ubi ad bellum defensive gerendum deventum fuerat, spem ponere oportuerat in fortalitiorum defensione, quae quidem industria cupreae monetae sat bene et fortificata et provisa fuerant, sed officialibus ad defendenda ea aptis et capacibus carebam, horum propterea pars per ignaviam, pars per timiditatem praesidiariorum et imperio fungentium tradebatur Germanis; solum Újvárinum milite digna strenuitate defensum fuit adusque tempus, quo quassatis vallis hiatu facto propter minorem praesidiariorum numerum assultui sustinendo impar capitulatione conclusa deditum fuit; omnia caetera fortalitia minoris momenti minis et pollicitationibus Germanorum fuere reoccupata, et bello sic ad finem vergente sola civitas Cassovia et arx mea Munkács cum vicina arce Ungvár in fidelitate mea permanserant. Progrediebantur Germani diviso in plures partes exercitu, quibus resistere meus non numero sed robore impar fuerat. Coarctabar dietim magis et magis, et pauci a tergo constituti comitatus, quamvis alendo militi equestri suffecissent, multitudo exulantium magnatum, nobilium et maritatorum militum, qui et occupatis ab hoste Comitatibus, relictis possessionibus, sponte in fidelitate confoederationis permanserant, nimisquam aggravaverant miseram plebem. Saeviebat hyems, et tam copiosae nives coperiebant terram, ut ex tritis viis egredi vix eques poterat; de pago in pagum coactis plebeis, curribus migrabat haec exulantium multitudo, pars subsistendi media, pars securitatem quaerens in montium et paludosorum locorum abditis. Miles salvandae et alendae familiae suae attentus deserebat vexilla, et tam miserandae querelae seu plebis seu exulantium meas continue

feriebant aures; miles seminudus rigore frigoris compulsus suas deserebat stationes, hic armis, ille equo, omnes stipendio destituti justas suas detegebant querelas, et in praestando servitio militari magis possibilitate quam voluntate et fidelitate deerat.

Supererat mihi in his rerum anxietatibus constituto externi auxilii spes a Czaro Moscoviae, qui debellato Rege Sueciae ad Pultavam suum in Poloniam reduxerat exercitum et ipsemet exspectabatur in vicinam Russiam. Quaerebat ille multo abinde tempore colligationem Regis Galliae per me, et illa exoperata se mihi cum toto exercitu suo adfuturum appromiserat, qua conditione a Rege Galliae quoque acceptata, siquidem ablegatum meum Parisiis reducem ad supradictum principem miseram, ut nomine Regis Galliae de voluntate tractandi et de legatione solenni ad ipsum in hanc rem expedienda assecuraret, auxilio ejus res Hungaricas restituendum iri non vane sperare poteram. Quapropter Comite Bercsénio, supremo confoederati regni Generali et Locumtenente meo in Poloniam in hanc rem expedito, pro protrahendo bello substiteram Munkácsini; sed inimicus Szolnokio et Agria parvo labore receptis Tibiscum trajecerat, ut cum parte exercitus sui in Transylvania existentibus Germanis conjunctus me cingeret; et hinc consilio habito Generali meo campi Marechallo et partium Transtibiscanarum commendanti Comiti Károli permiseram, ut scripta ad Comitem Joannem Pálfi Caesareani exercitus chiliarcham epistola spem pacis faceret et armistitium exoperari intenderet; sub quo tempore ego cur Poloniam publicorum negotiorum causa practextuata ingressus fuerim, tu nosti, Domine, neque turpitudinem meam tibi celatam esse cupio, quamvis hominibus non revelem; merebar ego flagella, quibus me castigaveras, non tamen ob id resipui; inops consilii, anxiatus undique videbar me subjicere voluntati tuae et aequo animo ferre temporis injurias, sed cor meum procul aberat a te; habitavit enim in me peccatum, et non merebar misericordiam, iram tuam provocare continuans. Habita proinde in Drohobics, Poloniae oppido cum principe Doloricki, Czari plenipotentiario conferentia, Skolam, unde abiveram, redii: quo Károlius quoque peracto interea temporis cum Pálfio colloquio

sequenti, ni fallor, die citato cursu advenit. Retulit ille Pálfium literis plenae facultatis instructum ex mandato Imperatoris Josephi ad pacem inclinare quidem, sed petere, ut pro lucrando tempore et promovendo tractatu personaliter me convenire possit, et in hanc rem duarum plus minus septimanarum indulsisse armistitium ulterius quoque prolongandum, quodsi me ad id resolverem. Non carebat difficultate propositio, res mihi fuerat cum Hungaro quidem, sed Germanis addictissimo; fidendum et me committendum fuerat verbo, cujus effectum Germani frustrare poterant, qui sub diversis coloribus et subterfugiis promissa sua Hungaris facta eludere consueverant; sed vice versa urgebat necessitas et gloria illa amoris proprii, qua motus patriae in extremis constitutae deesse nefas ducebam. Praevidebam facile utilitatis parum, detrimenti longe plus habere posse exinde, sed nolebam argui ob urgentem regni necessitatem, personam meam imaginario magis quam reali periculo exponere noluisse, recusato enim oblato dici poterat me occasionem bonae pacis neglexisse; et haec propria satisfactio praevaluit omnibus rationibus, et sic nulla mora interjecta intempesta nocte coelo ingentes nivis floccos uberrime effundente discessi, et sic diu noctuque continuato celeri passu equorum itinere Munkácsinum perveni; nec multis diebus ibi moratus, posteaquam de congressu et de numero comitivae ab utrinque conventum fuisset, Vajam, vicum Transtibiscanum petii, quo jam Pálfius advenerat. Nec recordor ego, nec proferre prodesset speciosam verborum farraginem, quibus ad amplectenda ampla Imperatoris promissa invitabar et de Regni libertatibus, de pleno restituendis assecurabar, si me ad scribendam epistolam Imperatori et petendam pacem resolverem. Urgebar, ut legatum Viennam mitterem, ad quam legationem suscipiendam sese Károlius obside ex parte Germanorum dato resolverat; ego quoque, ne quid intentatum relinquerem, me ad scribendum resolveram, et vespertinis horis inter colloquia et epulas per actis sequenti die recessi ad castellum Károlii, Ocsva appellatum, ubi exercitus mei officiales congregati fuerant; uberioribus verbis exposui illis colloquii mei cum Pálfio habiti substantiam, promissorum abundantiam et exiguam securitatem servandorum pactorum ex parte Germanorum,

et sic his conclusis opinionem illorum petii et me ad omnia, quae pro bono regni futura fuerint, seposito omni privato utili agenda fide reiterata appromisi. Multis concilium fidei et fidelitatis reiteratis pollicitationibus et serviendi voluntate terminatum fuerat, multae teneritudinis et affectus mei in patriam, illorum in me lacrymae sparsae, ab utrinque protestationes plurimae, quas reales fuisse et ego et illi saepe contestati fuerant; sed temporis angustiae, stipendiorum necessitas premebant militem, et res tendebant ad exitium. Repetii proinde arcem meam Munkácsianam, indicto senatoribus confoederationis Hungaricae et Consiliariis meis Transylvanicis in oppidum vicinum *Salank* conventu, et literas interea Imperatori Josepho secundum assecurationem Pálfio datam exaravi. Nequeo, Domine, praeterire denuo exponere tibi intrinsecos animi mei motus, quibus angebar et fluctuabam in illa miseriarum et sollicitudinis procella, pro qua sedanda segnis et tepidus recurrebam quandoque ad te, sed plus fidebam in humanis mediis et propria prudentia, et propterea nullam reperiebam requiem. Vetabat renunciare principatui Transylvaniae juramentum statibus depositum, et ad illud manutenendum honestas ac vana gloria incitabat; praevidebam perpetui exilii miserias hac conditione non acceptata, nec enim spem firmam habere potui me pace Europaea generali restitutum iri, quamvis enim iteratis literis me Rex Galliarum assecuraverit se pacem sine me non conclusurum; scivi non esse arma ejus in illo statu, in quo ad cogendum Imperatorem esse oportuissent; sperabam in Czari, uti dixi, succursu, sed illud quoque dubium reddiderat aliquot abinde mensibus declaratum illi bellum a Turcis. Promittebatur ab adverso patriae legalium libertatum restitutio cum bonis meis haereditariis, aut in concambium eorum liber principatus in imperio a successoribus meis iure haereditario possidendus; providebatur securitati personae meae utcunque hoc oblato, sed non honori; excedendum erat e patria et *renunciandum* genti, a qua tot affectus amoris et confidentiae receperam documenta; omnis securitas manutenendarum legum ejus verbo regio toties violato committenda fuerat. Et hoc pacis fundamentum, quia glaciei simile videbatur, illo dissoluto nihil mihi sperandum supermanebat praeter

perpetuas gentis et incolarum execrationes et maledictiones, quodsi securitate mihi parta in futuras eorum sana ratione praevideri possibiles miserias consensissem. Ac proinde magnanimitate ex stimulis humanae gloriae inflammatus, jam me ad defendendam arcem meam adusque adventum succursus Moscovitici et ad extrema pericula subeunda resolveram, ut inter ea heroum decantatorum et in profanis historiis celebratorum reperirem mortem; jam statueram me equitatui jungere, ut Transtibiscanas solitudines mutatis continue stationibus oberrans inimici exercitum infestando consumerem et hyberna quiete privarem, debellarem; sed huic intentioni nivium copia oberat, et alteri certum exitium cum incerto Moscovitico auxilio comparatum obstabat; repraesentabatur mihi mortis et quaesitorum periculorum causam et scopum non gloriam sed desperationem futuram, quodsi pro futuro patriae et principatus mei bono me conservare non studuero, infallibile apparere me occumbente aut capto finem imponi causae et spei gentis, exulante minime et vel maxime ubi conservato usque ad finem populari favore me in cordibus ipsorum semper permansurum manifestum est. Haec et similia his proferebant confidentiores et fideliores mihi, quae quia nimisquam lactabant conservationis suae studiosum amorem proprium, facile fuit mihi illis consensum praebere; nulla tamen finali resolutione accepta ad strenuam arcis defensionem praeparaveram omnia artis regulis consideratis et situ industria adjuto inexpugnabilis dici haec potuit aliunde, sed tu, o bonitas infinita, pauco elapso tempore demonstrasti mihi veritatem versus illius Psalmistae. — Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilant, qui custodiunt eam. Imminebat inter illas undique accrescentes miserias hiemis et rerum omnium sed vel maxime parati aeris inopia, tempus praefixum pro senatus consilio, a cujus finali resolutione dependebat reditus meus in arcem, aut egressus in Poloniam. Paucus ibi fuerat senatorum numerus, quorum pars jam in Poloniam facta licentia transierat, alii domestica, alii militaria curabant; consiliarii tamen mei Transylvanici adfuerant omnes, quibus ordinato tempore in distinctas pro more sessiones convocatis primis exposui: Recordari oportere quemlibet temporis et statutorum, quae omnium regnico-

larum post suscepta arma animos ad oppidum Szécsén univerant, a qua statuum regni universitate ego in ducem confoederationis electus, vi praedictae confoederationis in haec praecipue adjuratus fui, ut leges regni et confoederationis sancita sarta tuta conservarem, ne status confoederatos desererem, ne arma deponerem nisi avitis regni libertatibus et legibus restitutis. Successerat praedicto conventui ex deliberatione senatus instituta pacis negotiatio Tirnaviensis, cujus occasione auctoritate ducis et senatus concinnata fuere postulata pacis, quae sat abundeque demonstraverant ea, quae concernunt praeattentas libertates. Quibus a hoste Germano denegatis, denuo ad arma conclamatum fuerat, ac proinde non opere pretium stare ratus fuissem ipsemet de his, quae in pleno senatus consilio statuta fuere, cum senatus parte agere, si praesentes temporis angustiae ac res patriae in ultimum vergentes exitium, in satisfactionem obligaminis mei non suasissent detegere rerum hactenus in privato actarum seriem, ut iis bene perpensis ruminatis ex voto et e sententia illorum pro statuum confoederatorum emolumento sumerem consilia. Non repetere me execrandas et virtute Hungara indignas arcium deditiones, quibus inimico animus datus et via monstrata, ut relicto a tergo praesidio Cassoviensi cum equitatus sui robore meum persequereretur et in has, in *quibus* sumus, redigeret angustias. Cui quidem personaliter resistere volens, non multo abhinc tempore Tibiscum transieram, ut congregato et perlustrato exercitu militis experirer et numerum et animum; invenisse me illum inimico parem et hunc quoque apparenter pronum, sed nequit in stationibus contineri; segregare in complures vicos inimici vicinitas non permittit, congregatos in unam aut duas locorum angustia propter stationis incommoda diu morari non sinit, sollicitos reddit praeterea militis animos familiae suae per montana, per palustria oberrantis inedia et ad hanc invisendam saepe invitis officialibus dilabitur; congregatur ad lustras spe stipendii aut novitatis audiendae cupidus, sed ubi contra inimicum progrediendum, *alius* equorum debilitatem, *alius* propriam nuditatem, vel vere vel false profert ac praetextuat, ac coactus se substrahit. Hic status est campestris militiae, a cujus strenuitate nihil amplius sperandum superest nisi imminente vere,

dum paludosa Tibisci et coenosa Szamosii nec non montana Marmarusii praestita familiae suae securitate ipse per late patentes campos infestare posset inimicum. Sed tres adhuc menses supersunt ad illud tempus pertingendum, inter quos et Moscovitici auxilii certitudo patebit, ac proinde pro hoc tempore in quiete transigendo opportunum credideram de pangendis cum inimico induciis agendi Comiti Károli indultum facere: et quo ille hocce negotium produxit, quidve ego ipsemet egerim protuli. Hae necessitates coëgere me absque dilatione et expetitione mentis illorum Imperatori exarare literas, quas quidem infructuosas futuras facile credidi, sed nihil intentatum esse volui, ne de re aliqua neglecta argui possim: restare proinde in hac occasione decidendum, utrum puncta pacis Tirnaviae proposita in moderna extremitate moderari possint et conjuncturis aptari, an ex conscientia et vi juramentalis et confoederationalis obligaminis teneamur praeattacta puncta manutenendo extremos extremis nos subjicere aut conservare casibus, inter quos occurrit nobis spei loco habendum Moscae Czari auxilium; vigorosa Cassoviae Munkácsinique defensio, quibus praesidiis conservatis saepefato Moscovitico auxilio adveniente non exigua spes supermanere potest nobis resuscitandae causae et belli. His proinde ac similibus ad rem convenientibus prolatis nemine contrariante paucis tergiversantibus conclusum fuit: Ipsummet confoederationis nostrae finem et instrumentum, juramentalemque formulam obstare omni paci et tractatui in praejudicium praenominatorum punctorum concludendae, non posse nos culpari de rerum eventibus, qui non subsunt potestati nostrae et hominum, sed respondere debere coram Deo de consensu in rem malam et conscientiae repugnantem praestando. Non vi opprimi posse causam publicam et privilegia, leges ac libertates regni, sed consensu voluntario a capite confoederationis et senatu praebendo; praejudicari potest illis et summum detrimentum fieri, ac proinde satius, utilius convenientiusque fore personam meam in ulteriora evenire possibilia conservando belli cursum divinae providentiae committere, quam notam violatae confoederationis, perjurii et perduellionis in patriam segniter incurrere. His proinde taliter finitis, consiliariis quoque meis

Transylvanicis in pleno consilio exposui: Recenti nec unquam delenda memoria tenere me conditiones, quas mihi obtulere fideles status mei in comitiis suis inaugurationis meae in Maros-Vásárhely celebratis, inter quas essentialis loco habendam duxere eam, qua me obligatum voluerunt, ne unquam Principatui absque consensu statuum renunciarem aut de illo cum quopiam tractarem; recordor quam optime sinceritatis et resolutionis meae, quibus ductus theatrum in patenti campo exstructum conscenderam, ut in praesentia statuum super illas praevie acceptatas in conspectu Dei et totius curiae coelestis jurarem, quod et tunc digitis coram crucifixo Christi simulacro libro Evangelii sacri superimpositis peregi; ac propterea non mihi est animus quaerendi, quae sit mea in principatum meum obligatio, sed quae modalitas arma inimica ab extremo ejus exitio avertendi et pro recuperatione ejus bellum continuandi. Mutuum est confoederationis inter status Hungariae et Transylvaniae vinculum, hinc et inde publicis statutis et articulis confirmatum; mutuum est in praesenti rerum statu eorundem exitium, et cum extremis malis communis lucta; actu enim haec proponens cum his et illis de regnis extra regnum, cum exulibus rem habeo et pro salvandis utriusque regni incolis consultare obligor, et propterea quid a Károlio, quid a me actum fuerit pro conservatione eorum, exponere. Restare proinde consulere, num pax cum inimicis et quibus conditionibus tractari et concludi possit; nullam in his debere haberi considerationem personae et electionis meae, quodsi enim e re sua et statuum fore crediderint me a juramento a me deposito absolutum, mutuam super illorum fidelitatis juramento absolutionem a me impertiri paratum credant, velim, ut hoc quoque modo in quietem et felicitatem Principatus contribuere valeam, nihil ita cupiens, quam ceteris libertatibus suis obtentis cessare facere illis occasione manutentionis Principatus mei eventura mala.

Sed ad haec mihi unanimi voto et absque haesitatione responsum fuit, non esse potestatis nec voluntatis illorum et ad latus meum existentium statuum me ab illo juramento inmunem pronunciare, quod in universali statuum conventu a me depositum pro mutuo vinculo receperunt, sed potius desiderare, ut illud manu-

tenere omnibus viis et mediis adlaborem, secuturos se lubenter sortem meam quamdiu spes victus sui et uxorum liberorumque suorum supermanserit, et in fidelitate mea in quibusvis exteris regnis peregrinaturos, ac proinde super haec mandata mea exspectaturos; de reliquo obligationis meae esse, ut de conservanda persona mea studeam non de periculis exponenda, quae inclusionem meam in arcem subsequi possent, in dubio existente Czari Moscoviae auxilio. — Multa praeterea dicta fuere ad haec pertinentia, quae postremi renovationem juramenti mei et fidei ipsius datae produxere, qua me ullo unquam tempore Principatui renunciaturum spopondi. Haec fuere, o sacrosancta providentia, quae mihi repraesentata a misericordia tua causaverunt firmam illam resolutionem e regno excedendi, antequam expirato armistitii pacti termino via mihi aut praecluderetur, aut inter bellicas confusiones difficilior evaderet. Quapropter simulata eo magis nesessitate cum proxime in Poloniam adveniente Czaro Moscoviae conferendi spe reditus sparsa ex Salank cum parte aulae meae ex abrupto discessi et nonnisi ex confinibus regni scripsi Károlio in Ocsva cum exercitu residuo existenti literas amplioris tenoris, quam fors oportuisset, per quas ei in militaribus et politicis negotiis in absentia mea agendi feceram potestatem, detectis praecipitis discessus mei causis et ceteris annexis, quae ad rei statum et fortalitiorum strenuam defensionem ac provisionem appertinebant.

Haec fuere acta ad initium Februarii anni 1710. et Tu, o summum bonum meum, per eandem viam multo *cum* famulitio et aulicorum numero ex Hungaria exduxisti, per *quam* anno 1703. tribus famulis comitatum ad inchoandum bellum induxeras. Par fuerat status conscientiae et animae meae exeuntis, qui fuerat intrantis; foedatus peccatis privati hominis intraveram, peccatis principis aggravatus redii in Poloniam. Tu scis me rediisse canem ad vomitum et aberrantem a viis tuis; anxiabar ac attristabar de regni ac fidelitatem meam sequentium sorte et miseriis, sed non conturbabar super periculoso statu animae meae; non tam poenitebat me regnum deserere, exulare e Patriae, quam me affligebat neminem illorum de victus necessitate posse reddere securum; quisque suam mihi

protestabatur fidelitatem et adhaesionem, sequebatur me, jussa mea exspectabat, sed ego affectui illorum correspondere et generositati meae tam debitae, quam provocatae satisfacere nequiveram. Haec et similia fuere doloris mei causae. Tangebant enim amorem illum proprium, infoelix ego tui loco tunc habueram; lactabatur ille et nutriebatur multitudine me sectantium et raris fidelitatis, amoris et affectus exemplis, quibus me dignum credere nimisquam suave fuerat; sed vice versa nimisquam anxiebatur miseriis illorum, quas tam praesentes quam futuras ex inopia rerum propriarum ipsis subsecuturas melius ipsis praevideram. Non poteram illis suadere reditum et in subsequens exinde perjurium illorum consentire, nequiebam ex adverso promissis illos trahere ad incerta et ad praevisas miserias. Ex consideratione rerum regni videbatur mihi necessarium exhortari illos ad sequendum me, ut major illorum numerus considerationem meam augeret in extero regno et Czarum quoque provocaret ad auxilium; sed ego ipsemet parum exinde sperans, pro incerta spe nolebam certam reddere infoelicitatem futuri status ipsorum, cujus causa fuissem. Hinc in omni meo agendi et loquendi modo sinceritatem et veritatem sectabar, de voluntate mea et compassione affidabam omnes, de possibilitate intertentionis et retributionis spem certam faciebam; nemini nec plus dixi, quam ipsemet credidi; dicebam, publice me nemini suadere posse reditum, sed retinere velle neminem, nec regressu cujuspiam offendi; et haec consilia vere tu inspiraveras mihi quamvis indigno!

Interea, dum ego diversa in Polonia loca vicina Hungariae peragrabam et Magnatum amicorum undique affluentium ac de statu meo condolentium recipiebam civilitates, Károlius negotium pacis sub spe adventus et consensus mei tractabat cum Pálfio, et sub finem, ni fallor, Martii vel initium Aprilis ipsemet cum certis punctis in Stri advenerat, quo per literas suas cognito adventu ejus ex loco vicino, Leopoli Starisiolo dicto ad conferendum cum illo discessi. Epistola mea Josepho Imperatori exarata exoperarat, prout ille asserebat, puncta illa, quae hic referre inutile foret. Generalia, vaga illa fuerant promissa, quae quia de multis affidabant, pauca persuadebant, sed quia et post colloquium cum Pálfio in Ocsva militares officiales et post-

modum senatores in Salank assecuraveram, me etiam excluso ob difficultatem restitutionis Principatus mei convenientem libertatibus regni pacem impedire nolle: non poteram non exaudire ea, quamvis nullam in illis desideraverim habere partem. Remisi proinde cancellariae meae Transylvanicae directorem, Paulum Rádai illo cum rescripto, per *quod* quorundam articulorum dilucidatio petebatur a Pálfio, plenae potentiae et facultatis literis a Caesare (uti dicebat) instructo. Declarabam prae caeteris me in pacis conclusionem non aliter descendere posse quam per universalem statuum confoederatorum conventum, requiri proinde, ut acceptatis ab utrinque punctis generalem illis indicam conventum in loco a tumultibus bellicis semoto et securo, in quem me compariturum et rem statuum voluntati et judicio submissurum appromisi. Reduce proinde paucos post dies celeri cursu peracto itinere Rádaio, digna censui cum ceteris ad latus meum existentibus senatoribus puncta conventui publico statuum exponere, et propterea in hanc rem in vicino Poloniae Maromarusio ad Transylvaniam appertinenti comitatu indixi generalem conventum, . cujus terminum exspectaturus in castellum Krikizova recesseram, quo tandem advenerunt deputati a Károlio, qui mihi denunciarunt authoritate sibi attributa conventum in Huszt publicatum in Károly translatum fuisse et congregatos omnes in puncta mihi praesentata consensisse, ac propterea ratificationem illorum a me exspectare; desiderare proinde omnes, ut adessem et ut pacificationem pactam ipsemet ingrederer, ad quam acceptandam in ea insertus terminus aliquot septimanarum datus et indultus fuerat mihi. Insperata fuit haec denunciatio, quam quidem praevidere poteram, sed non impedire. Suscepi ego eam e manu tua, Domino, adjuvante gratia tua, sed subsequenter in hac re agendo poenitet me deseruisse te, humanis potius assentiens consiliis, quam pacifico tuo adherens spiritui. Commovebar plus ab aliis, quam primo intuitu me commotum senseram, culpam enim referebam ad temporis angustiam, miserias et virtutis degenerantis segnitiem, non ad Károlii perfidiam et malitiam; confirmabatur in me haec opinio revocatione colloquiorum familiarium cum Károlio saepe habitorum, qui uxorem et omnem substantiam jam Munkácsini convasatam habuerat et

in Poloniam transportare sese resolverat, quod si post primum meum ex Drohobicze, uti praescripsi, reditum ipsemet non suasissem ei exspectare potius ultimam resolutionem de his sumendam ex certitudine Moscovitici auxilii, qua habita inane futurum fatigium; quodsi rero inde nulla spes affulserit, tunc quoque tempus futurum intenta perficere. Detegebam ego ipsi haec et similia in sinceritate animi et candore, quo ferebar erga eum, et quem ipse sibi multa industria et in mandatis meis exequendis facilitate tribus praecipue postremis belligerationis annis demeruerat; communicavi ipsi rerum angustias, quibus ipsemet premebar, et exiguas externi auxilii spes, quae multis modis falli poterant; spes nostra communis fuerat ex assecurationibus regis Galliae saepe mihi per literas reiteratis, se pacem generalem sine inclusione mea non conclusurum; sed armorum inimicorum superioritas vix quid solidi inde quoque repraesentaverat vel maxime in illis rerum circumstantiis, ubi de pace Gertruidis montium agebatur, et in tam praejudiciosa conscenderat pacis praeliminaria, prout lector in temporis nostri historiis legere poterit; ac propterea his omnibus rite combinatis pronus fueram ad excusandum Károlium, sed incitabar contra eum exagerationibus praesumptionis ejus in transferendo conventu ex securo loco in vicinitatem inimici; perjurium et perduellio ejus in patriam et crimen in confoederationem manifestum fuerat ex acceptatione punctorum, quorum securitas a voluntate simplici et verbo dato pendebat, et propterea eum notam infidelitatis et criminum supranominatorum ipso facto incurrisse ac reum mortis esse demonstrabatur mihi; et his inquam argumentis movebar ad rigorem justitiae, quam quia secundum formalitates et formale judicium exercere non poteram, suadebatur mihi manifestum in conventu publico legendum per deputatos suos transmittere dispositis iis, ut mandatis et intentione mea praevie cum fidelioribus mihi communicatis tumultu incitato reum dissecarent. Sed repugnabat animo meo consilium, quod non tam conscientiae quam affectui inclinationi et modo agendi repugnare tunc videbatur mihi. Sciebam me persuaderi ab inimicis personalibus Károlii, sed motiva mihi videbantur aequitati consona, ne modus ius supererat rumpendi tractatum, quem

patriae praejudiciosum futurum manifeste praevideram, aut animadvertendi in authorem ejus; accedebat his secretus quoque ille consiliarius hominis, amor ille proprius, qui sensui suo tam stricte satisfacere cupit et mansuetudinis, compassionis et charitatis consulit regulas, sed hominum judicia evitare studet. Potens hujus argumentum fuerat, principem personam publicam esse, commune respicere debere bonum non propriam inclinationem, nec proximis nec filiis parcere justiciam in praejudicium illius, clementia degenerat in segnitiem absque discretione et criminum non punitorum reus efficitur princeps in conscientiae foro, cujus respectus non tam fortiter urgebant tunc, quam sollicitudo evitandi opinionem segnis et inbecillis animi, propter quam neglecto hocce medio accusari potuissem me omisisse salvare publicam causam. Dimisi proinde deputatos Károlianos multis verbis, pollicitationibus, mandatis et, publice publicandis militiae exhortationibus in exitium ejus instructos; sed res aliter te disponente, o Deus, accidit; fideliores ipsi fuerunt deputati, quam mihi; mandata mea suppressa et non executa remanserunt, et depositis armis militia tota ac nobilitas acceptatis amnistiae conditionibus jurarunt in fidelitatem Imperatoris et in omnibus actis et tractatibus nomine et titulo confoederationis abusi sunt; originale tamen tractatus sui instrumentum jam mihi transmiserant, ut in casu violationis ejus causam habeam reassumere confoederationis querelas et gravamina. Promittebatur quippe tractantibus legum, libertatum, privilegiorumque regni manutentio, sub cujus manutentionis affidatione fidelitatem juraverant. Secuta fuit hunc tractatum, quem me acceptaturum per totum regnum sparsum fuerat, civitatis quoque Cassoviensis deditio per gubernatorem ejus Comitem Danielem Eszterházi, qui accepto superinde Károlii supremo militari imperio a me, prout dixeram, praefecti mandato, persuasus illud ex consensu meo emanasse, e fortalitio cum praesidiariis sub illo ipso tempore excessit, quo secretis literis meis instructum nuncium obvium habuit, per quem ipsum ad defensionem strenuam exhortans, de Károlii cum militia campestri a fidelitate mea recessu informabam. Sed quia jam civitatis adversa porta Germanorum custodiae tradita fuerat errorem non sponte sua

commissum copiosis subortis lacrymis deflevit. Solae proinde arces Munkácsiensis et Ungváriensis restiterunt in fidelitate mea, prima militia mea praetoriana praesidiata sub imperio Baronis Stephani Zennyei cancellarii confoederationis, strenui quondam militis, sed per podagrae ac chiragrae nodos omnis corporis usu destituti; quia tamen cor ejus et animus zelo causae et libertatis gentis praeditus fuerat, non dubitavi ei defensionem arcis committere, in qua ille gloriosum sepulchrum quaesiturum multis juramentis promiserat; sed aliunde nullum ei obsidionis formalis et intentandae violentae expugnationis imminebat periculum, praeter situm enim arcis, eminenti in mediis pratis saxo superaedificatae et undique altis fossis cinctae, ipse mons altero ad regulas artis exstructo fortalitio cingebatur, quod accessum montis, mons vero inferioris fortalitii arcebat; tormentorum praeterea non deerat abundantia et omnia requisita ad strenuam defensionem, Deerat Germanis peditatus sufficiens ad aggrediendam eam, deerant tormenta, quorum si nec unum nec alterum quoque defuisset, ipsamet statio anni reddebat aggressum impracticabilem; prata enim fortalitium cingentia tam densis sylvis paludosis et fluviorum torrentium abruptis circumdantur ad longioris itineris et multorum stadiorum spatium (ad quod ipsum per aliquot dierum iter lutosum et coenosum perveniendum est), ut pro vehendis majoribus tormentis et exercitus impedimentis nonnisi aestiva tempora et haec quoque praeter ordinarium annorum cursum sicciora suppeditent occasionem. Montana enim, quae propemodum itineris horae distantia exsurgunt et arcis semicirculum concludunt ac adusque Poloniam trium ferme dierum itinere extenduntur, sunt tormentis et impedimentis bellicis omni tempore impervia. Haec et tanta fuerunt arcis hujus munimenta, quam ego pro defensione annua omnibus requisitis praeparaveram, in qua uxor quoque Károlii cum omni sua familia et impedimentis sub potestate mea remanserat; sed quia et de illa et de me aliter in decreto judiciorum tuorum statutum fuerat, justum fuit, ut omnia aliter, quam ego volebam, eveniant. Dum haec agebantur in Hungaria, Czarus Moscoviae, quem jam appropinguantem anxie exspectaveram, in oppidum Javarov advenit, quo internuncius quo-

que Gallicus Balize nuncupatus exspectabatur, qui secundum datam mihi notitiam Czarum de amicitia regis sui assecuratum, de adventu legati sui ad tractandum cum eo ac defensivam offensivamque ligam concludendam certiorem reddere debebat. Unde ego quoque ex Krikizova cum magnatibus et senatoribus ac aula mea movens ad vicinum Javaroviae vicum feliciter appuli et sequentibus diebus ad secretius colloquium in suburbano arcis horto a praedicto principe honorificenter exceptus fui. Praestitis taliter a me venerationis debitae officiis realis collocutio de essentialibus occurentiis ad sequentes conferentias relegata fuit, ad quas pro tempore ordinato paucis stipatus jam ad Cancellarium, jam ad plenipotentiarium legatum ejus in Polonia in praesentia ipsiusmet Czari tenendas adesse non intermittebam. Prospera, arridentia mihi videbantur omnia, Czari jam pridem de me praeconcepta opinio, familiaritas optime me sperare jusserant; mundanis honoribus excipiebar ubique a magnatibus Poloniae undique affluentibus; commessationes, epulae, saltus miscebantur seriis; sed his vanitatibus et peccaminosis temporis dispendiis non terminabatur malitia mea, qui publico scandalo celato adulteria mea et profanos amores continuabam, non tam fragilitate, aut inclinatione naturali ductus, quam necessitate ac ratione status illius mei, quae nec publicorum nec privatorum respectu suadebant aut potius admittebant abrumpere commercium, quod ab octennio continuaveram. Absit a me, o bonitas infinita, haec proferre in excusationem mei, qui turpitudinem meam his revelare non celare amplius cupio hominibus; docuisti enim me, quam sit stultum et inane illis occultare, quod te latere nequit; fugiebam judicium illorum, quamdiu mundum amavi, nunc tuum evitare cupio, quia te diligo, inditus est amori timor et hinc uno desinente cessat et alter; dum amoris mei mundus et mundana objectum fuerant timebam inquam offendere regulas ejus honestatis et discretionis, quibus publici assensum et opinionem sectantur filii saeculi; et hae catenae, nisi per gratiam tuam rumpantur, fortiores sunt praeceptis *tui* Evangelii. Sed exulta et laetare anima mea et gratias age Redemptori tuo, te posse dicere non amplius timere mundum nec diligere, sed illum solum charitate prosequi

et amanter timere, qui te ruptis vinculis tuis traxit ad se per has vias, quarum abdita haec confitendo scrutaris. Decretum justitiae tuae fuit, ut punires me peccatorem; decretum misericordiae tuae fuit, ut punires me in tempore amissione dignitatis principatus mei, exilio et plurimis jacturis bonorum meorum et temporalis vitae miseriis; decretum sapientiae tuae fuit, ut per tot vias duxeris me; sit decretum, quaeso! amoris tui, ut salves me, ut sit, dum omnia praedicata tua operantur in me, et ego totus operer in omni opere meo in te. Rupi ego filum narrationis meae hoc interjecto desiderio, plus tuo quam meo, quamvis et meo, quia per me facto; sed necdum tunc, dum recensita agebam, rupta fuerant vincula mea, quibus me amor ille proprius alligatum tenebat ad patriam, ad amorem profanum et adulterum, et concupiscentia ad vanitates et pompas mundi. Princeps fui, sed jam tum principatu carebam, sed non me illo culpa mea privatum censebam, et nimisquam delectabar judicio publico, quod me illo dignum credere publicabat; studebam igitur assidue nihil me indignum agere et sic profecto indesinenter ambulabam in conspectu tuo, et prout tu jusseras servo tuo Abraham, ut ambulet in conspectu tuo, quae sola est essentia devotionis hominis Christiani et verum charitatis signum; angebar amissione principatus, patriae, sed adhuc magis necessitatibus domesticis, sed consolabar vana illa humana consolatione, nihil in his culpa mea accidisse et ipsismet necessitatibus et egestati ideo esse obnoxium, quia publica privatis praetuli et propterea thesauros non congessi; haec est dementia illa hominis, quae pro te summo bono facere renuit; quae pro se facit. Sed renuit ne, an solummodo facere non potest? Profecto saepe et renuit, sed nec facere potest sine te, nec vires petit a te, et propterea revertitur ad se, donec misereraris hominis et deduxeris eum in vias ducentes ad te, ad quas jam tunc me ducendum inchoaveras, sed ego renuebam, aut potius non investigabam et non senseram decreta misericordiae tuae, sed humanis adhaerebam consiliis, quae quomodo confundebas, recensebo. Angebatur in illis rerum conjuncturis Czarus indicto a Turca bello, quod instinctu regis Sueciae post Pultavanum infelix proelium in ditiones Turcici imperii profugientis

excitatum fuerat, sed ejus vera origo ab aula Viennensi regi Galliae adscribebatur, quaerebat illa Czari unionem cum illo quaerentis abstrahere animum et propterea falsis rumoribus et literis (quas intercepisse simulabat) spargebat, regem Galliae pro perpetua sua colligatione et amicitia cum Suecica corona effecisse ut Turca bello aggrediatur Czarum, et propterea me quoque secreto partes Suecicas non tantum fovere, sed et in hanc rem per emissarios meos ad R. Sueciae et ad Turcas missos contribuisse. Sed quia e contra ego effeceram consensum regis Galliae in colligationem cum Czaro, suspendebat judicium Czarus et adventum praenominati Baluzii exspectabat, qui assecurare debuerat illum de sincera amicitia regis sui, de colligatione sua et adventu plenipotentiarii sui legati, et de inclusione ejus in pacem generalem, quodsi me adjuverit. Haec fuere denunciata mihi penes literas credentionales regis Galliae, per ablegatum meum in Gallia Ladislaum Vetés, quem cum his jam ante ad Czarum miseram et propterea ab adventu et confirmatione internuncii Baluzii dependebant omnia. Opportune pro his te ita disponente accidisse videbatur Imperatoris Josephi mors, qui sub hoc tempus tam insperate fatis functus est, ut infirmitatis et mortis ejus famam idem propemodum nuncius attulerit. Adhuc arx mea Mukácsiensis minas inimicorum contemnebat (ex qua cum omnibus impedimentis exeundi uxori Károlii feceram facultatem), et in tam subita aulae Viennensis mutatione sperare poteram gentem Hungaram facile animum reassumpturam. Regni gubernium et rerum omnium administrationem non Imperatrix Amalia uxor Josephi, sed mater Eleonora tanquam coronata Romanorum Imperatrix et Regina Hungariae assumpserat, et Vicariatus imperii authoritas pro more inter Electorem Palatinum Rheni et inter Electorem Saxoniae, Augustum Poloniae regem dividebatur; archidux Carolus, Josephi frater, adhuc in Hispania sine classe et redeundi mediis subsistebat; bellum cum Gallia, jam Anglia in confoederatione titubante continuabatur. Unde ex his omnibus magna mihi suboriebatur spes scopum meum attingendi, praesertim dum etiam adventus regis Poloniae Jaroslaviam in dies speraretur. Sed aedificii hujus mundano-politici machina in fundamento deficere incoepit, cum adveniens Baluzius, praeat-

tactis speciosis promissis, longe aliud protulit; a tempore quippe discessus Parisiis ablegati mei aula Gallica per oratorem suum Marchionem Desalleurs, qui durante bello Hungarico ablegati apud me fungebatur ministerio, Constantinopoli residentem et Suecicis partibus addictissimum informata fuerat de Turcarum bellicis contra Moscuas praeparatoriis et ministro regi Sueciae favente nimiam conceperat spem de restituendis et reparandis rebus suis, et propterea vindicem regis illius animum praecavere volens sua de amicitia, Czari mutavit consilia et Baluzio secrete mandaverat, ut dilatis caeteris propositionibus mediationem solummodo pacis inter Czarum et regem Sueciae tractandae offerret; quod ipsum cum Baluzius executus fuisset, exspectationem aulae Moscoviticae ex assecurationibus meis praeconceptam longe fefellit. Sequenti proinde publici colloquii mei cum Czaro die in secretiorem conferentiam ad principem Dolgoruki vocatus, Czaro quoque praesente exposita mihi fuit Baluzii propositio, quam mea differentem reperiens ad colloquium meum superinde cum ipso habendum retuli et differentiam inter mea et ipsius prolata enatam praecautioni ejus adscripsi, quod secrete commissa in publica audientia non protulerit. Sed postmodum accersito eo ex tergiversationibus ejus et quaesitis subterfugiis et dolorosum et periculosum fuit mihi tam manifesta propositionum contrarietate fidem meam labefactari. Coepit his perceptis diminui spes quoque mea in auxilio Czari, vel maxime dum subaudita sub idem tempus arcis meae segni deditione belli Hungarici adhuc superexistens fomes exstingui et resuscitationis ejus modalitas difficilior videbatur; poterat haec adscribi factioni Károlii, vel desperationi de futuro succursu; sed aut hinc aut inde contigerit, sufficiat mihi hic dicere te sic disponente factum fuisse, ut aeterna tua decreta suum finem sortiantur. Destitutus proinde omni spe fructus et negotiatione Gallica converti animum ad conciliandum pacem Czarum inter et Turcas ex notitia constitutionis Portae Ottomanicae, apud quam durante bello Hungarico semper meos tenueram homines, ex quorum relatione constabat mihi Turcarum genius. Esposui proinde Czaro considerationes et exinde exortas facilitates apparentes, quae notabili summa pecuniae indigebant, ut ad effectum deducantur. Desiderium pacis

applanabat reliqua et in spem assequendae rei erexit, *formato* proinde per rescripta negotiationis systemate ad tenorem ejus provinciam Joanni Pápai Transilvanicorum bonorum meorum praefecto ac consiliario oeconomico commisi, quem rerum Turcicarum gnarum credideram, siquidem iteratis vicibus et longiori temporis spatio residentis mei ad Portam Ottomannicam fungebatur munere. Omnibus in hocce negotio bene consideratis vix res effectu carere poterat, sed hoc quoque, quod factu facile visum fuerat, quomodo o aeterna sapientia effectu carere voluisti, suo loco referam, hic breviori verbo tantummodo memorans discessum ejus per Moldaviam, a cujus provinciae principe passus liberi literas ad Portam eundi obtinere debuerat. Sub id tempus advenerat uxor mea in Jaraslaviensi virginum monialium conventu ab aliquo tempore degens ad vicum Javaroviae vicinum Salosce nuncupatum, ubi pro commoditate aulae meae stationem fixeram, cujus praesentiam ferre non tam ob supranominatas peccaminosas habitudines fastidiosum fuerat mihi, quam propter humoris et morum contrarietatem et inordinatam vivendi methodum, in qua ego quamvis nihil peccaminosi sciverim aut indagare voluerim, nimis tamen repugnabat genio meo propter gravitati mixtam levitatem, prodigalem generositatem, inordinatos sumptus et complura hujus generis domestica onera praesentia ejus; aulae meae et consuetudinum mearum ordo propter muliercularum eam cingentium susurra turbabatur; tricae et garrulitates inducebantur et multae hujus speciei incommoditates enascebantur. Fuit, o sapientia aeterna, alia quoque praegravis ratio, sub cujus praetextu me a thoro ipsius separare posse credideram; sed non tum grave fuisset mihi eam superare, si pondus ei non dedisset criminalis complacentia et placendi detestabile studium personae illi, cujus adhuc tunc plus politico quam reali incaptivabar amore. Turpia sunt, quae numero, sed non me pudet revelare ea, quae quamvis multis hominibus celata tum quoque patebant tibi, dum a me multo studio occultata fuere; erronea prout jam tibi, o misericordia aeterna, confessus fui, tenebar conscientia et iniquitates prout escam panis manducabam. Interea adventum Augusti, regis Poloniae (qui tunc sede imperiali vacante in quibusdam imperii circulis vi-

carii fungebatur officio), Jaroslaviam rescientes, ad colloquium cum eo habendum Czarus Javarovia discessit, quem an secuti fuerimus, an praecesserimus, non sat recenti teneo memoria; id tamen notum est mihi stationem nostram in vicino vico Visoczka nuncupato fixisse. Possidebam ego tunc adhuc medietatem bonorum Jaroslaviensium; sed, quia a majoribus meis aquisitae indigenatus mei a regno datae literae in dieta publicatae non fuerant, bona praedicta sub nomine castellanae Craccoviensis Sinniavskianae comparaveram et sub titulo possessionis illius fruebar proventibus praedictorum bonorum. Tenebat regis senatus consilium Jaraslaviae, in quo de imminenti bello Turcico agebatur, in cujus societatem Polonos adscire cupiebat Czarus, parte ab altera rex clandestinis conatibus coronae Imperiali inhiabat; Carolus enim, Josephi frater tum adhuc Barcinonae in Catalonia degens, navibus et mediis ad redeundum carebat, et *hac* circumstantiae favorabilem mihi et Hungaris me sequentibus reddebant principem, qui ad publicam nobis omnibus reipublicae protectionem senatus consulto nobis decidendam consenserat et me uxoremque meam multa affabilitate et comitate prosequebatur. Major mihi tunc fuerat cura captationis horum et similium quam misericordiarum tuarum, quamvis omnia abinde traxerint origiuem, convivia, profani amoris studia; res patriae et sortem meam sequentium avocabant mentem meam a te, et adhaerere fecerant illis, quorum indignitatem me noscere fecisti adveniente hora tua, in qua locutus es ad cor meum, et audire me fecisti eloquium tuum. Urgebat Czarum bellum Turcicum et, vere jam elapso, ad campum cogebat. Moldaviae tunc princeps quoque, motivo religionis ei addictus, secretam miserat legationem, per quam de fidelitate sua assecurabat Czarum, sed de pabuli, herbae et commeatus inopia certiorem reddebat; omnia enim haec consumpta fuerant ab innumerabili locustarum multitudine, quae campestria provinciae inundaverat; hinc dupplex de bello ducendo oribatur opinio, ut nimirum vel nulla mora interjecta proviso necessariis exercitu, citato gressu depopulatam provinciam transiens, hostem praeveniret et ad Danubium usque penetraret, vel Poloniae fines non transgrediens adventum hostis exspectaret. Sanius, securiusque hoc fuit consilium, al-

terum gloriosius et pro ratione belli utilius videbatur. Rex Poloniae suadebat securius, et ut ad illud sequendum Czari quoque disponerem animum, abiens quoque petebat a me; sed ingenue fateor me ad sequendum primum procliviorem fuisse, quamvis in colloquiis cum Czaro de hac re habitis regis simulaveram sequi sententiam. Rex senatus consilio rebusque suis cum Czaro terminatis, magno convivio in festo apostolorum Petri et Pauli, die nempe nominis a Czaro exceptus cum omni magnatum Polonorum coetu, postquam diem integrum epulas et choreas transegisset, sequentibus diebus discessit in Saxoniam et Czarus in Moldaviam; ego sequenti diluculo Czarum insecutus duobus Jaroslavia milliaribus vino somnoque sepultum eo fine junxeram, ut ad sumendum prandium in Visoczkam milliari abinde distantem invitarem, quod nonnisi multis et reiteratis precibus assecutus Principem brevi prandio exceptum cum conjuge sua et duorum ministrorum comitatu redis et equis meis ad usque fluvii transitum comitatus fui, et illi felicia apprecatus valedixi. Prolixiori sermone forent haec enarranda, si temporum historiam scribere aut connotare intenderem non conscientiae meae reddere rationem. Amplarum reflexionum materiam suppeditarent mores, gesta et differentes genii Principum, quorum hic solummodo nomina refero; quodsi enim reliqua considerans ea cum praeceptis tuis et sanctae religionis nostrae regulis combinavero, unius et alterius vias Christiana charitate commotus merito deflere deberem. Sed esto tibi relictum de internis judicium, de quibus externae apparentiae ad favorabile ferendum contribuere nequeunt; loquantur de illis profanae historiae, quae unius et alterius multa et heroica facta, multa fortitudinis exempla referre poterunt; illarum moris est et vitia quoque in virtutis speciem colorare et his velatis aliis omissis circumstantiis mediocria facta in maxima extollere, et maxima inimicorum parvi pendere. Deploranda est vanitas principum, qui in gestorum suorum scriptitatione delectantur et se per illam in posteritatis memoria magnos futuros opinantur, non considerantes, quemlibet principum suum habere poëtam et historicum, et quemlibet horum suum decantare et laudibus extollere heroem, quorum varietas tantas dubietates parit per decursum temporis, ut plerumque

verissima revocentur in dubia, et haec statuantur pro veris; naturalis est haec sors vana sectantium et a vera virtute deviantium; sanctorum principum semper viget memoria et constanti celebratur laude, profanorum virtutum colores abstergit antiquitas et illis nudata apparent vitia. Sectare, quisquis es, in veritate veritatem, et haec sola factis tuis semper reddet testimonium, dum ad aeternum perveneris praemium. Multa sunt, o Sapientia aeterna, quae me nunc videre facis in consideratione principum, quorum regiminis, principiorum et factorum diversitatem tunc oculis meis corporalibus exposueras et nunc quandoque spiritualibus repraesentas; fuerunt ea tunc celata his, quia clausi fuerant, sed a quo tempore misericordia tua aperuit eos, agnosco et adoro aeterna decreta tua, in quorum finem me tot regna peragrare fecisti, ut regiminis mundanorum principum magis magisque agnoscens miserias, spernam illud et sensibilibus exemplis edocear nihil esse bonum, nihil stabile, nihil tranquillum, nihil solidum, nisi quod fit propter te, in te et per te. Excutit unus religionis froenum, dicit in corde suo, non est Deus, et in mundanis objectis se satiare intendit; delectatur in regali fastu, instituit epulas, spectacula, choreas, et in exquisiti gustus vinis sepelit vergentes curas; mulierum pro lubitu sectatur amores, rapit et a sacro-sancto matrimonii quoque nodo, separat, mutat, rejicit illas pro instinctu concupiscentiae suae; generosus in largiendo, conciliare studet hominum animos et beneficiis addit comitatem; descendit ab altitudine throni, parem se reddit subditis amicum, sed inter haec omnia infelix est; nunquam enim his tot subjectorum conciliare et devincere potest, quot abalienat et inimicos reddit animos. Hic raptam conqueritur conjugem, alter offensam inter pocula datam, fidem ruptam, promissa non servata declamat alius; alius violatarum legum exprobratione et publici scandali depraedicatione exosum reddit principem; augetur credentium numerus, et beneficiariorum aulicorum numero dum superior evadit, quot disgustus, quot mala causant ipsa, quae vidi, edocuerunt me. Alius differenti procedit via et particulari genio suo satisfacere studens, luxum, splendorem throni contemnit, vix habitu distinguitur a subditis, quibus exemplo praeire cupit in exercenda vita plebea; omnia scire

desiderat, exaudit omnes, examinat minutissima; libidini suae satisfacere studet sine scandalo, laborat ut opifex exteras perlustrat provincias, proprias in ordinem redigit, exteros mores adoptat, militiam instruit, artes inducit, commercia instituit, justitiam exercet. Numquid hic imitandus? O Deus, quis et hic sine te discernere potest bonum a malo, nonnisi mundano et hic agitur spiritu et se quaerit in omnibus. Dignus est coelesti throno, qui propter te, Domine, descendit de terrestris, ut unigeniti filii tui se pro salute nostra humiliantis sequatur exemplum, et sic operatur salutem proximi et suam per actus misericordiae, sic enim vere repraesentat dominum suum, cujus imago est in terris; sed si ea facit, naturali levitate inductus ut publica frequentet loca oenopolia et pincernas, quis poterit asserere eum satisfacere, fini, propter quem ad regendos populos constitutus est et digne obire munia vocationis suae compotationes exercendo, quas subditis suis inhibere et illos ab illis arcere deberet; praescribit honestas agendi legem principi, habet suas justitia vias, ordinariae et mediae in his viae sunt sequendae, solum Deo placendi desiderium debet ignorare mensuram, sed nec illud discretione carere debet; tu enim, o divina bonitas, omnia operatus es et operaris in ordine et in mensura, et omnibus suos praescripsisti limites! Orat princeps, dum propter te operatur, ut princeps, et sic dum in omnibus in conspectu tuo ambulat, orat indesinenter; sed vice versa nec ordinationi tuae conformiter agit, nec orat, dum ex indiscreta devotione horas, quas pro bono publico impendere deberet, solitariae vitae consecrat et sic proprias functiones status sui fastidiendo spiritualem quaerit satisfactionem et tranquilitatem; in his enim viis impropriis incedendo profecto non te quaerit, o Domine, sed semet ipsum, quietem sectatur non laborem, ad quem eum destinasti. Sed communis eorum est cum ceteris hominibus natura, aequalis fragilitas et majora ad malum incitamenta, quia major potestas, copiosior illa abutendi occasio, hinc majoribus gratiis tuis indigent ad bene utendum iis mediis, quae illis tua concessit misericordia, quas quia pauciores petunt, heu quam pauci consequuntur; hinc tam difficile salvari principem et divitem et tam exiguus numerus fidelium illorum oeconomorum, quibus confidisti talenta tua. Quid dicam, o desi le-

rium animae meae, de horrenda illa morum dissolutione, quam pravum exemplum principum inducere solet in regnis, quibus praesunt, quorum tu me quondam feceras spectatorem, quidni dignum est, ut gratias tibi agam, quod me a tot ac tantorum malorum occasionibus amotum esse volueris. Absit a me, o infinita bonitas, dolere me descendisse e throno aut ascensum ejus ambire; tuus sum, Domine, tuum est me collocare pro fine aeternorum decretorum tuorum, tuum curam gerere mei in statu, in quem collocaveris me; sed dispares tunc fuere cogitationes et sermones mei, tunc, dum praerecensita agebantur, non angebar de amisso throno prout jam hoc recensui; resignaveram enim jam tunc tibi voluntatem meam, sed tamen propterea non ambulabam in viis mandatorum tuorum, quia nesciebam, quid sit amare te, et ideo puram esse credens conscientiam meam ducebar ab ea ad interitum; segnis et tepidus fueram in omnibus, quae te respiciebant; credebam porro non esse obligationis positivae ad perfectionem Christianam intendere sed posse salvari recepto baptismate honestam vitam ducendo; praesumebam de misericordia tua nimium non considerans illam quoque suam habere mensuram, quam, dum peccator repleverit, vides in interna ejus; noveram fragilitates meas et illas lubens majores esse credidi, quam fuerant, ut mihi persuadeam, me a certis peccatis abstinere non posse; ore gemebam de illis sed non corde, et propterea non adfuisti mihi gratiis tuis, ut me liberares ab illis. Hic est ille status tepiditatis, qui nec frigidus nec calidus est; abstinet se ab enormibus peccatis, hinc non totus frigidus, sed non tendit ad perfectionem, nec omne, quod potest, operatur bonum, hinc nec calidus. Heu quam multi sunt, Domine, Christianorum, qui in hoc miserando statu gementes suas et ignorant et ignorare volunt miserias; lectitant scripturas et pios libros cum sciolitate in sententiam suam trahentes illa, quae ipsis contraria apparerent, si ea in humilitate legerent, sed carent docilitate et humilitate; credunt, quod pro palatu reperiunt; rejiciunt, quod detorquere nequeunt; recipiunt, quae in favorabilem opinionum suarum sensum deflectere possunt; elevantur super semet ipsos ad scrutandas investigabiles vias aeternorum decretorum tuorum et praedestinationis electorum tuorum; noscunt peccata sua et sordes,

in quibus volutantur; detestantur peccaminosos carnis stimulos, sed se mortificare nolunt ad sedandos illos; allegant veram mortificationem consistere in corde non in externis actionibus, sed nolunt agnoscere hos illius fructus esse debere. Magnorum sanctorum tuorum conversiones proferunt et mirantur, qui e spississimis tenebris venerunt ad lucem et illa momenta gratiae tuae exspectant, sed illa accelerare et adtrahere velle intendere negligunt; captivos, ligatos se sentiunt, sed vincula solvere non conantur; passiones suas agnoscunt, sed cum illis salutare illud bellum gerere, illas impugnare inane esse ideo adulantur sibi, ut in illis permaneant, hinc jam te misericordem esse credunt absque justitia, jam justum esse timidi imaginantur absque misericordia, jam sanas vias amplectuntur hujus metu permoti, jam has deserunt de illa praesumentes; illudit his nunc caro nunc diabolus, mundum enim contempsisse persuadent sibi, et hinc novae de electione status exsurgunt luctae et plerumque illa desiderant, quae assequi nequeunt; stimuli carnis invitant ad matrimonium, ne urantur, remorsus conscientiae ad statum religiosum et poenitentia; fluctuant, dubitant, desiderant, appetunt et sic tempus et momenta tua exspectantes horas, dies et annos, saepe vitae totius partem stantes et ociosi amittunt, quia proprio aguntur spiritu nec se duci sinunt, sibi credunt non aliis. O quam periculosa est haec perditionis via, quae desperationi finali videtur esse obnoxia. Verum est, Domine, et hanc veritatem tu me agnoscere fecisti, nihil posse hominem boni facere pro salute sua sine te; moraliter tamen bonum facere et virtutes morales exercere posse multis ethicorum exemplis edocti sumus, quae ad fragilitates nostras coërcendas multum contribuunt, et cooperantur gratiae tuae conjunctae salutem nostram, quam in his a nobis quoque dependere voluisti, non enim salvas nos sine nobis. Quot fuere philosophi, qui divitias contemnentes paupertatem amplexi sunt; alii castitatis, alii temperantiae, alij fortitudinis animi dedere exempla, quae omnia absque particulari tua gratia facere potuere. Sed absit a me, ut illa fructuosa fuisse asseram, quae non propter te facta fuere; non consistit igitur in actu corporis gratia tua, sed in intentione spiritus, quae ipsis defuit, et quam tu petentibus non denegas, quos in

cognitionem tui jam per gratiae baptismatis characterem deduxisti, sed vis, ut te fide agnitum amet homo, id est, ut omnia, quae pro se aut pro aliis creaturis fecisset, si te non agnovisset, te semel cognito pro te faciat; virtutes omnes morales exerceat, sed non propterea quia per se bonae videntur ipsi gloriosae aut utiles, sed propterea quia tibi placent; contemnat divitias, sed non eo fine, quo Crates et reliqui fecerunt, sed ut te sequatur; adversa toleret, non ut gloriam mundanam acquirat, sed ut crucem suam tollat et in viis tuis ambulet, insistendo vestigiis tuis. Et sic de reliquis omnibus actionibus bonis intelligendum, quae humanae naturae vires non excedunt, sed salutiferae esse nequeunt, nisi dum propter te fiunt, id est, in spiritu et per spiritum tuum. Nec in eo consistit fragilitas, quod agere nequiremus, sed quia illa inducti libentius pro nobis aut pro visibilibus creaturis agimus quam pro te bono nostro invisibili; et hoc est, quod viribus naturalibus fieri nequit, sed quilibet actus tua indiget gratia, non ut faciamus, sed ut propter te faciamus, quod ut fiat, te desiderare, ad te intendere, de te cogitare debemus, quod humanae naturae debilitati non convenit nisi adjuvantibus meritis et gratia Domini nostri Jesu Christi. Quot sint, o Domine, hae et quam diversae, non meum est enarrare nec hominis inquirere, qui eas indagans, magis scire cupit quam credere; fatere me oportet tibi, quod me poenitens experientia docuit plurimas esse, quas negligimus, plurimas quas contemnimus, plurimas quibus abutimur, hinc ex hominis injustitia provenit, dum te sibi deesse comperitur; fatendum tamen est non omnes illas esse ejus speciei, quae alliciunt, attrahunt et quibus nunquam resistunt illi, quibus largiris, non quod non possent, sed quia nolunt; sufficientes tamen forent ad bene agendum et ad uberiores gratias et fortiores promerendas, si nos a creaturis et sensuum nostrorum objectis abstrahere studeremus et contra pravas inclinationes dissipationesque nostras continue pugnaremus. Sed quot horas diei nostrae in vanis colloquiis et occupationibus impendimus, quae si rebus salutis nostrae proficuis in simplicitate et docilitate quaerendis consecraremus, thesauros gratiarum tuarum reperiremus. Sed, o misericordia aeterna, numquid haec, quae profero, ipse tantis annis ignoravi! Fateor, o Do-

mine, et hoc ipsum est, de quo me gemere oportet! Sed cur ignoravi, an ideo, quia discere nolui, aut quia me docere noluisti? Absit me dicere hoc posterius, qui meas negligentias vere agnosco; tu enim vocabas me, sed ego renuebam; tu me visitabas, sed ego discedebam a te. Omnia, quae tibi recensere statui, demonstrant mihi, quam misericors fuisti erga me, et quam ingratus fueram erga te. Confundebas consilia mea, ut recurrerem ad te; immittebas pericula, ut salvares me; jam elevabas, jam deprimebas me, ut agnoscerem te. Gratiae tuae fuerunt haec omnia, quibus ego abusus fueram et adhuc abuterer, si major non fuisset misericordia tua, quam iniquitas mea, dum me tandem suaviter allicuisti ad te et locutus fuisti ad cor meum dulci illi loquela, quae me exaudire fecit verba tua. Sed, o dulcedo et amor cordis mei, necdum hoc tunc fuerat, dum illa, quae dixeram, agebantur; oportet mihi recensere adhuc foeditates meas aliquot annorum, antequam perveniam ad enarrandum momentum illud misericordiae tuae, quod me traxit ad te.

Posteaquam enim Czarus abiit in Moldaviam, et rex Poloniae rediit in Saxoniam, continuabam ego currere in viis iniquitatum et rebus domesticis compositis, uxore mea in Visovzka relicta, quaesitis ex praetextibus cum aula mea in arcem Javaroviensem habitandam discessi. Terebam ibi tempus in inanibus vel prout mundani credunt, innocentibus distractionibus, balneis et similibus exercitiis, quae deliciosus arci adjacens hortus suppeditabat. Iam tum exactior deveneram in recitandis Virginis Matris tuae horis, o Jesu mi, quas praefixo tempore cum Capellano meo absolvebam, missae sacrificio pro solito more assistebam. Et jam tunc interruptum fuit criminale meum commercium, sed non propter te, Domine, sed propter honestatis studium, quo motus publica scandala vitare volebam, et praevidens, me moram in Polonia trahere non posse, rationes quoque politicae cessare inceperant, propter quas illud intertenueram; ne tamen amor vertatur in odium, colebam amicitiam, pejerationibus confirmabam affectum, sed periculosas et clandestinas occasiones cavebam. Remanserat persona illa in civitate aliquot milliarium aut potius justae diei itinere distante, quo me quodam tempore ad secretum colloquium invi-

taverat, cui non ut restitissem, sed tantis me aquarum inundationibus et tam exigua *equeba* vectus exposui, ut vere ingens animae et corporis perdendi periculo me objecerim, non peccandi desiderio ductus sed vana illa jactantia et falsae generositatis stimulo, qui pericula quaerere gloriae ducit, ut hominum admirationem conciliet et per similia heroici animi laudem acquirat. Sic pululat in omnibus hominis actionibus cupiditas, sic germinat amor ille propriae excellentiae, qui nascitur cum homine et toto peregrinationis ejus super terram tempore vel dux vel comes itineris ejus est; hic verus ille Proteus, quem poëtarum figmenta se in omnes formas mutasse memorant; hic est princeps ille saeculi et mundanorum idolum, qui omni hominum statui se accomodat, et heu quam saepe se piis quoque immiscet actionibus; simulat se poenitere in poenitentibus, orare cum devotis, corpus macerare, eremos colere, jejunare, mundum contemnere, contradictiones pati, cruces bajulare, proximum amare, te, o infinita bonitas, diligere, cum tamen in his omnibus nonnisi se quaerit, se diligit et semet ipsum ponit homo pro objecto et fine actionum suarum. Haec est abominanda illa hypocrisis et superbia vitae, quae caritatem et veram humilitatem extinguit et ab ejus laqueis nonnisi gratia tua potest nos liberare; hic est inimicus ille, quem circumportamus in corde et cum quo nobis continuum bellum habere oportet. Nimium subtiles et heu quam suaves sunt illecebrae ejus, quae sine spiritu tuo discerni nequeunt, et propterea haec est vera illa causa damnationis omnium hominum, quae angelos deturbavit ex coelo et primum parentem nostrum expulit e paradiso, mortem induxit in mundum, quem adhuc sub potestate diaboli teneret, si filii tui pretioso sanguine redempti non fuissemus. Sed, o sapientia aeterna, liceat mihi tantisper indagare, cur hoc malum, hanc potestatem concupiscentiae, a cujus poena nos liberasti per mortem tuam, adhuc remanere volueris in homine et semen ejus non deleveris in eo; quid enim profuit et prodest passio tua tot millionibus animarum, quae perierunt et adhuc omni momento damnantur; et si ex amore generis humani passus es, cur non omnes salvando aequaliter amasti? Nolo, Domine, scrutari arcana judiciorum, descendere in abyssum decretorum tuorum, quae adorare, non examinare oportet, sed

adjuva me, quaeso, lumine tuo, ut in illo quaeram lumen et illo adjutus depraedicem magnalia tua ; tu enim es, qui demonstras mihi in his omnibus inenarrabilem illam oeconomiam tuam, in cujus contemplatione quondam nimisquam consolatus fueras me et spirituales delicias praegustare feceras, quae superant omnes mundi illecebras; hic est liber ille, in quo leguntur opera sapientiae, omnipotentiae, justitiae, misericordiae tuae, per quae homini propter temet ipsum creato te manifestare voluisti. Decreveras ex infinita misericordia tua creaturam participem deitatis tuae efficere, ut magis pateat omnipotentia tua. Hoc ipsum opus tuum, quod in tam sublimem statum elevandum fuerat, ex limo terrae finxisti, et hoc figmentum, hanc inquam massam terream animasti spiritu tuo, ut te per hunc cognoscere posset; sed, quia ille massae terreae stricto vinculo uniri debuerat, non potuit coarctatus et obfuscatus te purissimum spiritum agnoscere, quia videre nequiit. Posueras eum in paradisum voluptatis, in quo omnes creaturas subjeceras illi, et ille dominabatur illis, et quo plus delectabatur, eo plus elevabatur spiritus ejus; cui siquidem per prohibitionem esus pomi froenum imposuisti, ejus impatiens similis tui voluit fieri; terrenis enim non contentus ad subliniora ferebatur et propterea sententiam tuam juste promeritus est, quae animum corporis mancipatui subdidit et corpus in pulverem convertendum sancivit; et sic mors in poenam peccati intravit in mundum, et aeternae animae aeternas quoque poenas ordinaverat aeterna justitia tua, cujus rigor se ad omnia illa extendit, quae pro perfecta creatura hominis in statu illo perfecto creaveras, natura illius morti subjecta mutari debuerant, ut prouti ante conservationi voluntatique ejus inserviverant, in destructionem, in poenam et in afflictionem convertantur; unde suborta est mira illa elementorum contrarietas, quae activitate continua generata corrumpit, ex corruptis generat et continue destruendo conservat, ut conservata destruat. Taliter igitur condemnata natura et corpore tuo, o homo, acquisivisti scientiam mali, quam et consilio serpentis affectaveras; tendit caro tua in corruptionem et haec diversas causat passiones, quae formant desideria et haec inducunt transgressiones mandatorum tuorum, o infinita misericordia! Sic suscitat caro fomitem

desiderii spiritui et pugnat contra illum, ille vice versa per potentias suas intellectuales, si te cognoscit aut legi seu tuae seu humanae subjectus est, contrariatur carni et suapte natura tendit super omnia, quae corporalia sunt, quia spiritus est; fruitur, delectatur nimium creaturis, quia caro est, in cujus sensus cadunt omnia sibi similia; sed non inveniens quietem, tranquillitatem et illam dulcedinem suavitatis, qua contentatur spiritus, posteaquam per creata divagatur, redit ad se, et quia nihil se dignius reperit, amat se in omnibus et omnia propter se, quum proprie frui dicitur; corpore proinde hominis ad has miserias condemnato posteaquam misericordia reparationem naturae humanae ab aeterno decrevisset, sapientia tua perfecit in tempore per vias tam incomprehensibiles, de quibus jam in prima parte confessionis meae scripsi. Deletur per baptisma et fidem in virtute passionis filii tui macula originalis animae haec enim gratia spiritualis agit in animam, cujus natura, quia per peccatum mutata non fuit, tantum sanctificatione indiget, ut perditum innocentiae statum reacquirat. Sed non idem est de corpore, propter quod, quia mors inducta, tota mundi machina et natura ipsa mutata est, et, ut denuo reparetur in resurectionem, dissolvi debet, purificari per ignem et sic restitui in regnum aeternum charitatis filii tui, quod sibi sanguine suo acquisivit hinc suum mundus praefixum terminum habet mortis suae magnitudini machinae suae proportionatum, prout quaelibet creatura morietur in tempore, quod tibi soli notum est et sic separabuntur et in regnum Sathanae praecipitabuntur heterogenitates, resurgent homageneitates, ex quibus paradisus ille voluptatis constiterat. Et his tam miro ordine institutis patet igitur non potuisse aboleri concupiscentiam, quia subsistit corpus, quod reparari nequivit, nisi in futuram resurectionem, alioquin enim tota machina immutari debuisset ante tempus decreti aeterni, sed eo non obstante providit sapientia tua nobis de remedio et haec est gratia illa nobis promerita, quae corpus subjicit spiritui et quae nobis sufficit quamvis non recedat angelus ille Sathanae, a quo nec Apostolus immunis esse poterat, quia in carne habitat, sic manifestatur virtus tua in infirmitate, per quam charitas plantatur in cordibus nostris, quae subjicit in nobis concupiscentiam; quia spiritum nostrum unit sibi

et sic se amando te amat, o centrum amoris mei. Sed, o dulcedo ineffabilis, his quoque majora sunt, de quibus providisti in sanctificationem et conjunctionem nostram tecum, ut prout immensus est amor tuus in nos, immensa sit gratia tua et ex hoc motivo dedisti nobis corpus tuum in edulium modo nobis incomprehensibili, ut in fide et per fidem vivamus, credendo non sciendo salvemur. Nutrit animum nostrum Spiritus tuus, corpus tuum jam glorificatum confortat carnem nostram et haec omnia fiunt per communicationem homogeneitatis spiritus et corporis tui homogeneitati animae et corporis nostri, hanc porro recipimus in mensura capacitatis nostrae, id est, vacui nostri a heterogeneitatibus et impuritatibus, ex quibus consistit peccatum, quo purius est enim corpus, eo est tibi similius, et eo plus participat de puritate corporis tui et anima de puritate spiritus tui. Haec est vera illa panacaea animae et corporis, quae expellit per sumptionem purissimi corporis et sanguinis tui, quidquid est impurum, ex quarum impuritatum diversis fermentationibus consistit peccatum cujus fomitem et fermentum comedimus, bibimus et per communicationem impurarum creaturarum contrahimus eodem modo, quo participamus de puritate tua, dum a sordibus purgati scopato cordis nostri domicilio mansionem facis in eo, et sic repellis fortem armatum, qui domum hanc custodiverat usque ad adventum tuum. Clausum fuerat coelum eousque omnibus hominibus hinc animae quoque justorum, nonnisi in sinu Abrahae dormiverant usque ad resurrectionem tuam, per quam mundum et carnem, daemonem et mortem vicisti. Credo, Domine, omnia haec esse et si quid deest fidei meae, adauge eam, sic enim me docent scripturae tuae, sed adhuc supermanet quaestio, cur non obstantibus his, siquidem de inimicis tuis triumphasti, fortem armatum illo fortior repulisti, adhuc tamen tot homines damnantur sub lege gratiae, quam omni creaturae praedicare jussisti? Nonne ideo, quia omnia aeterna, omnia perfecta, omnia adaequata sunt in te? ut, prout justitia tua suam habuit mensuram per gratiam, habeat et misericordia per justitiam et sic quaelibet regnet in aeternum justitia in damnatos exercendo, misericordiam in electos, quorum vita charitas illa aeterna est, quae illos tecum unit in hac vita et regnare facit in aeternitate.

Haec sunt,quae homo insipiens non intelligit, carneus non capit, peccator non retinet, quia per peccatum recedit a te et se potestati inimicorum tuorum subjicit, ex qua per baptismum quidem eripimur et ideo eis abrenunciamus, non tamen cessant insidiari nobis, quia vivimus in carne, conversamur in mundo, creaturis uti cogitur natura, quae in corruptione sua persistit, necdum enim purgata est, prout supra dictum, circumdamur corruptione, quamvis illa non dominetur, nisi in corruptis, qui redeunt ad illam gratia amissa. Amittitur autem haec aut subito dum concupiscentia parit peccatum, quod generat mortem animae aut sensim sine sensu per vitam tepidam, per negligentias quae impuritates inducunt in nos, quae aggravant puritatem animae et corporis nostri in qua consistit pars illa divinae homogeneitatis tuae ; aggravant inquam et, quo languidiorem efficiunt, eo magis debilitant obfuscatam donec, praevalentibus hisce sordibus impurus mundi spiritus spiritus tui habitaculum reoccupet. Tendere proinde in perfectionem nihil alind est, nisi velle repleri puritate tua et purgari impuritatibus saeculi in, quo quia vivere debemus, oportet ut sequamur exempla tua et mandata tua qui via veritas et vita es ; videntur viae tuae durae asperae et repugnantes naturae nostrae corruptae quia, oppositae sunt impuritatibus nostris, quas quanto plus impugnamus, eo puriores efficimur, donec tandem onus tuum levissimum et jugum tuum appareat suavissimum. Denique, Domine, quo puriores efficimur, eo magis accedimus ad te, quin imo unimur tibi et haec unio vocatur charitas, amor, dilectio, quam nobis praecipis habere pro proximo, in quo te amamus, id est cum puritate, quae in eo est, unum sumus et identificamur in charitate. Haec est suavis illa unio, quae format corpus ecclesiae militantis, cujus tu caput es, unio spiritus et veritatis aut idem dico, homogeneitatis, cui heterogeneum est, quidquid tu non es hinc non desiderat nisi quod sibi simile est, quod tumet ipse es,et ideo dissolvi cupit ut sit tecum. Hic est scopus illae vitae contemplativae, cujus beatitudo inchoatur in terris et corpora sanctorum in tantum expurgat adhuc in vita a heterogeneitatibus, ut saepe a spiritu ad de sursum centrum suum tendente elevari visa fuerint operatione quadam magnetica, per quam magnes ferrum et gravitatem, quae ferro appensa est, attrahit

et elevat in altum. Sic communicas te Deus hominibus, sic illaberis in eos et in intellectum Sanctorum tuorum, sic rapiuntur illi ad te seu in spiritu seu in corpore et saepe adhuc in terris intrant in caliginem illam, in qua habitas et ubi praegustant felicitatem et tranquillitatem suavem et dulcem quietem per quam anima illorum, tanquam glacies in aqua, diffunditur et idemptificatur tibi. Sed non omnes vocas per has vias, non omnibus eadem destinasti habitacula, non omnibus membris aequales functiones, denique non omnes destinasti prophetas, doctores in corpore hocce mystico, sunt porro et functiones ministeriales, quas ex desiderio quietis deserere esset contrariari voluntati tuae, quisque status suas habet perfectiones, quarum unus est finis unionis et conjunctionis tecum, sed viae quae ducunt sunt plus vel minus periculosae, saxosa alia est, petrea, montosa, sed propterea sicca et lutosis impuritatibus minus obnoxia, altera plana latiora sed lutosa et coenosa, nec quis per illam incedere potest, nisi per palustria quibus conspurcatur et maculatur ex his et similibus ea sequenda est, per quam Deus vocat, qui per aspera et praerupta, tanquam per extraordinarias compendii vias tendit, videat ne deviet aut ne cadat, qui ordinationis suae viam sequens per lutosa ducitur curae habeat, ut se continuo lavet et purificet, non enim illae, quae adhaerent, sordes coniquinant, sed quae idemptificantur nobis et in cor penetrant, unus et alter horum viatorum tibi unitus procedit et ad te perveniet.

Profecto non is his ambulaveram ego tunc Domine, dum me, tanto prout dixi, objeceram periculo, in quo manus tua invisibilis defenderat me, sed procedebam in via illa ampla proditionis, in qua vix dum orabam quoque rocordabar tui. Breviter transcurram hic aliquot mensium spatium per quos hinc inde discurrebam in Polonia, semper enim et ubique idem fueram et peccatum regnabat in me, omnium itinerum meorum scopus causa et finis propria delectatio fuerat diversis praetextibus larvata plerumque hoc temporis spatium transegi in societate illa, quae me tot annorum spatio in statu damnationis tenuerat, oportebat igitur quaerere causas itinerum, ut salvaretur suspicio, et in hoc decipiendi studio quot horae, dies quantum tempus saepe consumptum est, quod tu mihi ad operandam salutem dederas, ego vero interitum meum operabar in eo et

provocabam in me ultricem manum tuam in angustiis et inopia aeris erant constitutae res meae et potissimum haec media subveniendi mihi et aliis solvebant remorsus conscientiae meae, qui mihi quandoque suboriebantur, ex defectu fidei et confidentiae in te procedebant haec, o aeterna misericordia, et ideo angebar, sed nun quid, si fidem habuissem tam abominabilem vitam ducere potuissem? lumen illius obfuscabatur a tenebris peccati, habitabam in umbra mortis et hinc proveniebant Solicitudines meae de temporalibus. In Kukisovam Castellum situ et palatii aedifiicio amoenum reversus ibi morabar, dum fama advenit de pugna Czari cum Turcis ad fluvium Prut et primi rumores jam hinc jam illi attribuebant victoriam et pauco post tempore de conclusa quoque pace certiori nuntio instructi fuimus. Sed antequam haec agerentur, oportet mihi referre, quae cum Papaio homine meo ad conciliandam pacem ad portam Ottomannicam Javarovia expedito acta sunt, qui sine literis passus liberi Czari discesserat ex illa causa, ne habitis illis Moldaviae princeps (qui jam tunc defectionem a Porta in favorem Czari exercitu ejus appropinguante paraverat) itineris hominis mei causas suspicaretur. Clandestinis proinde itineribus pervenit ad praedictum principem, a quo transitum petere debuerat, sed ab illo ex praedicta fidelitatis erga Czarum causa detentus fuit et multis vicibus examinatus, donec tandem imprudenti consilio iter suum acceleraturum sibi persuadens illud ex consensu Czari susceptum fuisse aperuit. Non ampliore confessione opus fuit ad persuadendam vel fraudem vel veritatis mysterium et propterea denunciatum est ei, ut Czari adventum exspectet, qui proxime sperabatur in vicino suo exercitu ad Boristenis alveum Poloniam a Moldavia separantis subsistente, cui tum supremo imperio Seremetovius praefuerat, et post adventum principis Moldaviam intrare debuerat, quod et paucis post detentionem ejus diebus subsecutum est, et ipsemet Czarus in persona levi equitum manu comitatus in Jassi advenit, ac ubi retentionem nuncii mei rescivisset, ut secretam suam pacis concludendae intentionem provinciae ad se deficientis principi celaret, factum approbavit, illum mendacii et falsitatis arguit et sub praetextu infligendae ei poenae, mihi custoditum remisit, perscriptis rei gestae causis. Sic delusa

fuit magna illa exspectatio mea de negotiorum huic homini commissorum successu, per quod me mediatorem pacis inter tantas potentias futurum et assistentiam Czari in restituendum Hungaricum bellum mihi promissam speraveram. Sed aliter placuit tibi, o aeterna sapientia, res meas instituere, alio tendebant decreta, quae differentes mihi praescripserunt vias, quae mihi sectandae fuerant. Vix Czarus Moldaviam ingressus in suam fidelitatem receperat, Valachiae Princeps Constantinus Cantacuzenus, hominum vaferrimus, sub defectionis specie Michaelem eadem e familia ortum stabuli praefectum suum nuntium misit, per quem spem et affidationem defectionis suae Czaro fuerat, supplex petens, ut ab ingressu principatus sui deflecteret, ne eam Turcarum et Tartarorum depopulationi subjiciens feliciter confecto bello desertam reciperet, sed potius conservaret in subsequentium progressuum fecilitatem et hibernam exercitus subsistentiam.

Latebat tunc Czarum vera missionis praefati stabuli praefecti causa, quae postmodum opportune patefacta est. Progrediebatur interea Czareus exercitus in late patentibus Moldaviae campis, a locustarum multitudine in tantum devastatis, ut provincia aliunde fertilissima nec equis nec hominibus alimenta praestare potuerit; quia tamen spem praeveniendi ad Danubium exercitum Turcarum ac transitu fluminis arcendi conceperat, parte exercitus sui ad occupandam Turcarum in Foxan depositam annonam praemisso, jam fluvium Prut transierat, dum insperato nuntio Turcicum exercitum sibi magnis passibus appropinguare edoctus est, qui vix apparuerat a fronte, terga multa Tartarorum millia occupavere et rex quoque Sueciae cum aliquot Turcarum et Polonorum ac Suecorum millibus interjecto in medium Prut fluvio lateri exercitus Moscovitici imminebat. Collata fuere signa ad primum occursum inimici per primas utriusque exercitus custodias, quarum tumultuarium proelium institutum fuerat, et posteaquam Moscovitae Turcas recedere coëgissent se quoque imminentibus et prementibus a tergo Turcis in castra receperunt, quae ad ictum tormenti ab utrinque locata fuere. Sed undique circumdatus Czarus rerum omnium inopia, qua a tempore ingressus sui in Moldaviam laborare inchoaverat, necessitate dietim

aggravescente summe premebatur, praemissa exercitus pars Foxanum quidem sat segniter a Turcis defensum occupaverat, sed propter interpositum Turcici exercitus robur communicationem habere non poterat. Magnus equorum dietim fame crepabat numerus et vix ad ambulandum vires supererant residuis, Turcicus porro exercitus non de instituendo proelio, sed de vallis agendis et cingendo Czari exercitu agebat consilia, et jam opus inchoaverat summa alacritate. In his rerum angustiis constitutus Czarus lacrymantibus oculis suum circumibat exercitum et consilii inops se ad extrema tentanda resolvebat vix honestae mortis spe superexistente cum victo inimico quoque famem et inediam vincere nequiverat, quam quia mora in horas reddebat graviorem, Turcas antequam vallo cingeretur, aggrediendos statuit, ac proinde in aciem ordinato exercitu peditatus rem gesserat strenue, sed equitatus superexistentis pars vix loco movere poterat, multo minus aggredi equitatum Turcicum. Superatis per peditatum vallis qui semel repulsus denuo Turcicum peditatum retrocedere coëgerat, sed equitatu victoriam determinare non valente, receptui canere oportuit. Postquam motus ab utrinque sedati fuissent, Michael Cantacusenus, de quo memineram Czari colloquium desiderans se medium adinventurum appromiserat, per quod rebus ab utrinque consuli posset, et in praesentiam principis admissus, tunc primo secretam suam commissionem patefecit. Esse nimirum supremum Turcarum Vesirium ad militaria gerenda et ineptum et pusillanimem, sed ad illa gerenda supremo imperii Sultani coactum, quapropter antequam Constantinopoli movisset exercitum, Patriarcham secreto advocari curasse et ei commisisse, ut modum adinveniret pronum suum in pacem animum Czari denuntiandi et res ita disponendi, ut subortum bellum negotiatione potius dirimeretur, quam proelio. Quibus consiliis et animo principi Valachiae a patriarcha denunciatis, ipse delectus est, ut pro opportunitate occasionis suam proferret commissionem quapropter petere se, ut permitteretur supremum Vesirium accedere et eum de prono Czari inpaeem animo assecurare, sperare se hancce provinciam in optatum finem perducturum. Quam gratum fuerit propositioni praebere consensum, brevis tractatus forma demonstravit.

Michael in castra Turcica admissus ac in praesentiam Vesirii adductus, procul dubio rem modo Vesirio grato exposuit, qui alacri oppugnatione valli sui per Moscuas tentata, plus justo perculsus, lubens ad tractandam pacem consensit, obsides ab utrinque missi et hinc fame, illinc militarium ignavia ac pusillanimitate premente, contemptis omnibus regis Sueciae demonstrationibus, post aliquot horarum intervallum pacis tractatus conclusus est et totius Czarei exercitus et personae uxorisque principis excidium ac interitus restitutione fortalitii Asoffensis redemptus. Eventum expono mihi ab ipsomet Moscoviae Czaro post adventum suum communicatum et profecto inter miras illas providentiae ordinationes memorandum.

Pace conclusa Turcae, annona subministrata, salvum dimisere exercitum, pax tamen haec inter trium aut quatour mensium spatium toties rupta ac renovata tandem restitutione Asofii et aliorum fortificatorum locorum firmata est. Belli tam singulari eventu confecti, fama pervenerat ad nos in Kukisovam, sed ejus circumstantias quilibet nuncius pro palato referebat; sed veritas per adventum Czari cum exercitus sui fame ad extrema redacti parte brevi post patuit. Huic ego obviam procedens, principi in pago a castello praenominato paucorum milliarium distentia sito excepi, et ad vini Tokaiani haustum (quod summopere placebat ei) invitatum, aliquot horis retinui, diebusque sequentibus eodem qua ille itinere Jaroslaviam prosecutus sum, ubi praeparabantur naves, quibus Elbingam vehi debebat per fluvios Sannum et Vistulam. Nulla jam mihi spes supererat reassumendi belli Hungarici, quamvis bellum Turcicum, sic prout dixi, confectum fuerit. Recessit Czarus a desiderio colligationis Gallicae; Germanos continuas mihi struere insidias a vicina Hungaria non absque veritate referebatur mihi, ac proinde exigua spes supererat mihi manendi in Polonia; Czarus offerebat ante abitum suum in Moldaviam territorium quoddam in Ukraina alimentationi meae et exulum Hungarorum sufficiens, sed locus erat dissitus et ab omni communicatione separatus, cum aliunde plus spei habere debueram in promissis regis Galliae quam hujus, cujus agendi modus, vivendi ratio, mores et consuetudines summopere repugnabant mihi. Unde consideratis omnibus rerum quoque

Europaearum circumstantiis vigente adhuc tunc universali illo Gallum inter et Imperium bello throno imperiali vacante et ipsomet Czaro eventum electionis imperatoris exspectante, statui hunc principem comitari, Elbingam et inde ulteriora pro eventu rei sumere consilia in Galliam transeundi, quo naturali inclinatione quoque ducebar. Magna diligentia praeparabantur naves, inter quas, una mihi quoque assignata fuit, legio praetoriana Czari in naves remigum loco distributa apparatus, hic omnis classem maritimam repraesentare, naves tormentulis instructae se ordine instituto sequi, anchoras quoque jacere debuerant, et sic die conscendendi illas praefixo longum mihi conjugi vale dicendum fuerat, quam quidem pro statu rerum mearum cum adaequatis dispositionibus relinqueram, sed brevi post abitum confusa fuerunt omnia. Paucum in naves assumpsi comitatum, residuam aulae partem cum equis terrestri itinere sequi jussi, relicto Comite Bercsénio locumtenenti meo, ducali et confoederati regni supremo generali cum ceteris magnatibus et nobilibus partim dispersis, partim ibi Jaroslaviae congregatis. Primum lucri ex hoc itinere recepi ex totali fine imposito habitualis illius amorosi commercii, in quo tot annis prout recensui, velut in coeno volutabar, sed hujus actus mei vere non amor tuus fuerat in causa, o aeterna bonitas, adhuc enim non tantum non oderam, sed vix cognoveram peccatum, quod regnaverat in me, et in tam profundas duxerat tenebras, ut de impuritatibus meis habitualibus in confessionibus nec me amplius accusaverim, amores mundanos creaturarum usu authorisatos credebam tolerandos, tanquam a fragilitate et secularium statu inseparabiles, dummodo publico scandalo careant, jurgia et prolium procreationem non causent, reliquae impuritates videbantur mihi non tantum licitae, sed et sanitatis conservationi necessariae, quodsi illis desideria illicita non jungantur. In hanc sententiam confirmandam scripturas sacrilego ausu pervolvebam, explicabam condemnantes textus, alios detorquebam et credebam nullibi expressam legem impugnantem aut prohibentem reperire, vel maxime dum me nullus confessariorum de his corripiebat aut arguebat, et in hocce statu constitutus dietim peccans quot in hac navigatione pertransivi naufragii pericula. Navibus praefuerant centuriones

Moscuae, naucleri tamen fluvii periti incolae fuerant, sed, quia primi positivos de ordine tenendo, de navibus in nocturnis stationibus disponendis habuere mandata surdis nauclerus clamabat, dum de arenosis, saxosis aut arborum truncis impeditis locis evitandis agebatur. Czarus leviori et melius instructo navigio vectus praecedebat, omnes hunc sequi oportebat, hinc, ut ad stationes ab ipso fixas perveniatur, quandoque navigationem in seram noctem protrahere oportebat, sabulosis fluenti moram quandoque horarum causantibus, in quibus impeditae naves militum in aquis vadantium auxilio adjuvari debebant, et sic dum in stationes nocturnas pervenimus, ut ordo servetur frustra clamante, flente, orante dicto nauclero periculosissimas ripas truncos et saxa aggrediebamur, quibus, si navis illisa fuisset, naufragio objiciebamur. Memorandum inter haec fuerat periculum et evidentius caeteris illud in quodam loco infra Varsoviam, ubi alluto littore pars integra sylvae procerum arborum ita fluentum aquae coarctat, ut inter littus et arborum struem, nonnisi nevis transire possit, quem dum transiremus, quinque navibus sequentibus posteaquam navis nostrae clavum arreptum arborum validior ramus loco ejecisset, navis nostra fluvii vehementia arrepta arborum dense jacentium ramis illisa ita substitit, ut transitum caeterarum a tergo imminentium impediverit, quae tanta in nos ferebantur vehementia, ut ex collisione subsecuturum periculum inevitabile appareret. Velorum ex traverso malis alligatorum funes intricabantur funibus, virgae trahebant malum, clavi pro usu navium e longis trabibus consistentes allidebantur clavis, fragor tabulatorum, virgarum, ingentes clamores nautarum hincinde cursitantium provocabat, alii imminentibus navibus remos objiciebant, alii intricatos funes amputabant, hi funes jaciebant excessis clavis. Et ego quid inter haec manifesta pericula feceram? Stulto juvenili motu, contempto periculo vicinae nobis allisae navi insiliens vitro vino pleno ad haustum provocabam alios, et sic non tantum timentibus sed et tibi insultabam Domine, qui me invisibili manu tua tunc quoque sustinebas, dum ego nec cogitabam de te. Sic est o Domine, non quis obliviscitur illius, quod amat, in quocunque versetur periculo, ,quodsi te amassem, tui recordatus fuissem, sed quia vanam

illam amabam gloriam, illius memor impavidi animi volui praebere exemplum et obtinere laudem. Sat longum temporis spatium nauticis datum laboribus et primo intuitu longe majus timebatur periculum, quod per gratiam tuam subsecutum non est, prima enim navis fuit nostra quae, ejecto clavo inter arborum ramos illisa substitit, qui, quia flexiles fuerant, navi cesserunt, et sic reliquae quoque naves una alteram tangentes vi quadam elastica mutuos sustinebant impetus, et ab omni hiatu immunes remanserunt. Funibus retracti suis impositi fuere clavi uncis et sic minoribus quoque reparatis te adjuvante, o bonitas infinita, denuo nos fluvio commisimus et sic inter nocturnas vigilias propter naves saepissime deficiente aqua in sabulosis impeditas et diurnas compotationes cum Czaro illarum tunc amantissimo, tribus nifallor plus minus septimanis Thoroniam usque continuavimus navigationem, quo tandem feliciter advenientes saltus, convivia et statui principum indecentissimae compotationes in publicis oenopolis inchoaverunt. Repugnabant indoli meae plurima, quae Czaro agente recusare nequiveram, non tam ob humanum respectum, quamvis, et hoc movisset me motivum, quam pro captanda benevolentia principis, qua summopere indigebam. Vix in praedictam civitatem advenimus iter praemeditatum paraverat ille ad aquas Carolinas in Bohemia sitas reparandae sanitatis causa, uxore sua Thoroniae, ubi eramus, relicta et mora aliquot dierum facta, paucis aulicorum comitatus abiit. Praevidebam ego moram meam cum Czarea inutilem et fors rebus meis praejudiciosam eventuram, tum quia Czarus in ditiones domus Austriacae iverat et cum electore Hanoveriano huic domui addictissimo consilia agere debebat, unde res ex iis mihi periculosas oriri posse sana ratio repraesentabat, tum quia Czarea magnum mihi humanitate extrinseca et civili agendi modo demonstrabat affectum, qui a natione naturae suspiciosissimae in absentia mariti sinistre interpretari potuisset, hinc intentiones meas Czaro aperui ante abitum ejus velle me interea Gedanum discedere et inde secretum iter Berolinum ad regem Borussiae mihi faventissimum suscipere, ut cum hoc principe negotia communis utilitatis conferre et in reditu suo sibi quoque communicare possim, quae quia huic principi convenientia videbantur, aliquot dierum

mora facta post abitum ejus Hungaricarum vestium loco Gallicis indutus Thoroniae ad vesperam navem conscendi et ab ipsismet nautis ignotus, paucis fidissimorum mihi comitatus, posteaquam Czarea valedixissem, discessi et sic aliquot dierum ac quandoque noctium navigatione peracta feliciter Gedanum perveni, ubi sub nomine et titulo Czareorum officialium non sine difficultatibus, quaestionibus et examine admissus recepi me ad ablegatum Gallicum Baronem de Bősenval Helvetum, virum magna sinceritate, cordialitate et prudentia praeditum, qui me secundum placitum meum simulato sub nomine recepit et diligenti cura, officio et solertia adfuit in omnibus, quae ab ipso dependebant. Opportuna videbatur mihi haec civitas pro securitate personae meae, cui plurimas aula Viennensis struere solebat insidias: urbs libera sub protectione regis et reipublicae constituta proprio custoditur milite et regi quoque Galliae magna observantia et respectu tenetur propter maritima commercia. Hinc statueram inde circumspicere Europaeas conjuncturas, quae circa electionem Imperatoris et continuationem belli universalis agebantur. Animus fuerat mihi Berolini (uti dixi) regem Borussiae invisere et hinc liberi passus sub nomine Comitis de Saaros expetieram literas, quae mihi primum missae fuerant quidem, sed postmodum rogatus fui nomine regis, ut ex ratione propriae meae utilitatis mallem regis erga me conceptam amicitiam occultare, quam itinere praeconcepto manifestare, quod iter aliunde mihi exiguam utilitatem, regi incommoda plura adferre posset, siquidem clare appareat Carolum Archiducem, cujus ex Hispania (Anglica classe adjuvante) dietim speratur reditus, in imperatorem electum iri. His propterea partim persuasus, partim coactus animum a discessu avocatum mundanis occupationibus et recreationibus pro placito distrahere, magnatum Polonorum ibi commorantium conversationes et societates frequentare inchoavi, principis qualitate et extrinseco splendore status sub Comitis Saarosiensis titulo volenter occultato, tum, ut sumptibus, quibus carebam, parcerem, tum, ut in agendi modo libertate majori frui possem, haec enim ipsa dignitas (quam mundana foelicitatis loco sectari solet ambitio) onus est quandoque insupportabile plus igitur mihi affectandum erat et agendum, ut

alios a principi debito respectu avocem et illorum particularem conciliem affectum et amicitiam, quam saepe aliis laborandum est, ut principes appareant. Non poeniteret me haec egisse, Domine, si ea, quae profero, statui meo tunc non tantum convenientia, sed et necessaria plurimis non suppeditassent ansam, quae foeda peccaminosa fuerunt ac devenerunt in conspectu tuo, quamvis decentiae consona reputabantur a mundo, cujus judicium verebar non tuum. Ita quippe est, o misericordia aeterna, timet homo quod diligit, hinc ego quoque tunc mundum timebam quia diligebam, sectabar approbationem ejus plus quam mandata tua, scandala evitabam non peccata et hinc brevi sepulcrum dealbatum, verus ille Phariseus effectus fueram, aut, ut verius dicam, talis, qualis fui, esse perstiti. Novae societates novas procuravere familiaritates, hae conciliavere affectus, qui produxere amorem, et hic quot partuerit peccata et quot speciei, non latet te Domine, et si tu non nosceres, nunc confiterer tibi, quia diligo te; tuus enim esse cupio talis qualis sum. Tuum est, o bonitas infinita, desiderium animae meae delere maculas, si quae me ignorante reperiuntur in corde meo, qui dedisti per gratiam tuam velle praeparare in illo mansionem tibi, auge dolorem et amaritudinem illius in memorandis et referendis pravis habitudinibus meis carnalibus, quas me detestare fecisti, nec recordor earum unquam nisi ut plus doleam et de illis dolendo te plus amem. Revoca in memoriam, repraesenta mihi mala, quae feci, ut ex bonitate misericordiae tuae agnoscam, quid debeam tibi et sic plus amem te, quia multum remisisti mihi. Mense uno et medio plus minus peractis cum Czari. Elbingam reditum rescivissem, ad invisendum hunc principem illuc iter suscepi, sed pluribus sensi animum ejus erga me multum fuisse mutatum; evitabat collocutiones mecum, propositiones meas perfunctorie exaudiebat, denique omnia, quae me concernebant, coacta fuisse in illo facile poteram animadvertere; invitabat tamen me secum Peterburgum, sed profecto longe meus abfuit animus a suscipiendo illo itinere, jam enim Gallicum meditabar, et Moscovitici mores nimisquam displicebant mihi. Hinc tot quot ille diebus moratus Elbingae posteaquam naves Regiomontum et inde in Ingriam vela facturus conscendisset, ego quoque

Gedanum redii et pauco post tempore aulicos meos omnes, qui me magna cum fidelitate et resolutione secuti fuerant, a servitio et functionibus immunes redditos dimisi, paucis quibus alendis me suffecturum credidi retentis. Non hoc factum fuerat absque particulari cordolio seu meum seu illorum considerando statum. Patris illi loco me habuerunt, plerique enim illorum in aula mea educati fuerant, bona sua et avitam haereditatem sponte sua me sequendo deseruerant, et ego absque sumptu, absque retributione, absque securitate reditus et restitutionis, quae amiserant, cogebar in tam dissitis ab Hungaria oris dimittere illos. Sed praevidebam longiorem illorum moram majori illis detrimento futuram et amnistiam, quam adhuc tunc sub initium sperare poterant, temporis prolationem difficiliorem reddituram. Non Confessionem concernit hic referre veram rationem, quae me in haec extrema reduxerat frustratum promissis, quorum quamvis non spe allectus egerim, quae feci, quia tamen affidatus fueram, credideram promittente dignum non fuisse in tantas me sinere redigi angustias. Sed haec est humanae sortis vicissitudo, quam tu suo pravo sinebas currere ordine secundum benigna decreta tua, quae in aeterno libro tuo scripta fuerant de me, tu me trahebas per haec fortius ad te, sed ego ignorabam. Annos propemodum duos transegeram Gedani, inter quorum curriculum archidux Carolus in imperatorem electus est et pax quoque Galliam inter et Angliam tractari inchoata, in quam me inclusum iri secundum iterata regis Galliae promissa et reginae quoque Angliae pronum in me demonstratum animum sperare poteram quidem, sed videbam ex multis argumentis promissa effectu caritura. Rex Borussiae Fridericus I tempore electionis imperatoris accomodationis meae negotium protulerat in medium, sed ingratum responsum huic principi datum demonstrabat mihi sat abundeque aulae Viennensis praeconceptam de me resolutionem. Undique dietim magis magisque coarctabar malis, o Domine, sed his extremum supervenit, quod dolorum omnium, quos unquam sensi, fuit acerbissimus quem de allato nuntio mortis regis Galliae concepi, posteaquam subsecutas intra exiguum tempus trium Delphinorum Franciae et unius Delphinae insperatas mortes certis literis rescivissem. Tu scis, o cordis mei

scrutator, solus, quid senserim et cur mihi illum dolorem tam vivum reddideris, ignorabam profecto tunc, quod demum, docuisti me et voluisti exemplo proprio instruere me, quam vanae sint hominis in homine spes. Praeteriit velut umbra ab oculis meis tota ferme domus regia Galliae, a qua sola humanitus loquendo alebar et confidere poteram, aegestati vicinabar omni hora et continue de novis ac novis vitae meae structis insidiis per sicarios auribus meis intonabantur rumores; tot ac tanta fuere mala, quibus circumdabar, justa videbatur mihi afflictio mea et hinc immorabar ei nec ejus invenire poteram remedium, quia illud non quaerebam in te et a te peccata enim mea longe me tenebant a te, nequiebam continere lacrymas, quas nullus ante dolor unquam exsciverat ex oculis meis, gemebam, nihil enim tam acerbum fuit, quod consideratione paupertatis aegestatisque mihi imminentis timendum non supererat, sed tu Deus, posteaquam afflictiones meas misericordiae tuae oculis respexisses, noluisti me obrui iis, sed dum earum mensura impleta fuit, false sparsum mortis rumorem vero, regem vivere afferente annihilasti et sic me consolatus es, sed memoria anxietatum mearum profuit mihi ad serie cogitandum de itinere in Galliam et providendum firmius rebus meis.

Non carebat magnis difficultatibus susceptum consilium meum, tam propter considerationem male securi itineris, tum ob defectum navis, Gallicae enim tum mare Balticum et vel maxime Gedanensem portum inhibitae a rege non frequentabant, Hollandi firmiter adhuc foedus suum colebant cum imperatore, quamvis jam Anglia ab illo defecisset, sed nihil tibi difficile, o Deus, dum quid fieri statuisti, procul dubio enim in hunc finem duxeras tum Gedanum ablegatum quendam reginae Angliae et virum, alioquin ignotum mihi, reddidisti amicissimum, ut illius opera et industria commoditati et securitati itineris mei provideres; ille ipsemet fuit, qui rem mihi, cujus proposcendae occasiones et praetextus quaesiveram, non tantum suadere, sed et operam suam polliceri primus inchoavit. Scripsit ad aulam suam de liberi passus literis providit navim anglicam instrui et curam seriam securitatis meae habendam navarcho jussit. Jam elapso autumnali

aequinoctio imminebat hyems et statio anni aequinoctium ac solstitium, inter Baltici et Septentrionalis marium navigationi periculosissima. quodsi enim ventorum violentia et contrarietas non foret, noctes longissimae cursum navis praepediunt propter Baltici maris coarctationem insularumque pericula, quod proinde iter per paucarum horarum diem perficitur nocturna mora et saepe recessu amittitur. Sed urgebat necessitas, jam enim tum mihi ab aula quoque regis Poloniae significatum fuerat diutius securitati personae meae in ditionibus regis provideri nequiri. Pacis tractatus Ultrajecti continuabatur, qua semel conclusa, praevidebam posse suboriri difficultates de admissione quoque mea in Galliam, et sic omnis me urgebat ratio pericula contemnere et sortem meam tibi soli o SSa et semper mihi adoranda providentia committere; quod posteaquam ore sed non corde fecissem, paucis comitatus et celato pro posse meo discessu, navim mense Novembri conscendi, nulla prorsus spirituali praeparatione praemissa, quae ex consideratione tantorum periculorum alioquin summe necessaria fuisset. Jam comitatus meus sub variis praetextibus navim conscenderat, solus ego cum tribus ad latus meum retentis remanseram, ventum ad vela pandenda aptum exspectans, cujus tandem spe facta sub prandii in suburbanis sumendi praetextu a consciis itineris amicis comitatus littus adii et posteaquam iis vale dicto cymbam conscendissem, tandem ad navim anchoris detentam perveni. Diluculum sequens exspectatum ventum jam oriri fecerat et operi extrahendarum anchorarum vacabant nautae omnisque portu exeundi spes affulserat, dum ecce insperato casu ingenti fune, quo anchorarum una appensa fuerat, rupto, discedendi desiderio non tantum illa die frustrati fuimus, sed in retrahenda anchora triduo laboravimus, quae, propter longam navis moram et ventos contrarios, ab arena in tantum sepulta fuerat, ut nisi a vento ab adverso flante commotis fluctibus diluta fuisset, longiorem nobis causasset moram eo periculosiorem eo, quod jam discessus mei rumor ubique percrebuerat et aulae Viennensis emissarii jactabant me per regem Daniae in maris Sueciam et Daniam inter coarctati faucibus in favorem imperatoris retinendum iri spargebant et in hanc rem nuntios expediebant, quod et navarcho nostro ab amicis suis significatum

fuerat, ut sibi attenderet, ne propter illos, quos in navim assumpserat, sibi immineret detrimentum. Sed his omnibus curae tuae relictis posteaquam anchoram tridui uti dixi labore retraxissemus vela vento quamvis non sat faventi pandimus, ut e sinu Gedanensi in obliquum acta et redeunte navi tendentes exiremus, sed in irrito conatu transacta die ad vesperum denuo jactis anchoris substitimus usque in sequentem diem, qui faventem ventum reduxerat quidem, sed ille quoque, posteaquam sinus promontorium praetervecti fuissemus, substitit et sic totum diem in malatia seu tranquillitate immobiles amisimus, donec tandem sub vesperum validiore vento suborto ferebamur in altum, sed nec hujus uti poteramus beneficio propter insulae Bornholmiae vicinitatem, quam quia nocte obscura praetervehi tentare summe periculosum fuerat, omnis nautarum solicitudo eo tendebat, ut in obliquum acta navi itineris facti altitudinem ad diei usque adventum conservaremus, sed hic ipse conatus et labor ingenti nos subjecerat periculo in antenna panso velo enim opus erat ut nos vento proximos retineremus, cujus violentia factum fuerat, dum ad recedendum vela mutarentur, ut velum illud proram navis excedens in mare arriperetur et a fluctibus correptum proram in tantum deprimeret, ut subito ingens aquae quantitas jam in navim infundi coeperit. Nox erat intempesta imbremque subfrigidum effundentes nubes tenebras auxerant, non operi sufficiebant nautae nec funum laxare poterant perterriti, donec clamore exscito commune peterent auxilium, quo ab undique ad periculum concurrentibus praestito, resecatis funibus posteaquam ab aquis depressum velum liberatum fuisset, puppa praeponderante emersimus et te adjuvante ab instanti periculo eliberati fuimus, et tandem luce superveniente gavisi prospero vento Holmiam praetervecti, ad arctas fauces Sund nuncupatas, in quibus detentionem nostram minabantur, jactis anchoris substitimus, navis quippe quaestoria fuerat et telis onusta telonio regi Daniae pendendo obnoxia, ad adventum proinde publicanorum ad ima navis descenderamus, ut questionum et curiositatis ansam praecaveremus. Notus omnibus fuerat navarchus noster et posteaquam se extraneos in navi habere interrogatus negasset, vela pandendi facultate obtenta ad

diluculum castella, Danicum unum alterum Suecicum ad defendendum maris ingressum et egressum, exstructa feliciter praeternavigavimus, Jutlandiam inter et promontorium grande Sveciae Khol nuncupatum provehebamur, sed jam ventus ex faucibus septemptrionalis maris proveniens evadebat validior et imminentis tempestatis observabamus praesagia, quapropter, ne redire cogeremur, securitatem mature quaerere statuimus inter scopulosa littora Norvegiae, quae opportuna et tuta navibus praebent receptacula, sed ingressu periculosissima acutissimi scopuli sunt ii, ad duorum plus minus milliarium distantiam a continenti dispersi in turres et montes exsurgunt, sed plurimi eorum vix excedunt aquarum superficiem et angustos efficiunt aditus ita quidem, ut sine expertis inhabitantium naucleris aditus illorum sit periculosissimus. Coacti proinde tendebamus ad illos et signo dato incolas vocabamus in auxilium, a quibus pro consuetudine portuum excepti per anfractus et sinuosa saxorum in Celli Sund pervenimus, et navi ad scopulos alligata biduo substitimus, taliter in securo evitata ingenti tempestate, quae, post ingressum nostrum sub vesperum inchoans, tota nocte et die sequenti duraverat; sed maris, inquam, evitato periculo piratarum nobis timendum supererat, quibus infesta erant omnia propter bellum diuturnum Sueciam inter ac Daniam vigens, sed per gratiam tuam Domine ab omnibus adversis conservati posteaquam ad exitum ex abditis scopulorum aptum ventum nacti fuissemus, laxatis velis provehebamur in altum septentrionalis maris tendentes et jam promontorium Jutlandiae, Schagen vocatum, deserueramus dum validissimo in contrarium vento correpti inviti ferri coeperamus per aequora diu pro tenenda itineris peracti ultitudine luctabamur cum vento pansis velis, sed propter ejus violentiam unum post alterum dimittere cogebamur, et demum omnibus convasatis clavo funibus alligato ferebamur pro lubitu in immensum tumentium fluctuum. 36 horarum spatio absque ulla intermissione agitabamur ignota et sabulosissima Jutlandiae, mari sic volente petebamus littora, dum lectulo meo nocturno tempore incubans navarchi extremis anxietatibus acti audivi sententiam nos nimirum in tam periculosa impelli loca, ut si ventus aliquot adhuc horarum spatio continuaverit, inevitabile nobis futurum

naufragium. Mortis hoc fuerat pro me natandi imperito decretum, sed ego illud in quo spiritu et qua dispositione suscepi ex opusculi hujus instituto referam, o misericordia aeterna, ut dolens erubescam et detester pertinaciam meam, non, ut imperterriti animi exemplum proferam ; absit nunc a me ejus jactantia, quam tunc peccaminoso ausu in tantum affectaveram, aggravata gemebat anima mea sub sordibus impuritatum et adulteriorum, quas sub diversis praetextibus erroneae conscientiae meae regulis accomodatas, nec amplius pro peccaminosis reputaveram et propterea Gedano movens, nec cogitavi de expianda conscientia, in tantum praesumebam de misericordia et bonitate tua, proximi periculi denunciationem excepi absque ullo horrore, nullius rei adhaesio me faciebat desiderare vitam, sed profecto nec charitas et desiderium conjungi tibi, o anima animae meae, cupiebat dissolvi et esse tecum. Ad primum intuitum mortis cogitabam mortem meam per heroicum et infracti animi testem Epitaphium notum facere, quod laminae plumbeae inscribere et collo appendere, stulto et insano instinctu volebam, componebam et volvebam illud in mente, curam animae extremis momentis et certiori periculo relinquens, et sic inter varios amoris proprii et animi mundano heroici suggestus sopore correptus obdormivi et ad diluculum diei expergefactus e somno non statim scivi vigilem ne an dormiam. Nullam aut saltem exiguam navis agitationem sentiens et nautarum vela tendentium clamorem exaudiens, sed, rei veritatem seria reflexione facta, cognoscens dum famulos advocassem, vento violento malatiam subitam et huic suavem auram potius quam ventum, sed nobis contrariam successisse rescivi, ad navigandum tamen praeparari omnia, ut pane et cerevisia deficientibus in Angliam navigationis nostrae scopum tendere nequeuntes necessariorum procurandorum causa Norvegiam petamus.

Pergratum profecto fuit evasisse naufragio, sed novum piratarum occurrebat periculum cum scopulis ignotorum littorum, in quibus non amplius naucleri incolae sperari poterant, qui saepe a Danis sub amicorum specie decepti ducebantur in captivitatem et propterea non amplius ad recipiendas naves occurrere audebant, ignota erant navarcho nostro littora et amphractus scopulorum, qui profecto horrendi sunt aspectu, sed,

quia necessitas cogebat, jam inflatis leni aura velis movebamur, dum subito in gyrum acta Carbasa, dum venti nobis desiderati inchoationem denunciassent, laetis clamoribus elatis velisque ac clavo ad Anglica littora adaptatis tota illa die ac nocte prospere ferebamur. Iam sol diei sequentis pluviosus ortus fuerat et ego pro inanes super pontem navis faciebam reflexiones de maris et navis motu, structura et horizontem circumspiciebam, dum a longe velis primum retractis agitari vidi navem, quae paulo post iis expansis eodem vento quo nos navigabamus ab adverso veniens nos praetervehebatur, ac curiosius illam tubo optico examinans cum armatam esse credidissem, navarcho demonstravi, qui nulla attentione facta, quamvis nihil rei considerationis inesse dixerit, ego tamen curiosius investigabam navis cursum et profecto vix horae spatio praeterlapso, posteaquam ad navigationis nostrae lineam perveniens, ventum a tergo lucratus fuisset, prora versa nos sequi, observari nec tamen aliquid sinistri exinde quoque opinari volebat navarchus, qui dupplicatis velis facile effugere potuisset. Sed posteaquam aliquot horarum spatio nos insecuta ad tormenti ictum a nobis venisset, ecce, signo explosione tormenti a prora dato jussit vela nostra retrahere et ad mandata sua excipienda navarchum in cymba approximare. Attoniti et consilii inopes fueramus ad novitatem rei, et diversae suboriebantur opiniones: credi poterat eam navem esse in partibus Hollandiae (in cujus altitudine res evenerat), jussu imperatoris, ad me intercipiendum armatam. Navarchus illam a piratis Suecicis instructam credebat et ex constructione se noscere asserebat, dicebat moris esse illis sic infestare naves itinerantes exspoliare et quandoque in Sueciam reducere, sed, dum inter diversas cogitationes et anxietates tergiversaremur, posteaquam vicinior nobis facta fuisset nova explosione tormenti globo onerati non jam signum tantummodo dedit, sed per tubum vociferum minatus quoque est navis illius praefectus, se nos 30 suis tormentis impetiturum, nisi obtemperaremus. Nec amplius mora longiori disputationi relicta inermibus nobis obtemperandum fuerat, nec enim tormenta nec breviores sclopos ad defendendum habebamus aliunde numero longe impares. Navis nostra tela onerata, quodsi unico globo perforata fuisset, suc-

curri non poterat, hiatu porro facto, quodsi aqua ad telam pervenisset, inevitabile fuerat periculum. Convasabamus proinde omnes pretiosiores reculas nostras ad navis secretiores loculos opera et multa cautela ad id exstrui solitos et cymba in mare jacta navarchum nostrum anxii dimisimus eventum rei exspectantes. Tu nosti, Domine, quod gravius hoc resenseram periculum, quam naufragii, quod per gratiam tuam evitaveramus, major mihi fuerat timor captivitatis, quam mortis et haec ipsa insania a vana illa gloria processerat, quae temporalem horret ignominiam, dum aeternam damnationem temporali morti imminentem nihili pendit. Sic coecutit homo sine lumine tuo, quod in fide promissorum tuorum consistit, das nobis hanc gratiam in baptismate, sed hoc pretiosum lumen per peccata nostra obfuscatum vertitur in tenebras, in quibus tunc ego quoque ambulabam, dicebam, ore, me credere beata illa gaudia, quae electis tuis promisisti, sed illa lubens pro misera vita hujus mundi cessissem, quae proinde, quia non appetii, quid mirum, si plus angebar de eventibus vitae corporalis, quam de casibus spiritualis, cujus distinctionem realem ignoraveram, nec unquam unde dicatur et quomodo distinguatur una ab altera meditabar. Sed omnibus his major fuit misericordia tua, qua prosequebaris, vindicta justitiae tuae, quam promeritus provocabam, inter has enim anxietates consultum visum fuerat, lecto decumbens infirmum simulare, si quo pacto hac astutia me e piratarum manibus salvare potuissem, non multo post redire vidimus cymbam nostram cum officiali armatae navis, quam ab illo Gallicam esse laeti rescivimus et ubi ille quoque veritatem a navarcho nostro dictorum comperisset illo ad nos dimisso ad ulteriores navibus Hollandicis struendas insidias, vela fecit et nos liberos dimisit. Prospero vento per residuam diem et subsequentem noctem continuabamus iter, hinc altero diluculo jam de longe terram apparere percepimus. Domestica fuere illa Britanniae littora navarcho nostro, qua nobis apparere poterant, propter erroneum tamen calculum navigationis, qui a 36 horarum violenta agitatione provenerat, in tantum inductus fuit praejudicium, ut se, quamvis portui Hullensi, quem quaerebat proximus, Edenburgi Scotiae littoribus approximare putaverit et propterea navi ad sinistram acta brevi ad sabulosa aquae vix immersa, quae Gal-

liam et Angliam inter sita navibus insidiantur, acti fecissemus, si error agnitus non fuisset, jam primum nostro itinere apparens Angliae promontorium Feldboroug et Neo-Castellum praetervecti promontorio Hullensi, quod flumen Humber mari illabens format, proximi fueramus ad vesperam, sed illud circumvehi sub vesperum non audebat navarchus ob occultatas ad apicem promontorii ruinas civitatis, quae olim absorpta fuisse, eo in loco creditur. Anchora proinde jacta ortum lunae exspectaveramus cum vento paulum violentiori pro circuitu montis necessario, nec in hoc defuisti nobis Domine, ut nos ab imminenti majori malo salvares, quodsi enim illa ipsa nocte flumen non intrassemus, sequentis diei validissimo vento correpti, coacti fuissemus in Norvegiam renavigare, quod pluribus navibus accidisse, plures naufragasse rescivimus.

*) Necdum septentrionales provinciae et principaliter Polonia a suspicione diuturnae pestis liberata fuerat, ac proinde navis nostra secundum usum 40 diebus a commercio civitatis et regionis inhibebatur, quia tamen transitus meus reginae Angliae tunc regnanti notus fuerat, literas adventus mei notificatorias Comiti S-ti Johannis postmodum Dynastae in Boullinbrook Secretario Status scripsi, et per eas pro alia navi reginam rogaveram, quae me transveheret in Galliam, ad quas, quamvis paucorum dierum intervallo interposito responsum acceperim et navis quaestoria praesto fuerit, 30 dierum spatio, tamen nobis ventum favorabilem exspectare oportuit. Dignum est, o misericordia infinita, ut in gratiarum actione revocem in memoriam et enarrem bonitatem tuam, qua me sub hujus temporis cursu ab ingenti maris periculo salvasti, dum curiositatis videndae Hullensis civitatis gratia cymbula vectus fueram. Tempus erat tranquillum et maris fluxus impetu suo retro actas fluvii undas reddiderat favorabiliores, cujus, ut cursu ordinario facilius renavigare possimus, refluxus beneficio usuri, sed media navigatione remigum opera peracta, dum mare refluere incepit, validus a latere ventus nos corripuit, cujus favore, ut navigare, possemus oblique deflectere oportuit et redeuntium fluctuum violentiae naviculae non ros-

*) I. N. D. Inchoatum in Jenikii die 14. 8-bris 1718.

trum sed latus opponere, quam dum vela oblique impetens ventus aliunde nimisquam inclinabat fluctuum impetus quoque ad eandem, qua vela declinabant partem praeponderare fecerant et propterea tanta saepe aquarum vis in cymbam insiliebat, ut ei exhauriendae vix pares fuerimus. Sed in tam praesentaneo periculo quoque ego periculum juste timentes jocis et juvenili risu exceperam, parum de mundana ac longe minus de aeterna vita sollicitus, et ut malo malum superadderem, posteaquam superato fluminis impetu ad brachium ejus, quod per civitatem transit et portum navibus efficit, deflexissemus non de gratiis tibi agendis cogitaveram, sed inter plebis ad ripas multitudinem fama adventus mei confluentis mulierum vultus perlustrabam, de illis jocos, fors et illicita desideria formabam et excitabam, quamvis navi eggredi nec potui nec volui; adfuit tamen Magistratus Civitatis me invito et cymba vectus Civium Magister latina salutatione me excepit, cui responso facto vix exspectavi, ut inportuno honori me subducerem et vento marisque favore usus navim repeterem, in quam me salvum reduxeras. Fac igitur, o infinita animae meae felicitas et misericordia, ut quas tunc ingratus neglexi, nunc tibi dignus referre valeam gratias, quae tibi tot titulis debentur a me miserabili terrae vermiculo, cujus corporis et animae tantam habere curam dignatus fueras, ut me pericula quaerentem et in illis delectantem conservatum esse volueris.

Confesso proinde crimine meo enarret calamus et lingua mea magnalia tua, contempletur intellectus et inflammet cor ad amandum te, quo enim plus consideravero beneficia, longanimitatem misericordiam tuam, eo magis agnoscam indignitatem meam et dignitatem tuam, et merito cum servo tuo Augustino exclamaverim: Quis sum ego, ut amem te, cujus bonitati non sufficit permittere, ut diligam te sed jubes ut amem te, quia si non amavero te aeternas mihi minaris poenas. O suave jugum, o onus leve, quod imponis. Amor tuus ineffabilem dulcedinem et summam illam mentis tranquillitatem, inenarrabilem suavitatem procreat, amor mundanus continuam inquietudinem, sollicitudines, anxietates et mille mala generat et tamen plures iste sectatores, quam ille reperit. Tot annis quos tibi recenseo, Domine, gemebam et ego sub pondere hujus et adhuc

illo oneratus jacerem, si infinita misericordia tua sublevatus non fuissem, caro quippe est homo, sibi similia diligit nec propterea nec propterea te spiritum sine te diligere potest. Oportet ut trahatur et, ut intellectus ejus trahatur ad te; debet recedere a se, ut accedere possit ad te: et ideo tam violenta apparent exercitia poenitentiae, quibus occiditur amor ille proprius, ut abnegatio suimet ipsius subsequatur, ast dum spiritu tuo repletus et tibi idemptificatus fuerit nihil ei dulcius nihil jucundius, quam te quaerere et tibi magis ac magis uniri, tunc eadem solertia et sollicitudine, qua ante se quaesivit, te quaerit et, quia tibi in hac vita corpore suo oneratus perfecte uniri nequit, insatiabili repletur desiderio sed quieto tranquillo quidquid enim appetit in mensura Sanctissimae voluntatis tuae desiderat. Sed, o Domine, illumina me et repraesenta mihi gradus, per quos me duxisti ad te, ducebas me tunc dum haec agebantur per terras per maria, tu me trahebas sed ego nesciebam, tu me conservabas in periculis, sed ego et illa et tua beneficia contemnabam, dederas mihi instinctum, quin imo tot prout recensui necessitatibus adactum cogebas me ire in Galliam in regnum, quod videre semper desideraveram et inter nationem quam simpatico quodam affectu diligebam nec linqua nec mores ejus ignoti fuerant mihi et propterea acceptis literis responsorii Secretarii Status et mandatis ad Civitatis Hullensis magistratum pervenientibus navis quaestoria ad speciem tantummodo onerata illico praeparata e portu exiit, et posteaquam illam conscendissem impatiens morae et hyemis ventum exspectabam, ventum, dico, non momentum voluntatis tuae, ad quam sequendam semper prout tibi notum est paratus fueram, qui providentiae tuae non omnes sed peculiares tantummodo vitae eventus attribuunt reliqua, ut plurimum a causis secundis provenire credunt, hinc prout dixi, ventum exspectavi et propterea impatiens fui, quodsi enim te adjuvante tunc attentius considerassem te dicere numeratos esse capillos capitis mei, nec ullum te nolente cadere jam tunc detestatus fuissem mundanam illam amoris proprii semet ipsum ducere volentis Theologiam et loco venti momentum voluntatis tuae exspectassem in patientia. Sed tandem flavit spiritus tuus et fluxerunt aquae favente uno et altero e flumine in ltum eggredi volebamus, sed irrito conatu, die enim ad vespe-

rum vergente pro securitate maluit aliquot horarum iter renavigare navarchus, quam nos nocturno tempore per loca littoribus Angliae vicina ducere anchoris proinde, in loco opportuno jactis die et vento reduce omnibus velis ejus captabamus benevolentiam amoena Angliae littora vicenissimi cernebamus et navium quaestoriarum hinc inde meantium frequentia delectabamur, donec tandem sub vesperam deflectendum fuisset sinistram versus, ut ad desideratum portum Dunquerquanum perveniamus, in quo me tribunus unius legionis meae praetorianae Gedano praemissus cum carpento et aere requisito exspectare debuerat. Haec mea fecerat dispositio, sed non tua et propterea factum fuit, ut vento ultra quam desiderassemus aucto praedictae civitatis non sat nota nauclero littora de nocte petere consultum non fuerat, volebamus igitur navim deflectendo noctem inani navigatione altitudine conservata transigere. Sed hoc ipsum violentia venti non admittebat, parva fuit enim navis, qua vehebamur et nonnisi decem nautarum opera gubernata, nec satis onerata ad resistendum ventis a latere impetentibus. Spes igitur nostra fuit Dunkerquam praetervecti Caletum tangere, sed dum ad altitudinem portus illius pervenissemus eaedem difficultates superandae fuerant. Ferebamur igitur penes non satis nota Galliae littora et tabulas geographicas consulentes quoquo modo Dieppum ingredi statuimus, beneficio cymbae piscatoriae usi, quam hoc opere vacantem et adscitam deprehendimus, donec portus propinqui ores signo facto portus ad naves inducendas destinatos nautas habuimus obviam, qui nos praemonuerunt ob maris actualem refluxum ingredi volentibus omnibus velis nostris uti debere unus proinde illorum ad proram invigilavit alter clavo proximus ad praemonendum Anglum, qui eum tenuerat vigilaverat, sed hic Gallicae, alter Anglicae linguae ignarus jam sinistrae locum navim agebant ad dextram, jam viceversa loco dexterae deflectebant in sinistram, inter quas litigantium vociferationes dum ad angustum portus ostium pervenissemus navis aliunde clavo non satis obediens subito motu ad sinistram acta ostii loco toto vento ferebatur ad aggeris ostium formantis apicem tam manifesto naufragii periculo, ut jam nautae Galli se in cymbam suam praecipitare incoeperint et viso periculo

civitatis populus fascibus accurrerit saluti nostrae non jam navis de qua desperatum fuerat consultura. Sed tu, o salus animae meae, deridebas sollicitudines nostras, statuisti enim auxilio tuo adesse nobis quamvis nescio an aliquis nostrum de te invocando egerit, statuisti, inquam, demonstrata periculi magnitudine nos conservare et revera merito tibi adscribendum est, proram vix amplus tribus digitis distantem ab aggere ex ingenti sectorum lapidum mole constructo deflexisse. Hoc praesentaneo periculo admonitus perveni ad littora tanto tempore anhelata, quamprimum arcis praefecto adventum meum significavi. Adfuit ille ad praestandum salutationis officium et quamvis honores omnes recusaverim, praestiti fuere mihi illi a civitatulae magistratu die sequenti reduci e missae sacrificio, quod in gratiarum actionem sat perfunctorie obtuli tibi o aeterna misericordia. Statueram ego omnes fugere honores ab incessu meo in Galliam, sed apparantis hujus humilitatis non tu fuisti scopus sed superbia illa vitae, qua instigatus malebam omnes respuere quam minoribus quam mihi deberi credideram recipiendis me exponere. Comitis igitur de Saaros affectans titulum indignabar iis, qui me principem appellabant. Semialtero die Diepi transacto, quo ulteriori potui itinere Roanum Normandiae urbem capitalem et pro rege gubernatoris sedem quanto celeriori potui itinere petii, ubi a duco Luxemburgensi majoribus longe quam desideraveram receptis honoribus, dolore pedum retentus octiduo manere coactus fueram,quos contempto malo in lautissimis prandiis et coenis profanis spectaculis et mulierum mundanis conversationibus pro lubitu mundanae et otiosae vitae, quam tunc sectabar transegi. Neminem ita quam memet ipsum amans amari volebam ab omnibus, et hoc omnibus complacendi studium, quod mundi asseclas martyres amoris proprii efficit, me possedebat integrum, inter totius diei horas paucae matutinae fuerant meae, ex quibus vix horae medietas dabatur tibi per preces perfunctorie blateratas, residuum tempus inutilium ad salutem meam librorum lectio occupabat et huic subsequebantur conversationes hominum adusque prandii horam, cui selectae et amicae assidebant mulieres et sic nihil gustui nihil visui defuerat. Prandii mensa mensulis lusuum excipiebatur ad usque spectaculorum profanorum horas serotinas, post quas

ingens hominum mulierumque congregabatur coetus circa lectum, in quo decumbebam, et haec coena lautissima claudebat in seram usque noctem protracta, quae omnia ego tunc credebam innocentissima. Vere theatralium histrionum vita fuit mea his bene perpensis, agebam Christianum cum sacerdotibus, militem cum militibus, politicum cum politicis, fingebam mentiebar et adulabar mulieribus et mihi complacere studentibus pari arte respondebam.

Ecce mundanae scientiae studium et vita illa pro deliciosa reputata, pro qua commutatur beata illa aeternitas, quam tu, o summum bonum, haec et his similia contemnentibus promisisti, haec sunt corporis et mentis continua fatigia, in quibus foelicitas et quies quaeritur et nunquam reperitur. Sic dispenditur tempus illud pretiosum, quod homini ideo dedisti, ut tibi serviat, hae sunt vanitates et illecebrae mundi carnis et diaboli, quibus inter has occupationes vita consecratur et haec sunt, inquam, quae innocentissima creduntur et heu a quam multis Ecclesiasticis permittuntur, tolerantur, practicantur et suadentur. Nullius peccati me inter haec arguebat conscientia, habitualibus enim suis impuritatibus obcoecata cuncta haec pro indifferentibus reputabat. Primum hoc vitae mundanae spectaculum exhibuisti mihi, o Domine, in Gallia, cui quia jam in prima juventute asuetus fueram, illud vere omnibus sensibus hauriens inebriebar illo per transennam, sed quia consonum esse credebam ad salutandum regem properare liberiori pedis usu recepto, me itineri commisi et quinque plus minus dierum itinere Parisios Lutetiarum appuli, et quia suburbana domus quam mihi quaeri jusseram tam brevi tempore sat commoda reperiri non poterat, moleste tuli me cogi in urbe habitare, in qua curiosi populi me videre volentis continuo confluxu et concursu vehementer onerabar et partim propterea, partim ut aulae de receptione mea animum et sensum explorarem, consuetudines cognoscerem majori quam senseram pedis fatigio et dolore simulato domi me continebam. Nunciavi interea debito cum respectu regi adventum per ablegatum meum et rex per introductorem legatorum primo, postmodum per Ministrum suum Secretarium Status negotiorum extraneorum, Marchionem Torsi, me invisere fecit, quem Minister bellicus et plurimi principalio-

conciliaveram, oportebat igitur curam habere horum, nequid his derogarem. Statueram mihi immoderatos et beneficia Regis excedentes sumptus evitare, decorum extrinsecum status servare, inconvenientes et juveniles societates, scandalosa mulierum commercia vitare et principum ita colere amicitiam magnatumque familiaritatem, nequid derogarem mihi. Oportebat mihi esse civilem absque levitate, gravem absque affectatione et haec omnia qualitati Comitis et Principis accomodare, unde jam hujus jam illius mihi assumenda fuerat larva et praesente Rege larva quoque Aulici indigebam. Haec fuere occupationes meae in primis scaenis theatri illius Gallici, quod me post repraesentationem Principis conscendere feceras o sapientia aeterna. Verum est quidem te horum propositorum finem in tantum fuisse, in quantum providentiae tuae sequendae me lubens subjeceram et mutationem praecedentis status mei patienter ferens haec quoque lubens assumpseram. Sed de reliquo gemens confiteor me in his non a te petiisse consilia, sed dispertita mihi talenta tua mihi approprians me mihimet ipsi sufficere non fide sed actionibus credebam, quamvis enim persuasus fueram omnia venire a munificentia tua, operibus contrariabar opinioni meae, non a te sed a memet ipso expetens consilia et propriae prudentiae sectando suggestiones, et tamen inter haec omnia non confundebas me, sed patris instar connivens ducebas ad finem aeternorum decretorum tuorum. Diebus plus minus decem in simulata pedum incommoditate consumptis, praefixo ex Regis voluntate die Versaliam propriis carpentis vectus discessi et ad secretum colloquium Regis more cum Principibus non nosci volentibus practicato admissus fui, et per secretiores gradus ductus per introductorem, ad verticem ipsorum per Marchionem Torci receptus patentibus utrisque portarum valvis introductus Regem salutavi et benigno vultu et affabili colloquio ab ipso excaeptus fui: eandem sortem nactus postmodum apud omnes Principes et Principissas quoque sanguinis regii reddidisse me Domine gratum in conspectu illorum, quorum exemplum tota aula propria quoque cujuslibet inclinatione inducta secuta est. Hinc ego quoque competenti honore apud Regem et Principes excoeptus et per hoc intentum meum asscensus caeterorum aestimationem, considerationem, amicitiam

et affectum morigera humanitate et familiaritate pauco tempore demeritus sum.

Praedictis diebus Parisiis transactis ad suburbanam domum in vicino civitatis vico Salio nuncupato et postmodum paulo post in aliam in Passi me transtuli et inter quinque mensium spatium tantam Aulae notitiam aquisivi, ut ad particulares Regis venationes primum invitatus, demum pro lubitu admissus Principis tantam aquisiverim benevolentiam, ut ejus ad extremum usque ejus diem semper senserim incrementum: familiaribus suis itineribus in Marli me adesse voluit et privatis suis deambulationibus ac venationibus, ad quas siquidem propria quoque et naturali inclinatione ferebar, ipsi Regi et omnibus Principibus gratus effectus fueram. Omnes enim Principes praeter Aurelianensem hocce exercitio ad exemplum Regis delectabantur et quisque me sibi comitem petebat et esse delectabatur. Inter has genio meo convenientissimas distractiones obliviscebar ego Parisiensis civitatis, quam rarissime spectaculorum theatralium et videndarum curiositatum gratia frequentaveram et concepto vero respectuoso affectu pro persona Regis vere illo non viso mihi aliquid deesse credideram. Nullus mihi in Aula invidus, nullus non amicus mulieres inter et homines et haec te ita disposuisse credo Domine, ut omnis generis et speciei vitam, quam spiritus mundi desiderare potest demonstrares mihi, indulgeres fragilitati meae, sed ita moderareris pravitatem malitiae meae, ne implerem mensuram misericordiae tuae. Aulae frequentatio mulierum conversationes et amicitias produxit; eram enim nimisquam susceptibilis amoris, sed horrebam impudicas, secretam desiderabam et veram illam realemque amicitiam, cujus paucissimae capaces sunt. Tu scis Domine, me ad haec concupiscentia carnis nunquam inductum fuisse, sed quadam sympathia naturali suscepisse subitam illam impressionem, quae me pro toto caetero mundo muliebri reddebat indifferentem, secretas anhelabam conversationes easque honestas, caetera enim criminalia et semper mihi deflenda carnalia commercia non ex illo definiri nescio instinctu, sed magis ex falsa et detestanda status mei ratione provenerant; hinc sentiebam vere cordis nihil illiciti cupientis motum ad aspectum cujusdam personae qui me reddebat attonitum verecundum et

compositum, quaerebam videre eam quam saepissime, aspectus loquelaque ejus nimisquam dulcis erat mihi, inquietus eram absente ea, timebam alloqui praesentem, ne offenderem, hinc loquebar oculis suspiriis iisque saepe abruptis, ne quis secretum cordis mei penetraret. Summum meum fuit ei complacendi studium et grati quid praestandi desiderium et offendendi metus, tam puri et nullo modo carnalis amoris igne sentiebam me dietim magis irretiri; sed quas tibi non referam grates o Domine, quod illum in unum objectum non figi, non permiseris; sed quod nunquam ante mihi accidisse scio uno eodemque tempore duo objecta repraesentari permiseris, ut mentem corque meum in bilance teneretur. Scio o Domine, incredibili quid me scribere carnalibus, quorum plurimi puritatem amoris sibi imaginari nequeunt, sed tibi confiteor ego non illis, et per haec mirabilia tua depraedicans revelo ingratitudines meas, tuum quippe donum fuit haec pura cordis inclinatio, meus fuit abusus, quod ego illam converterim ad creaturas. O quanta mihi ratio reddenda est de hoc talento male impenso, si intraveris in judicium meum et non misereberis mei; vere feceras cor meum pro te et hinc non inveniebat requiem, donec rediret ad te, centrum amoris sui, sed permittebas haec o abscondita et homini impenetrabilis sapientia, ut sensibilior sit mihi fragilitas mea, et pateat opus misericordiae tuae, ut cor meum revocares ad te. Duo inquam uno eodemque tempore opposuisti objecta, quae nefario ausu tibi praetuli: unum illorum humanitate suavi agendi modo vivacitate in agendo et mira in omnibus gratia forma corporis et faciei se digna invitabat me in amorem sui; alterum soliditate ingenii et caracteris compositis moribus et simplici modestia, gravitate morum natura prudentia nec alteri postponendo vultus decore alliciebat me: hoc caracteri meo videbatur magis convenire, illud mihi videbatur majori in me inclinatione duci; modestia secundi reverentem metum incutiebat mihi, alterius faceta comitas majorem spem reciproci amoris faciebat; sed si a hujus facilitate quid spei affulgebat, ab alterius constantia plus promittebam; studebat una harum personarum placere omnibus, altera nihil quid simile affectabat.

Annum integrum consumpsi in hoc discrimine, complacebam mihi nunc hanc nunc illam videre, caracterem experiri, se-

cretas inclinationes examinare, antequam unam praeferrem alteri; continuae mihi unam et alteram videndi alloquendi occasiones; aderat una equo mira gratia insidens venationibus, alteri domum redux lusu cartarum complacere studebam et nullibi reperiebam quietem, oderam ipsemet in me dupplicitatem et mendacium et propterea nec uni nec alteri secretum cordis mei aperire volebam, ne praematuri facti poeniteat. Scivi unius positive fuisse intentum, ut irretiret me, sed hoc ipsum naturali levitati et vanae mulierum gloriae, quae sibi alias praeferri aegre ferrent, multis ex rationibus imputare poteram, metuebam proinde severitatem alterius, ne quid reprehensibile in me reperiret, quamvis enim os meum cogitationes cordis mei ei non revelaverit. Omnes actiones meae me invito uni et alteri manifestabant ea, quae celare studebam; pars Aulae pro more de similibus loquendi de extraneorum et advenarum actionibus me hanc, altera alteram amare dicebat, et sic una illarum de altera credebat, et non propter me, sed ex amore proprio et falsa gloria venustatis suae zelotypiam concipiebat, aut potius ex diversitate humorum et inclinationum jam ante conceptum fovebat. Interea ego undique et ubique carebam requie; praesens mihi fuerat in omnibus actionibus meis una altera et haec inanis occupatio et vivendi modus continuis venationibus mixtus maximas dierum mearum partes replebant. Gratus Regi et Principibus totique Aulae nihil nisi honestatis recipiebam ubique; inimicitiae verba aut vel minima dissensio aut verborum litigium cum nemine toto triennali commorationis meae ad Aulam tempore; ambiebam nihil, nemo mihi invidebat quidpiam. Horas matutinas ab 8-a diei Regis aut Marechallorum Franciae ducum et primorum Aulae rerum experientia praeditorum aetate gravium, morum et conversationis suavitate excellentium conversationes usque ad 10. replebant horam nempe missae regis, cui suavis concentus gratia assistebam potius quam tui o salutaris victima et pretium animae meae. Inde reduces amici unius aut alterius excipiebat cubiculum, in quod plures congregabamur ad instituendos jam militares, jam politicos, jam physicos discursus ad usque prandium, quod pro lubitu vel in frequentia multorum sumebatur lautum, vel ad minorem amicorum mensam, quam lusus cartarum excipiebant ad vesperum, vel civiles

invisiones Principissarum sanguinis regii. His diebus intercalariter interponebantur venationes cervorum cum Comite Tolosae legitimo regis filio, cum quo qualibet septimana bis statutis diebus in arcem suam Rambouillet divertebam. Princeps enim ille mihi dilectissimus erat, amicitiam firmante naturali morum et inclinationum sympathia, nulla ei dominans passio, nullius violens desiderium, mira animi aequalitas et candor, profundum et solidum judicium et naturalis in rebus agendis ordo, omnibus benefaciendi pronitas, nocendi nemini, et propterea tenere amabatur a Rege et a tota Aula. Inter *haec* interveniebant privatae deambulationes Regis et venationes, in quibus solus in paucissimorum officialium suorum comitatu jaculari solebat perdices et volucres phasi*anas*, quibus adesse data mihi fuerat facultas. Transibat hyems et festis Pascalibus cum octava peractis ad amoenos Marlianos hortos habitandos in selecta hominum et mulierum a Rege ad id nominatorum societate transibam.

Dignum foret, ut prolixo sermone horum ego describerem delicias, magnificentiam et modus ibi vivendi suavem familiaritatem, ut cunctis haec aliquando legentibus pateat et suavitas apparens viarum et asperitas, per quas me ad te duxisti modo incomprehensibili, ut omnium horum reali experientia me doceres nec in puro nec in foedo mulierum amore, nec in Regum Principum favore, selectorum amicorum consortio, nec in regio studio et magnificentia aedificatis palatiis, laqueariis et hortis, nec in venationibis et innocentibus corporis exercitiis et animi relaxationibus, nec in commessationibus reperiri posse suavem illam requiem et animi aequalitatem, quam dare solet bonitas tua diligentibus te etiam inter tribulationibus, angustiis et afflictionibus mundanis constitutis. Sed haec de illis dixisse sufficiat cum illorum fabricam, descriptionem, icones et libri satis repraesentent, continuabo tamen ego mea secretiora patefacere, ut appareat veritas primae propositionis meae in vita mea, siquidem cum ad haec quae nunc mecum aguntur scribenda per gratiam tuam o Deus perveneram, secundam verificabunt. Cuncta, quae pro hyemalis temporis dispendio fiebant Versaliis, majori cum suavitate reassumebantur in Marli, ubi omnia dulcem respirabant familiaritatem. Omnes a Rege nominatae utriusque sexus personae erant dignitate, morum gravitate, prae-

ditae, quibus juniores et venustissimae quoque feminae cum maritis adjungebantur. Nullus huc non nominatus accedere, nullus ignotus aut extraneus venire audebat, famulorum paucissimus numerus per hortum et in circuitu ad artem dispersae domus totum hortum unam civitatem efficiebant, et regis palatium propemodum in medio positum fuerat; ignorabantur carpenta equi famulorum comitatus in usu, Regem ob aetatis gravitatem plerumque in trusili rotis superimposita sede deambulantem dominae et domini pedes sequebantur et illo secretiora sua repetente in ingens laquearium in medio aedificii constitutum confluxerant, ubi regii mira civilitate fidelitate et sedulitate serviebant omnibus famuli; nihil hic interpellantibus defuit seu ad distrahendum animum seu ad reficiendum corpus, tabulae lusoriae pro lusu cartifoliorum in circulum dispositae lusum spectantibus circumseptae spectaculum formabant diversissimum, ingens in medio rotunda mensa terno spectantium circulo circumdata magnam vim aeris fortuitis cartis exponentibus deserviebat, alii latrunculis alii eburneorum globorum trusili lusu oblectabant animos adusque coenam Regis horam 10. vespertinam et sic quilibet discedebat noctem vel somno vel lusui vel epulis vel nocturnae in hortis deambulationi consecraturus in frequenti coetu ad particulares enim invigilabatur ab hominibus ad id constitutis ad praepedienda scandala et scelera, in quantum fieri poterat. Inter tot et mundano spiritui tam convenientia otia et delicias ut aliquid mihi deesset, cordis mei me cruciabant objecta et, quidquid ad illa non referebatur· nequiebat me delectare, hodie illi cras alteri arcanum meum revelare statuebam, sed jam mihi verbum jam occasio deesse videbatur, de qua vix neglecta dolebam. Affligebar quandoque videre unam in secretiorem confidentiam immorigeros juvenes admittere, dum amoris mei respectus me mutum reddebat et reverentia accedere vix permittebat; detestabar igitur nimium ejus complacendi studium et in levitates degenerantem affabilitatem nec me multo juniorum familiaritatem ingredi statui meo et dignitati conveniens esse credebam, et propterea me convertebam ad alteram, quae his minime subjecta fuerat. Haec in longum tempus protracto colloquio eventus vitae meae narrantem cum affectu auscultare videbatur, sed his, quae cordi

meo vel maxime intererant, admiscere non audebam modestiam ejus laedere metuens. Annus in his primus consumptus est, qui per iter Regis in arcem fontis Bellaquaei sub mensis Augusti finem susceptum finiri coeperat, quo tempore una personarum, de qua solicitus fueram, propter instantem partum Parisiis remanserat, altera primarium in Aula locum a nativitate obtinens adfuerat, et venationibus aliisque oblectamentis semper praesens meum ad se trahebat animum oculosque, et quia Rex ex singulari affectu suo mihi in arce habitationem praeparari jusserat, non deerat mihi eam videndi, cum illa lusus cartarum instituendi occasio, sed sensus meos proferendi semper defuit resolutio, praecipue dum absentis recordabar. Feriarum hebdomadae dies lababantur in continuis Regis vel Principum venationibus dies festos et dominicos audita obiter missa in particulari jaculatione cum Comite Tolosano et lauta coena in domuncula ejus ab arce in amoenissimis Sequanae ripis horae itinere dissita, in consortio sororis suae Ducissae Bourboniae et filiarum caeterarumque amicarum et amicorum communium transigebam, nec tamen saturabar nec tranquillus esse poteram. Rege ad festum omnium Sanctorum Versaliam reduce, sequenti festum die Marlium discessimus, ubi reiteratae venationes et caetera oblectamenta stationis incommoda toto mense Novembri sublevabant.

Anno postmodum in devotione adventuali et festorum Versaliis finito novum ibidem inchoavimus, quo ego quoque ex vico urbi Parisiensi vicino Passi habitationem meam in arcem Clagni Versaliae civitati contiguam transtuli, ut Regis benevolentiam et Aulae totius amicitiam commodius colere valerem. Tu quoque o infinita bonitas decreveras efficaciora adhibere media ad curandas solicitudines meas per confusiones, quas a persona ex puerperio reduce recepi, cui uberius sensus meos explicare et aperire praesumpseram. Nihil obscoeni nihil indecens in his intervenit, quae timor et respectus moderabatur, sed alterius (quod postmodum multo tempore rescivi) secretus amor apparenti modestia larvatus, causa fuit, quod illa dicta mea parentibus suis retulerit et de me illis, qui amicissimi fuerant mihi, conquesta fuerit, idemque marito suo revelaverit. Pudebat me factum non prolata, quamvis omnia quae evenerant magna undique discretione et dissimulatione celata fuerint,

constantiam ejus aestimabam et plus mihimet ipsi indignabar me arcanam cordis ejus inclinationem, quam causam offensae meae fuisse credidi, tanto tempore non detexisse ex quaesitis causis triduo me continui hominum fugere commercium et jam tunc, quantum debilitas mea permittebat, statueram ab omni mulierum amore me eliberare, quod facilius me assecuturum credideram, siquidem a longo tempore, finito fontis Bellaquaei itinere alterius frequentare cessaveram societatem ob jam recensitas levitates ejus, per quas aliis aequiparari ferre non poteram, sed fortiori quam rumpere poteram vinculo alligatus fors fortuiti aspectus et favorabiliter interpretatae loquelae in priorem me remisere statum. Longiore sermone haec refero, quia media fuere et catenae, quae me traxere ad solitudinem et mundanam vitam sensim sine sensu reddebant exosam et violentia haec affectus revocabant me ab aliis turpitudinibus, quae me foediorem reddebant in conspectu tuo. In Clagniensi arce me ultra solitum continens orationum compositioni et lecturis vacabam, Sacrae Scripturae, jam enim tum mundanas fabulas et ad irretiendam juventutem confictas romanicas legere cessaveram, commoditate praeterea domesticae capellae usus tremendo missae sacrificio dietim assistere coeperam et a compluribus annis sub praetextu conservandae sanitatis carnium esu neglectum quadragesimale jejunium rite tenere me resolvi. Adfuisti mihi Domine gratia tua et illuminare coeperas mentem meam et agnovi diaboli fuisse instinctum, qui me a frequentatione sacrificii missae avocaverat sub praetextu melius esse illud negligere quam absque devotione adstare, et propterea sedulus esse coeperam in audiendo illo, quia tamen in frequentatione aulae et amicorum meorum nihil me saluti contrarium facere adhuc credideram; continuabam illam et foliorum lusu tempus terebam non tam ex delectatione et lucri cupidine quam ex usu universali et communi et aliis complacendi causa. Multum profuerat mihi in recurrendo ad te rerum domesticarum penuria ex retardato mihi ab Aula dari solito subsidio procedens; nolebam optimo Regi molestus esse sciens quam optime aerarii ejus arctiorem statum, quem majora sumpturum deterioraque incrementa praevidens, futurorum solicitudine angi coeperam, nec horum nisi in providentia tua reperiebam remedium.

Considerabam in dies gravescentem optimi Principis aetatem et mortem ejus subsecuturas confusiones, distrahebam me continuis venationibus et itineribus ad arcem Comitis Tolosae, quae societas et profuit mihi apud Regem et nimisquam delectabat me: erat enim inclinationi meae appropriata et in his transacta hyemis parte per quadragesimam sermonibus elegantissimis coram Rege habitis sedule intereram, et cum complacentia audiebam verbum tuum me vocans. Pascalibus demum festis sub falsa opinione ad confessionem pascalem non teneri nisi eos, qui absolute per annum non frequentant sacramenta, sine confessione pascali peractis et octava praeterlapsa verna statio Regem Marlium duxit et me quoque sibi itineris comitem fecit. Gratum illi fuit colloquium meum, quod in deambulationibus matutinis et pomeridianis in pleno comitatu mecum benigna ex consuetudine habere solebat, et quia plurimum venationibus delectabatur, me illis assidue occupari placebat; praeterea meliorem quoque me esse Christianum credebat et tibi Domine dignius servientem quam intrinsece fueram, nihil enim publicum reprehendere poterat in modo meo vivendi; sed tibi, cui unice patebant occulta mea, nihil placere poterat in me, illud enim quoque, quod boni fuit, si fuit, tuum erat non meum, sed quia ab aeterno decreveras non me mihimet ipsi derelicturum, curam majorem gerebas mei et propterea Regis et totius Aulae, quin imo nationis Gallicae conservabas amicitiam favorem et nutriebas opinionem, qua ego vere indignus fueram.

Majalem amoenitatem veris luctus de morte ducis Berri nepotis regis interveniens turbaverat et brevis ejus infirmitas celeri morte subsequente plus conturbavit Regis animum quam monstrare volebat; funere tamen pro more peracto venationes solitae reassumptae sunt et omnia usitato procedebant tramite adusque festa Pentecostalia, quibus Versaliis peractis Rex venandi gratia ad filium suum Comitem Tolosae diversit ad octiduum et inde Marlium reversus est, ubi menstruali mora peracta in mense, ni fallor, Augusto ad fontem Bellaqueum discessimus. In omnibus his itineribus adesse me volebat Rex, quem cum Comite Tolosae octiduo praecessi, ut in domo ejus arci, uti dixeram, vicina cum Duce Borbonio et plurimis notis Ducibus et generalibus adusque adventum Regis canes venaticos con-

tinua propemodum venatione exercitaremus. Quid de his tibi dicam Domine otiosis, de quibus tantummodo rogo te ne intres in judicium mecum, quibus ego ut innocentibus utebar et tibi displicere non credebam. Noli quaeso petere rationem disperditi temporis: a toto enim prout tibi poenitens repraesento ingressus mei in Galliam tempore, nescio num trium dierum spatium impenderim, prout opportuisset, sed necdum satis disperditi temporis, quod non absimiliter fuit transactum quam praecedenti anno, in sola audienda missa perseveravi in ea, quod te respicit, reliquae diei horae venationi lusui dicatae fuerant, necdum liber fueram ab amore, quem interdum crescere quandoque decrescere senseram in corde meo: non me in eo carnalis stimulus infestabat sed solummodo amoris mutui desiderium, sed hujus solus volebam esse objectum, quod me assequi posse nunc sperabam, nunc desperabam. O dulcedo cordis mei, quanta mea fuit dementia, sed numquid poteram resistere impellenti motui absque gratia tua, quam nec desiderabam nec quaerebam; impellebar ad amandum sine ullo proposito fine malo affligebar, quod prae caeteris non amer sed propterea non irascebar aliis, sed amicitiam illorum quaerebam, ut complacerem; delectabar tamen dum ipsis quid ingrati contigit, et spes inanes concipiebam; hoc felle miscebantur dulcores mundanae vitae, quae de reliquo nec delectabilior nec suavior esse poterat. Secundum intentum meum honorabar, amabar ab omnibus ubique gratus, nulli incommodus, ignorabam in Aula quid sit esse, aut habere inimicum aut invidum; lusus, spectacula, venationes, conversationes omnis generis, lauta prandia panes erant quotidiani. Dic mihi fili saeculi, quisquis es, quid mihi defuit? Regias domos et hortos, quibus nihil unquam simile quid vidit antiquitas, inhabitanti? Superflui mihi deerant sumptus sed nunquam necessarii famulitium mihi equi venatorii pro statu, in quo repraesentare volui, sufficiens, veste nitidae et omnium approbatione laudatae, cor tamen meum fuit inquietum, quia longe fuit a te, o verum centrum ejus, et creaturas sumebat pro scopo amoris sui, quae nunquam in eodem statu permanent. Dices mihi o homo ad hunc, quo ego fruebar statu aspirans, stulte me in amore comportasse, sed si secundum mentem tuam carnalem quoque egissem, contentus esse non potuissem, quia multorum

invidiae zelotypiae juvenum indiscretioni omni momento me exposuissem et per indignos commissos actus aut scandalosam vitam Regis benevolentiam amisissem. Nihil igitur melius esse poterat, quam prout tu o misericordia aeterna seu volenter seu permissive disposueras et ordinaveras vias meas. Festus erat quidam dies, in quo Duci Bourbonio et Principissis, inter quas illa quoque, quam diligebam, fuerat, in mentem venerat Reclusorum Carmelitarum cellulas in vicinia existentes invisere, et me quoque adesse desideraverant, quod lubens praestiti et fors hoc iter mundana magis quam devotionis causa susceptum attraxit mihi radium gratiae tuae. Ecclesiam enim sub decantatis vesperis ingressi, cum sacro-sanctum corpus tuum publice adorationi expositum vidissem, contempta irrisione ad genua provolutus in ferventiori quam solebam adoratione remanseram, et vere egressus sensi solitudinis nescio quam dulcedinem in qua delectabar, sanctum Patrum otium et tranquillam vitam laudans invidebam et depraedicabam, et me parem ducere posse aliis irridentibus dicebam. Jocosa ac faceta illusione tractabant debitum tibi praestitum adorationis obsequium, sed cum respondissem: si competit subditum in praesentia Regis sic esse, quidni creaturam coram creatore suo? adverti responsum meum fecisse illis impressionem. Nihil nisi ea quae dixi repetenda mihi forent, si subsequentia curare vellem, consuetam vitam ducere continuabam, et ibi et post reditum Regis in Marli adusque adventualem devotionem qua durante sermonibus Regis aderam et te miserante majorem senseram fructum et saepius de te, de vita mea otiosa cogitare coeperam. Trahebas me Deus ad te nec ego mundanae vitae satur refractabar, quin imo imminentem quadragesimam statui in leguminum esu tantummodo peragere et socium nactus sum in hoc jam tunc mihi amicissimum Franciae Marechallum Tessé, cum quo cor meum tu o bonitas aeterna individuo charitatis vinculo semper magis ac magis conjunxisti. Revertebatur in mentem quandoque a juventute inditum solitudinis desiderium, ad quod non tam aeterna salus quam quietis amor vocabat; credebam enim adhuc tunc facili opere posse hominem et mundana tractantem salvari aggravabantur domestica negotia et quia denuo subsidiorum meorum retardata solutio egestatem et paupertatem minabatur mihi in

casu non solutionis intendebam me potius in aliquod claustrum cum uno alterove famulo recipere quam in indigno statu subsistens ad Aulam debitis oneratus risus inimicorum meorum et Aulae Viennensis devenire et vel maxime mortuo Rege, a quo avelli durum videbatur mihi. Haec animo volventi occurrebat Eremitoriolum S-ti Augustini Monachorum in silva S-ti Germani, in quo cellulam tenebam in qua finita venatione quam ibi persaepe cum duce Bourbonio frequentare solebam, vestes permutabam locus erat amoenus et solitarius sed aqua carebat, sed nec fixae tum fuerant cogitationes meae quas quandoque tamen amicis communicaveram inter has et similes cogitationes rebus mundanis et venationibus frequentissimis immixta labebatur hyems et festa Pascalia appropinguabant. Tu quoque indidisti mihi o sapientia aeterna desiderium majoris hebdomadae septimanam in aliquo loco solitario elam me ab aula subducendo amicis quoque meis insciis seriae devotioni vacando transigere, voluissem quippe ne ullus rescivisset locum solitudinis meae et propterea non aptum videbatur mihi supra memoratum Augustinianorum Monasteriolum saepe enim Principes, qui septimanae sanctae primos dies in venatione transigere solebant, venabantur ibi, nec propterea me satis latere posse credidi, monachi quoque noscebant me ego porro desiderassem, ut et illis ignotus esse possem, haec mente volventi occurrit mihi Eremitorium PP. Camaldulensium quod ego mirabili casu resciveram ante iter fontis Bellaquaei. Egrediebar quippe cubiculo in Clagni ad conscendendum carpentum Marlium ad venationem Regis discessurus, et ad scalas arcis Eremitam quendam obviam habui supplicem mihi libellum porrigentem cujus cum pro more meo tenorem perlegissem, comperi ex nomine et adjunctis documentis illum quondam in legione mea Gallica pyroboliarum centurionis munus obivisse. Rei novitate attonitus proinde dum vitae ejus a tempore mutationis status discrimina inquisivissem, recensuit se gratiae tuae luminis subito fulgore tactum sceleratam quam duxeras vitam deseruisse. Eremitorium quoddam in Flandria ingrediendo ex quo ad vendendum exiguum patrimonium suum reversum in patriam, et demum peracto proposito in Provincia Anguiana aliud eremitorium a tribus fratribus habitatum ingressum, quod quia for-

tuito casu combustum est nunc statuit Religionem Camaldulensium ingredi, se vitae regulari subdere, petere proinde ut recommendatorias Patribus scribere vellem quod non tantum executus sum et ille receptus fuit, sed et de PP. eremitorio diligenter investigavi, ordinem enim illum ego jam ante noveram et aestimabam, sed haec oblivioni tradens tunc revocasti in mentem o aeterna bonitas dum oportuit. Praemisi proinde eo obscurum quendam Hungarum beneficiis Regis multis annis sustentatum, qui quandoque aulae meae familiares invisere solebat, et pro homine bonae vitae habebatur adjurato illo ne cuipiam praeter P. Superiorem domus secretum revelaret, et mihi cellulam victumque PP. peteret, quorum consuetudini et ordini integre subjectus triduum peragere a die Mercurii volebam, sic praetextuata venatione uno solo famulo comitatus in reda portaria discessi, et vere te et singulari tua providentia ducente feliciter perveni in beatam illam solitudinem, cujus tunc singularem amorem mihi indideras. Tu scis Domine melius me, quomodo triduum illud impenderim, illud ego scio et te in aeternum laudo, quod me ab illo tempore liberaveris ab omnibus turpitudinibus et mundaveris conscientiam meam et me in alium hominem mutare inchoaveris. Statui te adjuvante deserere inpuritates meas et secundum monitum Confessarii sacramenta saepius accedere, horisque nocturnis somnum rumpere pro dicendis tibi laudibus, de caetero complacebam mihi in loci situatione et in sancta simplicitate illustrata monachorum vita nihil austeri, nihil extenuati ac studio compositi repraesentabat mihi illorum conversatio, quin omnia ut dico sanctam redolebant simplicitatem, modestiam et internam tranquillitatem, invidebam felicem sortem novitii a me recommendati et tuam circa ipsum providentiam ac miram ordinationem admirabar quidni enim mira fuit sancta dispositio tua hominem sceleratissimae vitae antea praetorianorum munere fungentem tunc videre nocturnis horis ad me et fratres excitandos destinatum esse et similes agitationes penetrabant ad intima mea, dicebam quippe mihimet ipsi: in statu principis constitutus desiderabas solitudinem, quid nunc te ab illa deflectere potest? non cura publicorum, exul enim es, non obligationes status quibus nihil te alligat, non cura familiae, cui ex

solitudine, quamvis ab Aula descitus providere potes nec quid opponere me posse his inveniebam praeter amicitiam Regis, quam colere et frequentare decens necessarium suaveque fuit mihi, sed quia tu me illuminare inchoabas huic quoque facile fuerat reperire remedium, ut nimirum solemnitates majores praecedentes dies et hyemalia tempora in solitudine, verna ad latus Regis peragere statuerem, et ut mihi nihil desit et de commoda domo, templo et claustro PP. adjacenti mihi providisti quam tunc cum illo tempore quidam Regis Consiliarius privatae vitae pertaesus PP-bus elocandam remiserat nec ego distuli illam illico conducere et illico assumpta delineatione futurae habitationis meum de illa accomodanda et pro genio meo adaptanda omnia disponere coepi, ut subsequentia festa Pentecostalia in hac solitudine peragere possem. Redux die Sabbathi majoris hebdomadae ad aulam sequenti die Regem pro more salutaturus accessi, qui de absentia mea praeteritis diebus amica et benevola cum curiositate inquirebat, cui ne mentirer dixeram die praecedenti Parisiis venisse (urbs enim mihi transeunda fuerat redeunti) sed hoc responso non contentus observabam benignum Principem moveri, ut veram causam itineris mei resciret et quia mirabile ipsi videbatur me in tam sanctis diebus civitatem (quam me non amasse sciebat) invisisse, quid ibi egerim interrogabat, quapropter fictionem continuare indiscretum ratus secretum pio principi submissa voce ad aures revelavi, percrebruit proinde fama rei ad Aulam Rege ipsomet amicioribus Principibus et Magnatibus revelante et indiscretus ille homo quem me praemisisse dixeram domum quoque me ibi elocatam conduxisse passim effutivit, de qua resolutione mea non amplius cessavere quaestiones et loquelae amicorum meorum quolibet pro proprio genio de me judicantium, sed haec ego per gratiam tuam contemnebam et pias resolutiones opere quoque demonstrare diligentius studebam, valedixi foliorum et omni pecuniario lusui, postquam octava Pascatis elapsa pro more cum Rege Marlium progressus fuissem, evitabam ibi toto itineris tempore longas et otiosas conversationes, quibus ante seram in noctem vacare consueveram, nec nisi venationis casum reservaveram, sed necdum me de toto abstinere potui a delectatione videndae personae, quam adhuc mihi nonnisi innocenter

cordi esse sentiebam. Comite Tolosano absente et curandae sanitatis suae causa in aquis Bourbonianis moram gerente, canes regii in vicina solitudini meae sylva Senaar exercebantur et illa occasione usus invisebam domunculam meam, quam me pro hoc solummodo usu conduxisse dicebam curiosis, et illa habitatio semper magis ac magis placebat mihi. Interea sacramentis tuis omni octiduo refocillabam animam meam, ex hac causa qualibet die Sabbathi ad vesperam Versalias discedens et peracta devotione in parochia apud PP. missionis ad Regis prandium revertens et hoc exercitium mirum in modum proficiebat mihi et sustinebat me inter mundana pericula, quae tamen necdum integre noveram nec me ab illis satis praecavebam, sed gratia tua supplebat in multis defectibus meis: mire nosti enim praeservare illos, quos trahis et sincero corde sequuntur te, et hoc me propria experientia edocuisti. Sentiebam augeri vires meas ad resistendum turpitudinibus et impuritatibus tot annorum habitudine inveteratis, persona quae adhuc mihi grata videbatur aberat, sed quia necdum satis resistere vel potius mihimet ipsi diffidere sciebam, quaerebam occasiones invisendi illam in domo sua suburbana unius plus minus horae itinere a Marlio distante, sed jam firma fuit resolutio mea nunquam illi secretum cordis mei revelandi, majorem dici partem praeter tempus deambulationis Regis et caeteras occasiones, in quibus optimus Princeps in publico apparebat in cubiculo meo in librorum lectione transigebam, sed necdum in illa salutari lectione librorum spiritualium, quae proficua potuisset fieri animae, sed quae conveniebat statui meo politico, non me amplius lusus foliorum delectabat, cui absolute renunciaveram, et hora 10. vespertina quae coenae regiae destinata fuit decubitus mei tempus ordinarium erat. Somnum rumpebam hora prima post medium noctis ad recitandum officium B. Virginis. Jam me docere inceperas o sapientia aeterna non amare mundanorum conversationes sed vitare et variis amicorum utriusque sexus de me habitis loquelis et conversationibus resistere, quibus displicebat hic meus vivendi modus, qui tamen nullam mutationem prae se ferebat in publico, sed tantummodo ab illis observari poterat cum quibus antea serotinas et plerumque vanas et detrectatorias conversationes, in quibus jam de hujus jam de il-

lius vita, moribus et scandalosis actionibus agitur, longam in noctem protrahere solebam; fuerat quippe communis opinio in aula discretae taciturnitatis meae, et propterea quamvis secreta scire non quaesiverim, quia quisque libere loquebatur coram me, pauca contingebant, quae ad meam notitiam non pervenissent. Inania haec apparent, et vix digna ut recenseantur, sed judicia tua de me consideranti et misericordias tuas referenti nefas foret omittere. Hactenus enim confitebar tibi et, quidquid scribebam, renovabat dolorem factorumque meorum detestationem; sed a quo tempore peracta pascali confessione mea in eremitorio PP. Camaldulensium renatus fui, cum jucunditate enarrandae sunt mihi gratiae tuae et status infantiae meae spiritualis. Tu scis enim e dulcedo animae meae, quod haec non memorem, nec refero tanquam mea sed tanquam opera infinitae misericordiae tuae, quae subticere nequeo, absque ingratitudine haec attente considerata, demonstrant catenam illam, qua filios saeculi e coeno in quo voluntatur extrahis, ordinaria, naturalia, simplicia haec apparent oculis carneis, sed dum spiritualibus circumspecta et coram te in humilitate trutinata fuerint, evadunt in mysteria praedestinationis tuae, quae revelare depraedicare intentionis est; meae vere enim ut infantem alliciebas me ad te nec ego sentiebam suavem illam escam quam porrigebas mihi, aut potius catenam qua trahebas me, sed quia sequebar te propius accedebam ad te; sinebam quippe duci me, lac mihi tunc fuerat SS. corpus tuum, quo me quolibet octiduo confortabas; vita aulica otiosa sane mihi non difficile apparebat ciborum jam hunc jam illum seponere, quamprimum enim fortem illum armatum peccatum impuritatis quod possidebat cor meum, repulisti. Caetera non videbantur dominari mihi a quibus tamen non statim violenter separasti me, sed sensim sine sensu desuefecisti; nosti enim debilitatem meam imparem fuisse et incapacem actuum heroicorum, dissolvebas proinde vincula quibus mundus me tenebat, et rumpebas unum post alterum me inscio, et propterea magis ac magis desiderabam solitudinem in qua imminentia festa Pentecostes transigere statueram, et adventum illorum impatienter desiderabam. Multum mihi proderat lectio libelli spiritualis quem mihi legendum dederat P. Major Camaldulensium de Importantia Salutis, qui impedimenta ejus

repraesentabat et ducebat me in cognitionem meimet ipsius, inspirabat demonstrabatque mihi difficultates, quibus conversatio vitaque mundana est obnoxia et eae evadebant mihi sensibiles, sic mutabar ego intrinsece me ignorante, de caetero venationes frequentabam pro more solito cum Rege et Principibus, et quia foliorum lusum ex integro reliqueram in lusu tabulae trusilis globorum eburneorum aliquot horas diei cum exili dispendio pecuniae dispendebam et inter haec effluxit tempus primi itineris Marliani. Rex quippe pro more solito ad peragenda festa Pentecostalia Versalias reversus est et ego in solitudinem secessi. Sic quatriduum festorum absque omni taedio solitudinis me peragere fecisti o bonitas infinita in exercitiis spiritualibus debilitati meae proportionatis referebam vitam meam mundanam Confessario, qui caritate vere a te ei inspirata indulgebat debilitati meae nec me violentabat, videbat quippe desiderium solitudinis in me per reparationes quas in domuncula mea fieri curaveram, quam tota hyeme habitandam mihi proposueram, festis proinde per gratiam tuam Domine in gratia tua peractis ad aulam Regis reversus post Dominicam SS. Trinitatis Marlium repetivimus, ubi processionem festi Corporis filii tui cum octava piissimus Rex in parochiali templo peregit, quibus ego non ex negligentia non assistebam sed pro evitandis inconvenientiis actuum publicorum statui meo non convenientium devotionem meam in Capella Regis peragebam. Praeter ordinarias aetatis gravescentis incommoditates extraordinariis videbatur Rex aggravari et ad genua pro more solito provolvi volentem cecidisse semel mihi relatum est, et vere reducem e templo comitatus saepe conquerebatur de nimio calore quem jam tunc febrilem fuisse postea rescivimus decubuit octava nifallor peracta Rex triduo et acutis colicae doloribus et haec infirmitas nimisquam violenta medicina purgativa non sine difficultate sublata aetate jam aliunde deficiens humidum radicale nimium exsiccaverat, et merasmum senilem acceleravit aegrotante Rege turbabatur pro more diversis solicitudinibus aula, quisque suas sequebatur passiones et respiciebat obicem, ego vere illum parentis loco habens filii sentiebam affectus, sed morbum ejus non diu duraturum ex robusto temperamento ejus sperabam, sed

tamen ignorantiam medicorum metuebam, qui eum copiosis potionibus Galenicis cruciare et naturam violentare consueverant. Triduo uti recensui elapso adhuc decumbens Rex se aulae spectandum praebuit et sequenti die quamvis valde debilis et praeter morem brachiis stabuli praefecti fulcitus prodire incoepit pro more consueto sellae rotis superimpositae et trusili insidebat in horto deambulans Romaque tunc adlatas insignis operis statuas collocandas ordinabat et aliquot diebus elapsis equo insidens privatis quoque venationibus et jaculationibus volucrum vacare incoepit, in quibus illum assidue comitari solebam. Brevius fuit hoc iter Marlianum quam praeteritis annis esse consueverat tum ob valedictoriam audientiam quam Rex legato Persico Versaliis dare volebat, tum ob accelerandum iter Fontis Bellaquaei, ubi longiorem protrahere moram volebat, sed omnes hae Principis hominis dispositiones o quam contrarium sortitae sunt eventum! Audientia legato Persico quidem statim post adventum Regis Versalias data, sed ad illam (dolore pedis correptus) vix eggredi potuit et illa finita non amplius nisi in sella gestabatur. Pars medicorum dolores hos podagricos esse dicebant, pars levi apparenti vulneri attribuebat, accessit huic malo lenta quoque febris et faucium tanta siccitas, ut deficiente oris saliva deglutiendi facultas impediretur, non tamen haec tam funestum, prout sortita sunt, praesagiabant eventum et propterea propositi itineris dispositiones non mutabantur, ego quoque a Duce Bourbonio in amoenissimam arcem suam Chantilli invitatus discessi, unde ad Principem Contium in insulam Adami me transiturum appromiseram et inde reversus cum Comite Tolosano Regem octiduo praecedere in fontem Bellaquaeum discedens volebam. Sed aliquot diebus in Chantilli inter venandum peractis dum certiori nuncio relatum fuisset morbum Regis ingravescere relicta venatione Versalias repetii et dum mensae Regiae adstitissem, cum summo dolore observabam optimum Principem escam sibi appositam et avido ore masticatam deglutire nequire et tamen praesente et suadente medico generosissimis vinis pro reparando et calefaciendo stomacho uti. Tanta enim fuit delirantis senis medici primarii imbecillitas et coecitas, ut Regem febri laborare credere noluerit et a Marliana indispositione corpore pulvinaribus tuto ad

quotidianos sudores urgebat quod ipsum posteaquam pedes frigescere animadvertisset repetebatur, et sic debilitabatur humidum radicale, et vino fructuumque libero esu provocabatur bilis fermentatio quae fauces sanguinemque exsiccabat et vulnus pedis quod cancrenatum repertum fuit inflammabat. Iste fuit status morbi ejus de quo reduci mihi benignus Princeps conquerebatur et ego dolore anxiato corde adstabam prandiis ejus querebat cur ex Chantilli quo me discessisse sciverat redierim, sed dicere non audebam valetudinem ejus fuisse in causa, nolebat enim periculosam credi infirmitatem suam et ideo ipsum quoque Comitem Tolosanum dilectum valde filium suum supremum Franciae venationis praefectum ad venandum ire jubebat. Saepius sic haerebant animi inter spem et metum adusque festum Sto Ludovico diem in quo nec quidem solitos matutinos instrumentorum cubiculi Regii concentus deesse volebat aulicarum consuetudinem tenacissimus Rex. Sed hae apparentes melioris sanitatis spes omnes recesserunt horis pomeridianis quibus ad vesperum tendentibus viaticum Sanctissimi corporis tui ipsemet expetiit et de reconvalescentia ejus conclamatum exstitit. Quid dicam o Domine de tanto et tam funesto spectaculo quod oculis menti auribusque meis repraesentari voluisti in illo moribundi Regis maximi theatro. Quanta sunt et saluti meae quam necessaria quae me per illud docuisti! Vidi non impium sed regem pientissimum et prout in morte apparuit vere Christianissimum exaltatum sicut cedrum Libani ad humanae conditionis redactum angustias et in apice Libani mundanarum dignitatum 76 annorum spatio constitutum corrosis radicibus subversionem minari et ecce prima scena tragoediae. Regum gloriosissimus 71 annis in throno inter opes delicias et potiori ex parte prosperitates, gloriam et adulationes peracto mortis sententiam aequo et firmo animo excipit animae suae sollicitus rebus ejus providet, familiam regiam totam advocari jubet et illi siccis oculis valedicit, de regni officiis tranquille disponit, codicillum testamenti sui conscribit et cancellario scribendum ex parte dictat: ecce secunda scena. Conturbatur Aula e frequentissimo Magnatum ducumque numero composita, quos omnes Rex praeter unum et alterum nasci vidit, educavit, beneficiis cumulavit et

filiorum instar habebat: ecce scena tertia. In tanto aulicorum coetu hi flent, hi rident, alii machinantur, alii de subvertendis dispositionibus regiis consilia conferunt: ecce scena quarta. His accedebat quod vix credibile (ita tamen in illis occasionibus imaginationi dolore confectae repraesentabatur) ipsa ampla aedificia deaurata laquearia amoenosque hortos extremum agente diem conditore suo aliquid lugubre et funestum in se habuisse monstrasse et inspirasse undique concurrebatur et amplae arcis areae plebe de Regis valetudine sollicita repletae fuerant moesto obtusoque murmure resonnabant omnia Delfinus infans quinquennis Principum Principissarumque comitatu ad benedictionem proavi suscipiendam processerat et redeuntium fletus spectantium exciebat lacrymas et ecce scena quinta. Quid dicam de motibus meis internis et sollicitudinibus quae me angebant, praevidebam aegestatem et metuebam et actu inopia laborabam Regium cerarium exhaustum in mutatione gubernii difficulter replendum iri facile poteram imaginari et hae cogitationes accumulabant affectuum meorum erga Regem teneritudinem, visitabam jam hunc jam illum amicorum quorum alii spem de convalescentia Regis alii motum inspirabant, circuibam domus regiae Principissas et Principes omnes familiarissimos mihi et inter illas conversationes quoque novae mihi repraesentabantur scenae igratitudinis cordis humani, sed maximam partem diei transigebam apud quendam amicorum regiis cubiculis vicinissimum ubi intimi amicorum concurrentes in horas de statu Principis et Aulae quae contingebant referebant. Evocabantur undique medici ad consultandum inter quos meus quoque admissus fuit, et ex ejus relatione tanto magis detestabar ignorantiam illorum, qui morbum ingravescere permiserunt et praejudiciis pleni ipsimet inopes consilii aliorum remedia applicare nolebant, quamvis in casibus desperatis constituti. Quapropter triduo in hoc spectaculo peracto posteaquam Regem de omnibus minutissimis quoque rebus disposuisse et jam extremos trahere halitus relatum fuisset, die ipsa Sti Augustini solus ego tribus domesticis comitatus in solitudinem meam Aulae et mundo valedicens recessi, a te o afflictorum solatium, pauperum pater consolationem petiturus nec eam denegasti mihi, projeci in abyssum

providentiae tuae curas meas et tu consolatus et me omnes enim illas ferales tragoediae scenas mira tranquillitas excepit, ibi enim veram illam reperi quietem quam tot regnis et regionibus mari terraque quaesitam nec in statu Principis nec in privatorum conditione nec in Aula faventis amici et patris Regum maximi reperire poteram, sed antequam enarrem misericordias quas operatus es in me ea quae Rege in extremis constituto acta sunt recensebo et ideo quaedam referenda mihi videntur ut magis pateant magnalia tua. Dies fuit Dominica in quam anno illo 1715 Sancti Ludovici festum inciderat quo Rex viaticum petiit et feria IV ego discesseram ab Aula, Rex tamen animam nonnisi sequenti Dominica reddidit tibi creatori suo hinc aliis relicta sunto recensenda ea, quae ad me non pertinent, quamvis enim multa mihi nota sint, quae tunc in abditis et secretioribus Principum et Magnatum recessibus acta fuere, et quae ipsemet Rex forti animo approximantem mortem excipiens, gratia tua illustratus et corroboratus dixit et fecit, enarrabit illa historia temporis quae me non concernunt. In tot enim millium omnis conditionis hominum frequentia quisque vel abjectissimus suum habuit et spectaculum et objectum meum ego recensere statui non alienum hinc praetereo ea quae biduo post obitum Regis in Parlamento Parisiensi circa testamentum Regis mortui et gubernium novi acta fuere per quae clavus regni et regimen Duci Aurelianensi traditus fuerat cui ut debitum civilitatis praestem officium et ab amicis urgebar, et privata mea quae inter hunc Principem et me intercedebat necessitudo et amicitia urgebat me ut ad congratulandum ei novae dignitatis fastigium Versalias repeterem et quamvis renovare dolorem durum mihi fuerit, accessi tamen Aulam triduo post Regis obitum et hoc quoque te volente propterea factum fuit ut ultimo hocce spectaculo mundi vanitatem, mundanorum instabilitatem, hominum ingratitudinem repraesentares mihi. Transivi quippe et quaesivi locum cedri, quem cadentem videram, et non fuit. Corpus Regis adhuc expositum fuit, sed omnis aulicorum et custodum turba Regis quinquennis et Ducis Regentis fores obsessas tenebat, paucos ante dies omnes amplos Versaliae ambitus laquearia cuncta et arcas rauco murmure maestantium repletas deserueram; propemodum

omnia laeta reperi, prout enim antea laetantes quoque vultus suos in tristitiam componere studebant, ita tristantes laetitiam praeseferre et simulare satagebant. Jam enim pridie ante adventum meum Regis testamentariis dispositionibus revelatis et penitus subversis quisque Regentis sectabatur favorem et sapientissimi Regis dispositiones reprobabat. Vix haec vidi recedere statueram et hinc properabam ad videndum Ducem Aurelianensem non dolorem celante vultu sed manifestante cujus fores in tantum obsessae fuerant, ut ad illas perveniendo multos repellere, multis incommodum esse oportuerit. Patuerat porta ad adventum meum et Princeps in secretiori cubiculo suo cum paucis familiariorum suorum agebat, sed dum me ingredientem respexisset accedens illico dolentis cordis mei congratulationem amice recepit, et me pro benevolo suo in me animo bene sperare jussit de continuatione favoris Neo-Regis et amicitia sua. Non mirabar ego laetos vultus spectare adstantium, erant quippe omnes Ducis praesentis confidentissimi, sed cujusdam Magnatis mihi tunc casu vicini ridentem et in facetam adulationem compositum vultum respiciens ferre vix poteram. Erat ille senea decrepitus Regi defuncto coaetaneus qui juventutem suam in deliciis et favoribus Principis explevit ab ipso summam aulae dignitatem cum immensis beneficiis obtinuit, et propterea majori nota dignus videbatur et laetitia ejus ridenti vultu repraesentata adversabatur mihi quia quoddam ingratitudinis signum praeseferre videbatur, nec proinde longas traxi moras in secretioribus et amicorum confidentiorum consilio sed postquam Principissis et Principibus civilitates debitas praestitissem, sumpto levi prandio jam mundanorum vere pertaesus in solitudinem meam avidus redii. O sapientia infinita, lumen luminis mei, adjuva me, ut tibi recenscam omnia quae mihi saepe repraesentasti de funesto hocce spectaculo cujus scenas breviter annotavi et ut praeactae vitae meae mundanae status differentes recapitulans, dilucidem mira providentiae tuae opera per quae me per experientiam docuisti convicisti nihil sub sole esse stabile, nihil permanens, nihil tranquillum, nihil solidum, nihil amore dignum praeter te creatorem et patrem hominis. Consurge adversum me quisquis es deliciorum mundi sectator ex quocunque statu mundano seu princeps, seu auli-

cus, seu philosophus, seu miles, seu politicus et una mecum examina quae ab usu rationis meae recensui, quid est quod me vidisse aut expertum fuisse non reperies, habebis in me originem sat illustrem et in patriae meae historiis celebratam amatam et possessione bonorum completatam, indolem, mores multarum rerum scientiis excultos, habes honestatis mundanae et virtutum moralium sectatorem, amicum fidelem amicitias, aestimationem publicam multo studio opera conciliantem, civem patriam amantem, et libertatis ejus defensorem, coronarum contemptorem, Principem justitiae amantem, thesauros vilipendentem, benefaciendi cupidum a vitiis et publicis scandalis alienum, politicum amorem populi conciliantem et possidentem, adversa aequo animo ferentem, reperies philosophum mutationem status, amissionem throni, paupertatem contemnentem, exilia, persecutiones pericula imperterrito vultu et animo tolerantem, aulicum amicitiam favorem aestimationem Principis possidentem absque invidia honoratum amatum a tota Aula, a nemine offensum et nullius approbatione non gaudentem, quid mundanarum deliciarum mihi defuisse dices in his differentibus statibus? detexi absque fuco lubricos et libidinosos amores meos, lautas epulas, convivia, splendidam Aulam magnitudinem exercituum meorum, amicitias, venationes lusus spectacula magnificentissima, amicas et facetas conversationes, et praeter haec quid restat mundanarum illecebrarum? et tamen in his omnibus nec ipse quietem reperi nec alios reperisse expertus sum. Scio o Creator meus haec me coram te referre, tu quoque nosti haec prolata carere cupiditate laudis et fuco, nec ideo me haec scribere ut lauder, sed ut tu glorificeris, talis enim qualis fui opus tuum fui, talem me videre potuisse a mundo prout recensui non negabo, sed coram te vermem cinerem pulverem sepulchrum dealbatum fuisse jam confessus sum, nunc quoque profiteor ingratum me fuisse gratiis tuis, infidelem dispensatorem talentorum et depositi tui; credo tamen haec recapitulare necesse fuisse et opto ut his sincere prolatis pateat veritas, quam in omnium haec legentium corda transplantare vellem et desiderarem ut videant illi opus tuum misericordiae in me et exemplum mirae et inscrutabilis providentiae tuae, mirentur me in tot ac tam diversis regnis, provinciis et statibus quietem tranquilitatem reperire

non potuisse et illa in solitudine ad quam me compellendo suaviter traxisti hunc absconditum et ineffabilem thesaurum reperisse in te ita ut vere exclamare mihi oporteat o quam suavis es, Domine, te in veritate quaerentibus et repertum gustantibus. Decrevisti o Domine me in cognitionem hujus dulcedinis perducere et ut mundum contemnerem me in ejus iheatro circumvagari tantis annis permiseras et tot ac tam varias personas repraesentare, ut experiantia edocerer quid in singulis sit vanitatis. Ultimam hanc tragoediam mortem Regum maximi repraesentasti mihi, nec profecto quid majus videre potui ad confundendas ideas et erroneas opiniones meas quas de statu et gubernio politico regnorum habueram, adscribebam tn illo nimium ingenio Principis et illud per horum prudentia consilia fulciri et semel in bonum ordinem redactum suapte natura subsistere ac in posteros transmitti posse credideram quid potuit esse sensibilius ad demonstrandam illusionem meam quam repraesentatio Monarchiae Gallicae cujus interiora et secretos machinae motus praevia triennali praxi demonstraveras mihi. Vidi Regem talem qualem mihi imaginari poteram et requisiveram pium, benignum, justum, prudentem, familiarem sine levitate, gravem sine affectatione, magnanimum profundissimo judicio et rerum experientia plus quam scientiis exornatum (quod magnum) jam tunc dum ego illum noveram, adulationis et propriae laudis pertaesum. Hic familiam suam omnem educaverat, ministerium sub tam diuturno regimine pro lubitu formavit et totam Aulam quin imo totum regnum suum nasci vidit, et omnis eminentioris quin imo plerumque et mediocris gradus homines in Aula sua nutriri vidit: his accessit ingens ejus memoria et discretionis ars, quae principi necessarissima est; noscebat de nomine parvos et magnos et unius cujusque patrum et avorum recentem habebat memoriam ita, ut ipsemet testis fuerim in legionum suarum praetorianorum lustris milites gregarios et subalternos officiales, si qui supervivebant a 40 annis, cognovisse et gesta eorum si quae notatu digna fuerant, recensuisse; assiduus in consiliis et ordinis in Aula sua stabiliti observator acerrimus. Tantus Princeps inquam omnia fecisse videbatur mihi quae ego pro imbecillitate ingenii mei optaveram Principes sanguinis arctissimo inter se matri-

monio et sanguinis vinculo conjunctos regebat et continebat ut pater, cum Aulae suae Magnatibus plerumque coaetaneis suis agebat ut amicus, et cum ministris uti dominus; horas consumebat in labore cum illis, diebus ad id destinatis exaudiebat proposita, sed decidere ipsemet volebat, et obedire nec nisi indiscreti et scioli gestorum ejus censores dicere poterunt eum mulierum consiliis et voluntati postremis vitae suae temporibus subjectum fuisse hoc proferens publicae opinioni me contraire optime novi. Sed haec curiosiori et secretiori trutina examinata asserere minime vereor, magna enim mihi cum matronis societatis regiae semper intercesserat necessitudo et familiaritas qua mediante haec mihi patebant. Magistratus omnes, populus et miles Regis imperio et amanter et volenter parebant, aulici et omnes quos memoro quotidianis ferme devincti beneficiis, rerum gerendarum usus et praxis ubique stabilita videbatur in qua omnis gradus homines et dignitarii jure quodammodo haereditario subsistebant et majoribus suis succedentes usum ab infantia discebant his ita dispositis nequid in firmandis status rebus deesset, Rex sapientissimus testamentariam dispositionem suam anno uno ante obitum propria manu conscriptam et anulo suo secreto sigillatam custodiae Parlamenti Parisiensis tradidit et illam nonnisi post mortem suam in frequenti Principum, Ducum et Consiliariorum coetu revelandam et exequendam jussit in qua quidem futurorum praevisione illustrata quam sapiens fuerit ejus dispositio subversione subsecuta rerum calamitas et gubernii confusio satis edocuit. Haec proinde taliter acta fuisse sciens fabulas canere et figmenta enarrare dixissem quemlibet qui mihi contrarios eventus subsecuturos praesagire voluisset sed humanarum rerum vicissitudinem sapientissimas quasque Principum dispositiones inanes instabiles reddere tu o sapientia aeterna in hoc ipso quem recenseo casu demonstrasti mihi, vix enim Rex oculos clausit, Principes unionem nonnisi in mutandam Regis dispositionem converterunt, magistratus spe libertatis et majoris in gubernio authoritatis delusus his consensit, juvenum praevaluere consilia, et qui vivente Rege vitiis et immorigera vita notati arcebantur, Principis lateri adjuncti erexere capita et omnia tam subite mutata videram ut triduo

post mortem Regis vix amplius Aulam noverim familiaribus defuncti Regis se quoque vel torrenti committentibus vel Aulam derelinquentibus. Haec fuere, o bonitas infinita, quae non tantum carneis sed et spiritualibus oculis meis repraesentare voluisti in ingressu solitudinis meae haec fuit scola, in qua majorum nugas negotia vocari didici omnia subsequenter quae evenisse mihi referebantur te illuminante inspirabant mihi mundi contemptum et solitudinis dulcedinem in qua ab ingratorum detrectantium malignantium turba segregatus vivere delectabar primum et a mundanis quoque partim approbabar, partim irridebar, quamvis major horum fuerit numerus, non me angebat illorum enim gravitas authoritas et reputatio plus ponderis habebat coram publico, cujus opinionis de me conceptae conservandae adhuc studiosus fueram, quamvis enim mundum dereliquerim, memet ipsum tamen circumportabam hinc non ille solitarius qui solus, sed qui cum Deo est, sed non ego hoc adhuc sciebam aliquot dierum solitudinis [... puo?] nec mihi diffi debam. Disposui exercitia mea diurna secundum horas officii, quod cum Religiosis in choro recitare statui, et ordinatio mea non displicebat confessario. Octiduo primo peracto advenit me invisendi gratia amicus meus dilectissimus Marechallus Tessé, in cujus familiari amicitia duos postremos annos in Aula transegeram et quia ipse quoque pari mecum dolore de morte Regis tactus fuerat, in biduana conversatione nostra illa quae oculis nostris repraesentabantur Parisiis detestantes de vitae praesentis vanitatibus plurimum immiscebamus sermonibus nostris ille enim me longe prior occupabatur librorum spiritualium lectione et orationibus statutis sed vere uterque infantes fueramus non satis cauti contra nosmet ipsos, credebat ille jam me in solitudine vita et horis regulatis perfectionis eminentem gradum attigisse et ad illum te ita disponente aspirabat plus uterque rerum quae videbamus pertaesi quietem quaerentes quam te, o salus animae, tendebamus ad te sed prius revertebamur ad nos, te aspiciebamus sed nosmet ipsos respiciebamus et sic lente ibamus ad te, quia multum commorabamur nobiscum. Videbam cum summa consolatione dispositiones ejus et quia me saepe se invisurum appromiserat, destinavi ei cubicellum quod mihi supererat majorem enim habue-

ram familiam quam habere desiderassem sed ab adolescentia sua mihi adstrictos et fideles Nobiles Hungaros dimittere nec ego poteram, nec illi me deserere volebant, quorum omnium tu, o bonitas infinita, ita disposueras animos ut eorum compositi mores et praecipue unius illorum (de quo infra plus proferendi dabitur occasio) exemplaris conversio consolationi essent mihi. Mense Septembri inter primarum mutationum Aulae motus peracto, posteaquam Regi defuncto pro more regio parentotum fuisset, Comes Tolosanus consueta sua itinera Rambullietum qualibet septimana reassumpsit quibus pro more et necessitudine quae inter ipsum et me intercedebat invitatus lubens aderam, amor enim ille proprius persuadebat mihi exercitiis violentioribus asueti corporis sanitatem subita quiete alterandum iri et huic motivo consentiebat status et vocationis meae ratio, quae me semper nutui tuo Domine promptum esse jubebat et sanitatem colere suaviter persuadebat, proinde omnis septimanae triduum in Rambulliet in venationibus, residuum in domuncula mea transigebam. Non videbantur mihi periculosae hae conversationes, in quibus libertas se a caeterorum coetu abstrahendi dabatur maxima propterea alii venationibus, alii lautis epulis et amicis in girum compotationibus alii foliorum ac variis lusibus, alii lectioni in selecta ad id instituta bibliotheca vacare solebat. Hinc ego quoque preces horarias et spirituales lectiones non negligebam et ad missam mihi celebrandam destinatus Capellanus jussa mea exspectabat, non tamen propterea statuere praesumam me non plus temporis quam debuissem in his dispendisse vel maxime primo anno, sed tot annorum spatio in luto et faecibus volutare asuetus quotidianos pulveres quibus conspereabar vel non videbam, vel non curabam, quamvis enim volenter te non offendebam vere non fueram puritatis conscientiae meae sat studiosus conservator et custos, parce igitur Domine mihi ignorantias et occulta mea vel libera me e captivitate corporis hujus, et si mihi dare dignatus es velle servire tibi in simplicitate et paritate cordis fac me effectuare posse quod desidero, quotidiana enim me docet experientia quam sim impurus in conspectu tuo etiam tunc, dum nullius conscius sum. Tranquillam habuisse conscientiam recordor in ingressu solitudinis et quietam ducebam vitam

posteaquam actualem quam tunc patiebar indigentiam curae tuae commisissem. Sed brevi post consolatum toto biennio in illo mediocritatis statu tenere dignatus es quod nec mihi nec meis quid defuerit, quamvis magna fuerit quorundam ex meis inquietudo qui me ab aula separatum et propria non satis curantem oblivioni traditum iri metuebant. Inter hos fuit nobilis quidam juvenis ex optima et domui meae haereditarie dicta familia oriundus, quem a prima adolescentia mihi a parentibus suis traditum, educaveram et plus quam decuisset dilexi exercitiorum discendorum causa separatus a me vivebat ille Parisiis cum caeteris Nobilibus Gallis Aulae meae et aliquot ante mortem Regis hebdomadis licentia petita discesserat cum amicis suis in Campaniam, unde circa illa quae refero tempora redux dum genus vitae meae institutum intellexisset et proprio motu et caeterorum dictis perculsus quia me accedere absque petita facultate omnibus meis absentibus inhibueram, licentia petita et obtenta advenit sperans se persuasurum ut in domo Parisiis elocata pro ordinario manens Aulam plus quam solitudinem frequentarem, fuit ille non sceleratae, sed mundanae vitae deditus et a te non tantum his sed et professione sectae Calvinianae separatus, et in ingressu solitudinis meae ludicrum sibi faciebat spectaculum ex habitu Religiosorum et vitae nostrae ordine, sed tu o misericordia longe alio ducebas eum, quam ille volebat, casu quippe effectum fuisse quis credere non posset me illo ipso tempore transivisse per cubiculum in quo ille actu cum alio Aulae meae familiari vitae vere Christianae colloquia de vitae mundanae brevitate et miseriis miscebat, quibus me lubens adjungens quaedam mihi suggerebas proferenda quae ad cor ejus quoque penetrare facere dignatus es, unde in hac dispositione ingressus Ecclesiam curiositatis gratia ad videndam professionem cujusdam Religiosi adstitit exhortationi Patris Majoris hac occasione pronunciatae et felici illo gratiae telo compunctus ac subito ad te conversus petiit a te ut quid ab ipso velis edoceres. Redux ipsa die Parisios quiescere nequivit donec epheborum meorum tunc instructorem et Sacellanum non conveniret a quo de erroribus sectae suae edoctus ac doctrina fidei et religionis nostrae instructus post aliquot septimanarum spatium me nihil simile

exspectantem accessit et in solitudinem meam venire enixe petiit ut erroribus suis renuncians poenitentiam ageret. Tu scrutator cordium solus nosti quantum meum fuerit gaudium de conversione ejus, gratulabar quippe eum quem una mecum in viis iniquitatis et peccati currere vidi poenitentiae habiturum socium, fuit hoc opus gratiae tuae memorativum, fuit exemplaris abrenunciatio ejus die Epiphaniae ejusdem anni in templo P. P. inter manus Sacellani mei praefati et residua vita quoque ejus toto tempore quo in solitudine commorabar aedificationi meae et ipsorummet Religiosorum profuit. Confirma Domine in eo quod operatus es et non permittas cadere in laqueum, ex quo extraxisti eum, ne sit inane in eo opus primae gratiae tuae da illi cor docile ad refrenandas pueriles praesumptiones et diffidentiam suimet ipsius ut peccantem me secutus ad usque finem sequatur poenitentem et perveniat ad te. Breviter recenseo quatuor mensium primorum eventus quorum cursu semper magis ac magis confirmabas me in amore solitudinis et scrutanda conscientia quam aliunde sat tranquillam dum semel pro solito in Rambuillet inter venandum constitutus fuissem turbare voluisti talem actum meum praeteritorum octo vel novem annorum reducens in memoriam, quem peccaminosum fuisse nesciens nunquam confessus fueram, quem tibi sub initium libri hujus secundi recensui quo attentius consideravi casum eo magis anxiabar et domum reverti accelerans consului confessarium confessus sum, sed fac ut tota doleam ac poeniteam vita, in cujus memoriam tu nosti qualem hebdomadalem et diurnam devotionem suscepi horrere me feceras peccatum tanto tempore in abditis meis latens, et hoc casu edoctus illico ad totius vitae meae seriam trutinam ad generalem confessionem peragendam me accinxi qua in festis natalibus filii tui peracta, me integra et perfecta quiete remunerare dignatus es. Hic inchoavit vera illa solitudinis dulcedo in qua homo humana contemnens desiderio bene vivendi et in conspectu Dei ambulandi accenditur. Lectiones spirituales solitae orationis et piorum exercitiorum horarum una succedit alterae; dies rapido labuntur cursu, et quo plus potantur plus sitiuntur dulcedines tuae. Hae mihi reddebant dietim amariores mundanorum conversationes et ipsas venationes, quibus a juventute

potissimum delectabar; toto sacro adventus et quadragesimae temporibus me abstrahebam ab illis, de caetero ex medici consilio et experimentali necessitate bis per mensem frequentaveram illas cum Comite Tolosano aut Duce Bourbonio. Quid dicam tibi, o Domine, de primo solitudinis meae anno in quo ejus socium per gratiam tuam nactus sum in Marechallo Tessé, qui domunculam mihi vicinam demortuis locatoribus elocatam invisere solebat, quo saepius poterat et mutua familiarique conversatione fruebamur; de caetero tu scis Domine melius me quae operatus fueris in me. Scio ego et confiteor me talem non fuisse qualem esse optassem fors et potuissem, si gratiis tuis usus fuissem, sed parce o Domine! pater misericordiae fragilitatibus negligentiis et imperfectionibus meis! novi quippe radicem illam concupiscentiae inseparabilem fuisse a me et adhuc subsistere in me. Quid possum sine te praeter malum quod semper facio, dum quid propriis viribus ago, quod vero tibi conjunctus facio? quid opus est enarrare tibi, cum illa non mea sint sed tua. Hoc solum igitur mihi restat recensere quae propositioni meae deserviunt: laudare nempe te, et notas facere misericordias tuas, denique enarrare dulcedinem possidentium te; sed numquid eo hoc praestare potero? non profecto, nequit enim calamus nequit lingua exprimere sensum cordis te amantis et a te inhabitati. Fabulae videbuntur, quae dico. Haec aliquando cum spiritu mundi legentibus, qui vero te illuminante haec perpendent melius, quae dicere possem, sentient, quam ego describere valerem. O amor, o dulcedo cordium, quid tibi retribuam pro omnibus quae retribuisti mihi? totum quod scribo, quod refero, ducit me in cognitionem immensitatis debiti mei et dum redeo ad me, nihil nisi nihilum deprehendo in me, quod me quotidiana docet experientia. Tu scis o Domine, quod vellem propius accedere ad te; sed nequeo nisi traxeris me, non permitte deficere me in via vellem inquam ingredi in caliginem tuam sed hac gratia indignum me esse novi sed qui tanta ac tam magna fecisti pro me quid est quod non ausim sperare a te qui aliunde omnia quae mihi praestitisti ingrato indigno praestitisti, continua igitur in me misericordiam tuam non propter me sed propter temet ipsum, fac me conjungi tecum arcto illo vinculo, sed hoc ipsum non me desiderare nisi in mensura voluntatis

tuae ne ambulem in mirabilibus supermee. Recordaris melius me quam dulcem vitam me ducere feceras secundo solitudinis meae anno in quo jam de illis quae me tantis annis vitae meae latebant per gratiam tuam continuatis librorum lectionibus instructum tendentem ad te propius elevabas. Benedicaris lauderis Domine ab omnibus Sanctis elutis et creaturis tuis pro tantis beneficiis quae quia ego sufficienter enarrare nequeo fac ad minimum ut intendam, et pro debilitate mea exequar in mensura in qua me ad id adjuvare dignaberis. Status meus conjugalis, obligatio principis erga principatum meum semper quidem praesens erat mihi, sed circa hunc et illum dispositiones providentiae tuae in patientia exspectaveram. Angebat me saepe paupertas et miseria uxoris meae quae in Varsovia sumptuum continua laborabat inopia et quia me in Gallia splendide vivere Regi gratum fuisse publica ac in multis erronea fama subaudiverat, miserias suas incuriae meae attribuens frequentibus aggravabat querelis quibus de toto sublevandis ipsemet nihil superflui habens impar fueram quia illa quoque sibi pro tenuitate possibilitatis meae administrata ducente magis generositate sibi innata quam necessitate dispensabat, his accedebant justae praevisiones meae quae de statu principatus mei faciebam tu nosti Domine quod non ambiebam illum sed persuasus semper fui me illi subministrata a te occasione eliberandi illum deesse sana conscientia et salvo juramento Statibus praestito non posse. Ejus proinde causa postquam tibi statum animae et conscientiae meae Domine a tempore commorationis meae in Gallia descripsissem regredior ad connotanda ea quae statum meum principis concernebant, ut ad filum eventuum haec concernentium reassumam.

Adhuc ego Gedani morabar dum Ultrajectensis negociatio circa pacem generalem inchoata fuerat, quam quidem nullo modo sine inclusione mei conclusurum Rex Galliae per literas suas saepe promiserat, quapropter inchoatione ejus mihi notificata ego quoque hominem meum in Hollandia et Anglia interessis meis invigilare jusseram, prout haec amplius patent ex literis, responsis et actis sed more Principum ordinario postquam his per bellum finitum gravis et is necessarius, alterisabilis esse cessassem promissiones mihi a Regina Angliae et

Statibus Generalibus factae de consensu inclusionem meam praestando speciose eludebantur dicebant et quidem juste unius et alterius harum potentiarum ministri ut mea per ministros Regis Galliae proponi facerem, conveniens enim non esse ut illi Colligati Caesaris existentes primi causam meam assumerent, sed semel per Galliam in medium allatam lubenter continuaturos, aula Gallica non mihi hoc officium denegabat quin negotiorum meorum se uti propriorum curam habituram appromittere continuabat Rex tempore suo, oportere enim ut prius graviora componantur, unione enim et pace cum Anglis et Hollandis semel coalescente, faciliorem aurem praebiturum Caesarem ad caetera colligatis suis destitutus. Cum ego in Galliam advenissem jam secreta cum Regina Anglia pacta conclusa fuere Hollandi adhuc cum Caesare tergiversabantur institi dum ad aulam pervenissem, sed quia spes pacis cum Imperatore dietim evanescebant, ipsa rei natura mea negotia seponere praestabat, tandem solemnis pax conclusa est et Rex ejus notitiam ipsa Paschatis die recepit. Tempus Caesari a paciscentibus datum fuerat ad acceptanda conclusa, sed quia sibi consona non videbantur, revocatis legatis partes ad continuandum bellum sese acciverunt et imminente aestate Gallicus exercitus Imperatoris robori plus dimidio superior Landauviam ac Friburgum celeberrima Germaniae fortalitia expugnavit. Non exiguam mihi praeparaverant spem tam felices successus, tanta enim Gallicorum armorum superioritate ad pacem cogendum iri Caesarem ex naturali et evidenti rerum cursu credebam. Sed hic quoque fefellit se de futuris disponere volens prudentia humana — Friburgo recepto Marechallus de Villar et Princeps Eugenius Sabaudiae Gallici et Caesarei exercitus imperatores ad amica condescendere colloquia, quae secretam inter illos negociationem Rastadii inehoavere et perfecere absque ulla solemnitate et formalitate negociationis. Brevibus refera ea quae aulae et Europae universae mira et impenetrabilia fuere silentium de illis quae agebantur magnum servabatur in aula, de instituendo cum formalitatibus usitatis tractatu agi videbatur inter familiares Rastadiensas congressus et epulas, dum inopinato aulae nuncio pacis conclusae fama Rege Versalii commorante allata fuit. Dolore tum pedum correptus ego in

Clagni decubueram sed paucis postmodum diebus usu illorum restitutus Regem ad privatum colloquium adire petii non ut ei de non servatis mihi promissis conquerar (sciveram enim principem ad iniquas et rebus suis propriis praejudiciosas conditiones condescendere seu voluisse, seu debuisse) sed ut exposito illi Dominorum ac Magnatum adhuc in Polonia in fidelitate mea exulantium conjugisque meae ac proprio statu de communi subsistendi medio provideatur, petii. Respondit mihi Rex benigne se omnia pro me quae potuit fecisse. sed quae voluit effectuare nequiens susceptam mei meorumque curam neutiquam intermissurum. Incerta proferrem si genuinam pacis hujus subitae causam referre conarer, potest illa sana ratione attribui defectui nervi bellici. sed quia aditus in Imperium Friburgo capto patebat, hanc inopiam sublevare facile potuisset robore superior Regis exercitus. Quapropter hac ratione seposita semper potius consensum praebui opinioni Veterani cujusdam aulici mihi amicissimi et in tota Aula expertae et multis encomiis celebratae et exemplis probatae probitatis viri qui juvenis ephoeborum Regiorum numero adscriptus confidentiam Principis demeruerat et in rebus ejus privatis ac secretioribus applicatus genium Principis noverat. Praevidit praedixitque ille longe antequam facta fuisset pacem etiam cum praejudicio rerum futuram quam Rex conscientiae suae debere persuasus fuerat. ex cujus dictamine, pacem quoque Rysvicensem fecisse asserebat. Verum est potiorem consilii partem huic rei contrariam fuisse et rationes contrarias bello nonnisi suprema voluntas effecit graviores. Ego tunc et subsequenter quoque verbis et scriptis non tam rem quam ejus agendi modalitatem quamvis irrito conatu oppugnavi, revocabam retroactorum tractatuum memoriam, in quibus Rex conservandae libertatis Statuum Imperii Germanici studiosus nunquam sine congressu publico Principum interessatorum rem gesserat in tam frequenti ministrorum coetu proferebantur omnium gravamina et querelae privatae, quibus quisque seu a potentia domus Austriacae seu a vicino suo aggravabatur, quas plerumque legati Regis seu pro seu contra agendas assumere solebant et earum sapienti moderamine ministros contrarios jam stringebant jam illis faventes in suam impellebant sententiam, unde effectum saepius, quod

hinc jurium hinc pagorum restitutione procurata aut promissa corporis Germanici contra se uniti vinculum Rex dissolverit et sic domum Austriacam libertate illorum conservata coarctaverit ac aliis praestitorum beneficiorum loco arces fortalitia ac districtus in sua possessione retinuerit Gallia. Demonstrabam huic agendi modo oppositum detrimentum et perniciosas sequelas futurum, nempe ut Electores et Principes Imperii in publicos tractatus non admissi, in Gallia habitam confidentiam si semel amiserint, protectore carentes Imperatoris favorem praestandis servitiis demereri studebunt, metu potentiae continebuntur in unione et sic corpus Germanici Imperii capitis sui nolens volens semper sequetur sententiam. Sed surdis ego haec narrabam, voluisti quippe Deus secundum judicium arcanorum consiliorum tuorum, ut haec sic fierent ut facta sunt, ego tunc mundana et temporaria sectatus his plurimum angebar nimium crescere videns Austriacam potentiam praeterea statistam politicum agens summamque prudentiae in praevisione futurorum plurimum attribuens decreveram res Europeas maturiori examini subjicere, quid ex earum situatione de obtinendo Principatu meo spei supermaneret. Gloriosam pacem concluserat Caesar Rastadii, quam postmodum inaudito adhuc exemplo obtenta plena facultate a dieta Imperii Ratisbonensi gloriosius ratificavit . . . . aquisitis amplis in Italia regnis et provinciis retenta Flandria subjecto Imperio nihil gloriae suae deesse videbatur mihi, quamvis Rex Hispaniae nulla pace pacta inimicus ejus permanserit, haec potentia adhuc tunc pro inermi ingentis Monarchiae supermanenti umbra et memoria respiciebatur et aliunde maribus divisa nec Imperatori, nec Imperator illi nocere poterat et quod majus est, instabile ac segne ejus gubernium vix quid ab ea sperandum unquam reliquerat Propterea Imperator undique potens undique paccatus videbatur, sed herede masculo carens apparebat mihi secretiores Aulae ejus convenientias requirere, ut Principum Imperii animos arceret ab electione Regis Romanorum et mutua inter se divisione, ad quod opus effectuandum credebam mihi opus esse non tantum ut numerosum suum retineret exercitum, sed et ut illum, quos pace pacta Imperii Principes dimissuri essent, conscriberet, cujus numerus ne aggrav*atio* sit hereditariis provinciis suis et re otio

torperet. jam tunc persuasi mihi bello illum Turcam aggressurum. qui jam circa illud tempus Melitae Venetisque et toti Italiae bellum minabatur. quod dum subsequenti pacem anno inchoatum fuit, ex instigatione Ministrorum Viennensium factum fuisse autumabam, praevidere facile fuit praedictis Ministris Viennensis Aulae Venetos bello impares futuros. Papam cum tota Italia Turcarum sola fama perterritum ad suppetias a se petendas compulsum iri. denique succosum se tanto pretio contributionum venalem facturos, quo ad illum manutenendum egebant. Quapropter his intra me in futura conclusis neminem aptiorem reperi Joanne Papaio tunc in Polonia se sat misere sustentante ad exequendas intentiones meas non obstante gravi errore. quem prioribus annis in Moscoviticae pacis exoperationem missus commiserat. Instruxi ergo eum anno bellum Turcicum cum Venetis praecedente et jussi. ut sub praetextu quaerendi virtus in Valachiam transiret. futurum quippe quod bellum exorietur inter Germanos et Turcas illosque his multa horum clade triumphaturos et consilii inopes futuros. quo casu eveniente jussi. ut nomine tantummodo suo personam meam in mentem Principis Valachiae revocaret declarando se praevidere Turcas nunquam sine regulato et disciplinato exercitu Germanis resistere posse. nec hunc aliter aquisituros nisi per medium cujusdam Christiani principis. cui cum caeteris intercederet notitia et necessitudo, qua mediante quosdam illorum. quibus potentia Austriaca metuenda est. in societatem belli attrahere posset, sed quia illorum nemo ex situ naturali rerum suarum plus conjunctus esse potest Transylvaniae principe, ideo suaderet. ut Princeps sibi meritum faceret eum Portae insinuando. quod si Valachiae principi projectum hoc placeret. faciat sibi committi negotium et se expedire ad Portam non meo sed dicti principis nomine. ad quem gradum dum negotia pervenerint mihi perscribet. et ego efficere posse sperabam. ut regem Galliae in mediationem inter me et Turcarum imperatorem ad tractatum concludendum ingererem. Hic fuit scopus intentionum mearum, quarum eventum tibi commissum Domine in patientia exspectabam et Viennensis Aulae motibus attentus talem quam recensui vitam ducebam adusque mortem Regis. Complacabam mihi plurimum resciens Imperatorem longe a dimittendo

milite post pacem pactam suum supplementis augere ac novum conscribere, naves super Danubium majores construere, haec enim confirmabant opinionem meam et spem augebant, quam cum idea mea praerecensita Magnatibus et Generalibus Hungaris Comitibus Bercséni, Forgács et Eszterházi pro majori secreto tenendo celaveram non ex diffidentia sed pro meliori esse· Annus integer elapsus fuerat, antequam quid aliud de hac commissa Papaio provincia rescivissem, praeterquam quod receptis mandatis se itineri in Valachiam accinxerit. Ego quoque interea tibi per gratiam tuam, qua me attraxisti, vicinior factus o salus animae meae sat obiter recordabar horum, nec amplius desiderabam, sed pro semine in terram incertae ubertatis projecto reputabam. Primis enim praevisionibus meis multa opponebantur obstacula, quae me non latebant et quae nonnisi angustiis Turcarum et Germanorum superioritate poterant applanari, sed de illis adhuc non credebam agi, siquidem homo meus ad tractandum instructus non fuit. Qualiter tamen haec evenerunt, recensebo tibi, non prouti mihi relata sunt, haec enim genuina fuisse ex omni parte dubito, sed prout ego ex generali rerum scientia et personarum notione relatis combinatis cognovi et credo. Posteaquam Turca bellum anno 1716 inchoasset contra Venetos facili labore et exiguo dispendio recepto Moreae regno, supremus Vezirius Ali Passa gloria et successus felicitate elatus illud Imperatori quoque indicendum sequenti anno statuit; jam tunc Papaius Bucheresti Valachiae Principis residentia fuerat, sed Principi tunc regnanti nihil proposuerat, erat enim Germanis favens et fidelibus meis infensus. Sed ad finem anni 1716 ex Principatu amotus; successit illi Nicolaus Maurocordati, celebris Portae interpretis filius, linguarum gnarus et multis scientiis ornatus, apud quem se Papaius statim non privato suo nomine, sed ingenti praesumptione ductus fictis credentionalibus literis cum ablegati caractere insinuavit et gratanter receptus fuit. Honori duxit sibi Princeps, rerum et intentionum Portae gnarus, insinuationem factam, et propositiones, praeter mentem et scitum meum nomine meo factas, retulit illas Vezirio, jam tunc bellum contra Germanos molienti, a quo secundum morem Portae ad confinarium Passam Hotinensem relegatus, et Principi Valachiae

injunctum, ut per literas suas Generales meos in Polonia degentes invitaret sub spe proximi adventus mei. Papaius proinde, adjuncto sibi Francisco Horvát, tunc in Valachia latente, qui a plurimis annis Tökölii servitio addictus, postremis belli Hungarici annis Residentis mei ad Portam munere fungebatur, secundum mandatum Portae Hotinium disuadens non tantum praesumptionem suam de me absque ampliori instructione nomine meo agere continuavit, sed et Comiti Bercsénio scripsit, se a me ad Portam expeditum legatum fuisse, negotia mea vel optime exoperasse, ac proinde suadere, ut ad invitationem Portae cum caeteris Generalibus veniat, cum certus sit me quoque brevi adventurum. Praecesserunt hanc invitationem ejus Principis Moldaviae ad Comitem Bercsénium et mandato Portae exaratae literae, ad quas ille per Secretarium meum bellicum, ad latus suum existentem, Stephanum Ebeczkium responderat, et hunc Papaius inopinate in Jassi reperit, et inde suspicionem concepit, Bercsénium sua particularia in praejudicium meum tractare negotia, nec convenire mihi et imaginario honori ficti caracteris sui, ut alius praeter ipsum quid negotiorum tractet, quapropter secum duxit Ebeczkium Hotinum, ubi demonstravit illi Bassa Turcarum Imperatoris ad me scriptas literas invitiatorias, stilo tam arroganti et absque necessariis assecurationibus scriptas, ut ad illas non me moturum facile sibi persuaserit, et dum de illis cum Passa ageret, Generales quoque Comites Bercsénius, Forgács et Csáki advenerunt; Eszterházium, proprio suo consilio et magnis imaginationibus suis ductum, jam Hotinii repererat. Confusa apparebant et praecipitata haec negotia Comiti Bercsénio, sed ad quaestiones ejus Papaius arroganter respondebat, et siquidem illa, quae agebat, ex praesumptione facere imaginari non poterat, de antiqua mea erga illum confidentia (cum nihil ipsi de Papaio putative commissis scripserim) non imprudenter suspicatus est. Gessit tamen gerenda prudenti consilio, sed se Papaio quoque (qui rerum omnium moderator esse volebat) semper magis ac magis suspectum reddidit vel maxime, dum impugnasset discessum Papaii cum literis Imperatoris Turcarum ad me, credens, quod Gallia in pace cum Imperatore existente res cum majori cautela debeant tractari, ne mihi no-

ceant. Dum porro haec Hotinii agebantur, Vezirius Ali Passa praecipitato consilio Savum ad Belgradum trajecit, Petrivaradinum obsidione cincturus, et pauco post tempore caesus ipse quoque in praelio occubuit, et in locum ipsius Chalil Passa successit, qui tunc Bostangiorum Passa, Sultano gratus, fuerat, homo cordatus, sed non bellum spirans, moderati ingenii, humanus et ad consilia recipienda magis, quam ad danda idoneus. Ille proinde ex informationibus Passae Hotinensis, susceptis negotiis, Papaium cum sibi a semet ipso adjuncto Francisco Horvát, Turcicae linguae vel optime gnaro, ad se accersivit, et utrumque in castris suis ad Belgradum tanquam legatos meos omni honore excepit, quamvis nullas fidei literas a me praesentaverint, et cum illis de concinnandis ad me Sultani invitatoriis literis frequentia per deputatos ministros Portae agebat consilia, ad usque adventum suum Adrianopolim, ubi tandem illarum expeditio ultimum finem sortita est, et Papaius his omnibus ad mentem suam conclusis expeditus fuit. Post discessum ejus Comes Bercsenius quoque, ad Portam vocatus, diversas de contrahendo et erigendo exercitu sub nomine meo et de bello gerendo faciebat propositiones, quibus Porta assensit, et ad effectuanda proposita non exiguam summam pecuniae dispositioni ejus submisit; sed qualiter haec acta fuere, me inscio, non meum est referre, cum illa adveniens nunquam approbanda esse censui; pleraque haec agebantur sub nomine meo, caeteris Generalibus Comitibus Forgács, Eszterházi et Csáki dissentientibus; quisque enim suo modo agere volebat, et militiam conscribere, bellum gerere et sic suspicionibus, dissensionibus mutuisque accusationibus repleta fuere omnia, quae funestum profecto finem sortita fuissent, si te disponente, Domine, me invito, in Turcicum imperium ductus non fuissem.

CONTINUATIO CONFESSIONIS AB ANNO 1717, AETATIS 41.

Liber 3-ius.

Inchoata in Jeniku, 9. Novembris 1718.

Saepe dixi, Domine, nec dicere cessabo magna et mirabilia esse, quae misericordia tua operata est in me, seu statum meum spiritualem seu temporalem considerem. Duxisti me in cognitionem horum in solitudine, in qua quanta quiete, tranquillitate cumulasti dona tua enarrare nequeo; sed tempus, in quo mutationem status mei decreveras, appropinquaverat, et voluisti per novas et adhuc mihi incognitas humiliationis et patientiae vias ducere me. Semen, quod quatuor ante annos me seminasse scripsi, quomodo excrevit, recensui, metendum mihi erat in tristitia et lacrymis, quod seminavi in laetitia vitae mundanae, et aberrans in cogitationibus meis, deviansque a viis tuis. Annus labebatur 1716, sub cujus cursu quasdam literas a Papaio receperam, in quibus de successu negotii sibi commissi me informaverat, sed quia modus, quo procedebat, contrarius fuit nimis intentionibus meis, rescripta ejus, quorum brevem mentionem fecerat, reprobabam et tandem mense Octobri ejusdem anni instructionem illi misi, in qua ille et Franciscus Horvát simul aut sejunctim authorabantur ad concludendum tractatum, sine quo, rite et ad normam ejus concluso, me nec pedem moturum cathegorice resolveram, et quia paulo ante hanc expeditionem nova Papaii epistola informabar, jam illum in procinctu esse, iter Adrianopolim assumere, ut receptis Sultani mihi scriptis honorificentissimis literis eas ad me transferret, illum non tantum ab itinere inhibui, sed ut, si meos ordines in itinere reciperet quoque, redire serio jussi; his non contentus, oratori quoque Gallico et scripsi et ab Aula,

ut scribatur, procuravi, ut legatum, quem Sultanus pro me mittendum destinaverat, una cum literis retineri faciat, donec meus tractatus ad mentem expeditae instructionis per ablegatos meos concludatur. Praesentes quippe erant mihi obligationes meae et praecautiones, quibus praecavendum mihi fuerat, ne medicina, quam ad medenda Principatus mei mala adhibere volebam, pejor morbo evadat, et ipsismet Christianitatis regulis contrarietur. Nec huic, nec genio meo conveniebat cum Turcico exercitu bellum gerere, sed nervum pecuniarium impetrare, quo mediante proprium Christianum conducerem militem, mea opera et industria armandum et instruendum. Praecavendum erat praeterea, ne quid recuperandarum bello provinciarum aut arcium sibi Turca appropriare possit, aut libertates Hungariae aut Transylvaniae laedere; et quia ad haec notabilis summa pecuniae requirebatur, quietem solitudinis deserere nolebam absque praevia certitudine petitorum, in conformitate obligationum mearum factarum. Haec mihi sana dictabat ratio, et legibus tuis conformis prudentia; sed quam differenter evenerunt, anni subsequentis 1717 acta demonstrabunt, quae antequam enarrare inchoem, largire obsecro gratiam tuam, ut tibi dignas gratias referre valeam pro spiritualibus consolationibus et alimoniis animae meae, quibus illam hoc anno nutrire dignatus es. Ineffabiles fuere dulcedines, quas communicasti mihi, pro quibus, quia ineffabiles tibi debentur gratiae et laudes, suscipe eas, quas Ecclesiae tuae triumphantis et militantis universitas offert tibi per Jesum Christum filium tuum, quia bona et gratias tuas mihi praestitas sanguine suo demeruit mihi. Confirma, o misericordia aeterna, in illis, ne illas perdam per peccata mea, nec separer ab illa fidelium et electorum communione, extra quam non est salus, sed in gremio ejus, finitis peregrinationis et exilii mei diebus super terram, conjungar *benignitati (?)* ejus in regno suo, et sic te laudem in saecula saeculorum, Amen. Anno 1717.

Sperare me jubet paterna misericordia tua et credere, me annum in gratia tua inchoasse. Non me inquietum reddebant negotia praerecensita, quae, cursui suo relicta, non anhelabam, sed tuae voluntati decidenda relinquens et mori me praeparabam in dulci solitudine mea, et eam te vocante dese-

rere. Continuabam igitur spiritualia exercitia mea, quibus bis per mensem miscebam itinera cum Comite Tolosano, a quibus adventus et quadragesimae tempore abstinere solebam. Occupationem et distractionem fors majorem, quam oportuisset, dabat mihi hortuli mei et aedificiorum reparatio et ad commoditatem meam adaptatio, et procul dubio in his quoque amor ille proprius, et commoditates has amans, admiscebat se sub larva boni operis et futurae utilitatis PP, quibus illa appertinebant, et quaedam ruinam minabantur, quaedam usui non sat accomodata videbantur, aut uno verbo non placebant. Qauntis haec coloribus depicta repraesentantur homini ab innato sibi placendi studio et excusantur a sanctis quoque hominibus, quorum charitas indulgere solet fragilitati nostrae, sed stricte examinatae sunt imperfectiones, a radice innatae nobis concupiscentiae pullulantes. Quae displicent, volumus ut placeant, et quae placent, volumus ut magis placeant, vel potius dixerim, ut delectent, non delectatione illa peccaminosa, quae nos adhaerere facit objectis, sed licita et innocente, quae tamen ex una scaturigine, etiamsi non fluat, distillat tamen, et guttatim se in omnes actiones nostras insinuat, et propterea continuam meretur attentionem, ne lapidem perseverantiae non vi sed saepe cadendo cavet. Posteaquam enim licitum, quin imo necessarium sibi, exemplo sanctorum quoque, persuadet solitarius quidam animi relaxationem concedere, ne taedium pariat ejus intentio, vel ut vires aquirat majores ad exemplum arcus sagittarii, — jam in operibus manualibus, jam in hortensibus, jam in floricultura, jam in pictura, jam in delineando quaerit praedictam distractionem, et dum invenit, delectari incipit, complacet in opere suo, et sensim sine sensu, nisi se examinet et sibi caveat, adhaeret ei. Primus gradus adhaesionis est plus ei temporis, quam praefixerat, indulgere sub praetextu, nonnisi exiguo intervallo opus finiri posse vel debere finiri, ne, idea setenta in oratione, distrahat mentem; secundus, dum quis sibi saepe in his indulget, et primo spiritualium lectionum tempus, postmodum et orationis abbreviat, vel, se prioribus distractum et occupatum sentiens, penitus intermittit, credens consultius esse id facere, quam, mente aliis occupata, in conspectu tuo comparere. Domine, nec haec intermissionis

culpa statim intervenit, sed suos quoque gradus habet; primo mutantur horae ordinariorum exercitiorum cum intentione alia hora, plus convenienti, supplere, quod negligitur; huic succedit intermissio ex oblivione, quam quis, resarciri volens, prolongat lectiones et orationes ad usque nauseam; ex nausea provenit taedium, ex taedio onus, ex onere desiderium allevationis, propter quod consuluntur casuistae, Pater spiritualis, cui res exponitur verbis quaesitis, praetextuantur multa, obtinetur intentum. Tempus proinde, quod his lucratum fuisse imaginatur, addit occupationibus suis, quibus delectatur, sed quia delectatio quoque satietatem et haec taedium gignit, anima spiritualibus alimoniis, quae in lectionibus et orationibus consistunt, destituta corpori cedit et tandem subditur; caliginare incipit lumen intellectus, et ubi tenebris suis assueverit, ad rerum mundanarum desiderium redit, ut canis ad vomitum. Hinc credo sanctos ascetarum regulas instituisse strictas illas levissimarum culparum accusationes, quarum examine renovatur continua illa attentio et diffidentia suimet ipsius, et propterea longe difficilius est homini saeculari in solitudine subsistere, quam religioso, regulae et statutis subjecto. Primus sibi statuit et mutat vivendi normam, in qua secundus horrore peccati, timore poenae retinetur; uni enim et alteri suae instruuntur insidiae ab amore illo proprio, qui modo praespecificato muscas crescere facit in elephantes, et hos sub muscarum specie repraesentat. Ex his apparet, quam periculosum sit delectari in innocentissimis et licitis quoqe, quibus, dum asuescimus, adhaeremus et rerum vicissitudine naturali sic ferente, postquam eis adhaeserimus, iis satiati nauseamus, et in his omnibus nosmet ipsos quaerimus, nec tecum sed nobiscum sumus in solitudine. Satius proinde crederem et solitaris suaderem variare et saepe mutare occupationes suas, et manualibus operibus potius vacare, quam aliis picturae et hujus generis artibus, quae quia majorem impressionem faciunt in phantasia, magis distrahunt, nec tam cito nauseant, quam illa, in quorum continuatione corpus fatigatur; sed omnium horum tutissimum condimentum charitas amor ille tuus est, o centrum animae nostrae; hic semper delutat, nunquam satiat, omnia bona sunt hoc duce, et optima, innocentissima quoque

mala fiunt et degenerantur sine illo, qui omnibus mensuram imponere solet. Qui per eum tibi adhaeret, ubique solitarius est, nec nisi te possidet, solitarius, quia, a semet ipso exinanitus, te possidente, omnia habet. Homo spiritualis delectationem animae curae habere, corpori sublevationem indulgere debet; nequit delectari anima, nisi in sibi similibus spiritualibus, in quibus nihil deliciosius te, summo et infinito bono, reperit, nec quid periculosum est, quod corpori pro sublevatione tantummodo, et non pro delectatione conceditur. Haec, Domine, te docente, cognovi, sed utrum opere executus fuerim, tibi magis notum est, quam mihimet ipsi, tu scrutaris *renes* et abdita cordis nostri; quodsi quandoque nosmet ipsos examinamus, nonnisi extrinseca, et haec quidem vix penetramus; omnibus se ingerit amor proprius, et oculis nostris ille nos repraesentat, ille de nobis format judicium in intellectu, inest corpori, inest animae nostrae, et hinc vere, si nos semota misericordia judicaveris, pereundum nobis est. Qui enim se peccato carere dicit, mendax est, nec ascetarum rigidissimus caret culpa et sordibus; quidni abundavi ego, qui infinite laxiorem duxi vitam. Contribularer, o Domine, nimium consideratione horum, si te patrem esse ignorarem, et non agnoscerem haec opera misericordiae tuae in me, quae scribo; ex illis enim augetur confidentia mea in te, quod me perdere non vis, sed salvum fieri, quia tanta operatus es in me; fac, ut dilectio mea correspondeat confidentiae, ne sit vana et inutilis; nequit enim firma illa spes infructuosa esse, quin non producat amorem; nec amor subsistit sine spe. Debetur timor et tremor qualitati Dei et creatoris; patris nomen spem et amorem producit et nutrit, timorem moderatur. Ille, qui haec non agnoscit, fide caret viva; quodsi enim crederet, firmiter vellet, si vellet, peteret, et si digne peteret, nec tu denegares illi, quia promisisti. Vere salsorum prophetarum loco considero ego eos, qui praeceptum charitatis relaxant, et solum timorem sufficere ad salutem proferunt; idem enim est, acsi dicerent, sine fide salvari posse hominem, haec enim si mortua est, pro fide reputari vix potest, nisi pro illa, quae cum diabolis quoque communis est, sed nec illis quid prodest, nisi ad excitandum tremorem. Quodsi operatur et fructificat, ut a charitate animetur, sana

ratio quoque requirit; qui enim nonnisi timore poenae ducitur, non propter te agit, sed propter semet ipsum; et sic non tu, o Deus, sed ipsemet suarum actionum est scopus. Absit tamen a me credere quid aliud in hac tam subtili et in hoc saeculo tam agitata materia extra doctrinam servi tui Augustini, quam Sancta Mater Ecclesia tot saeculis secuta est. Fac, o Domine, me illam intelligere in sensu tibi placito, et da vires ad sequendam illam; prout enim linguam quandam exoticam nonnisi idiomatis illius gnarus intelligit, ita nec charitatis praeceptum et doctrina absque charitate intelligitur. Non scandalisabor ego plurimos laxiorem sequi sententiam; tu enim, veritas aeterna, doces multos esse vocatos, paucos electos; tu praedicis refrigescendum iri charitatem, et in fine temporum vix reperibilem fore; oportet igitur, ut haec, quae videmus, eveniant, ut justificeris in sermonibus tuis et vincas, cum *judicaris*. Hoc unum igitur peto a te, ut me confirmes in gratia tua, et me fac amanter sequi vias, per quas me ducere decrevisti et in quas me e solitudine eductum statuisti. Appropinquabat tempus vocationis meae ex beata illa quiete; sed ego ignorabam ad usque ultimos quadragesimae dies, sub quorum cursu et Masiliensi Lazareto scriptae literae Papaii missae fuerant mihi a Comite Tolosano, sed, non obstantibus illis contentis, ad peragendos in majori solitudine sanctos majoris hebdomadae dies me recluseram, dum Parisios advenisse Papaium mihi relatum fuit, quem quia occultum manere et Galliae status ratio et mea suadebat, ut sub praetextu exulis Hungari in solitudinem accedat, jussi, et ut in vicino vico solitudini meae in qua pro hospitio intervenientium domunculam sat amoenam elocatam tenebam, commisi — ut tamen aptiores illius adventus causam celandi modalitates reperiantur, in occulto accedere mandavi eum. Neo-conversum Illosvaium, juvenem probatae fidelitatis et taciturnitatis, misi, ut perceptis causis adventus sui, a me tam stricte inhibiti, resciat et referat, ipsique Papaio omnia secrete teneri nomine meo ordinet. Quae dum rite peregisset, retulit mihi, se nec instructionem, nec mandata mea recepisse, sed epistola ipsiusmet Sultani instructum et verbotenus commissis oneratum praemissum esse, ut adventum venientis legati ex ordine Capudsi Bassarum seu Janitorum

(qui nonnissi cum literis ipsiusmet Sultani expediri solent) denunciaret, ut interea, rebus meis dispositis, illo adveniente, illico iter aggredi possim; habere proinde multa mihi, nulla mora imposita, referenda, et ad cognitionem rerum scitu necessaria. Stupore magis, quam gaudio effectum fuisse, nosti, Domine, ad aspectum literarum Sultani, aureo sigilli cooperculo, capsa argentea instructarum et aureis literis signatarum. Princeps ille mundi scribere nonnisi regibus solet, nec unquam ante praedecessores meos hoc honore dignatus fuerat, et fatebor, solitudinem meam, relatorum consequentiis perculsus, multum turbatam fuisse ipso die Mercurii majoris, uti dixi, hebdomadae; sed lumine et consilio a te petito, posteaquam agnovissem, me praeferre debere obligationes status mei omni particulari devotionis actui, ne inter domesticos relaxatio reclusionis meae in favorem hominis, ex Turcia advenientis, admirationem pariat, locum Papaio in sylvula vicina designavi, in qua ipsum longiori, quam volebam, colloquio non tantum illa die tenui, sed illud sequentibus quoque sanctis diebus reiterare, absque praejudicio servitii et officii divini, necessarium esse duxi et rebus bene perceptis et in conspectu tuo ruminatis die ipsa Sabati majoris Parisiis accedere ducem Aurelianensem necessarium esse credidi cum scitu et consensu confessarii. Retulit mihi Papaius negotiorum a se gestorum seriem et in illis omnibus dicta et acta Generalium Hungarorum involverat, quae secundum praejudicia, sibi formata, multam mihi fidelitatis eorum suspicionem generare debuerant, sed examinatis referentis et relatorum genio et natura nihil impressionis sinistrae merebantur. Retulit ampla Chajmechanii, generi Sultani et confidentissimi sui ministri, verbotenus sub fide Sultani facta promissa de restituenda juribus et libertatibus suis Hungaria, de annectendis principatui meo Lugosiensi et Caransebesiensi nec non Temesiensi Banatuum districtibus, et Valachiae Transalpinae principatibus, de duorum millionum et quingentorum millium Imperialium pecuniae paratae mihi administrandae nervo, de libertate donandis et mihi tradendis captivis Christianis pro formando exercitu regulari, de dispositionibus et expeditionibus militaribus nonnisi meo consilio instituendis et suspiciendis, de pace non concludenda absque

restitutione Principatus mei et asserendis Hungariae libertatibus, quae sub amplissimis et generalibus terminis in epistola quoque Sultani contenta fuere; annexa enim fuerat ei latina interpretatio, ab interprete Portae facta, cujus sensus obscurissimus videbatur et erronea translatio ex defectu ignorantiae linguae latinae; sat manifeste et apparebat et a Papaio (qui omnia postulata ín literis et vi verborum contineri pertinaciter asserebat) confirmabatur. Addebat his, haec omnia a Vezirio Ali Passa ante conflictum mensis Septembris anni praeterlapsi ad Petrivaradinum datum, et Germanis, multa strage Turcarum et ipsius Vezirii, obtentam victoriam jam concessa fuisse sibi alio literarum Sultani tenore, quem siquidem convenientem non judicaverat, pro petito emendatum fuisse per regentis supremi vezirii Chaimechanii et totius ministerii Portae consensum: idipsum confirmante praefati moderni Vezirii allata epistola: adesse proinde tempus utendi alacriter honore, mihi a Porta praestito, et occasione eliberandae patriae; et principatus ampliandorumque ejus finium per eliberationem appertinentiarum ejus, pace Carloviczensi prae manibus Turcarum relictarum. Ministerium totum unanime desiderare adventum meum, et gentem totam ipsumque Sultanum spem maximam in persona mea collocatam habere, opus esse, ut confidentiam devincirem et augerem confidentia et tempore uterer, quod seu Turcis futura aestate devictis, seu triumphantibus, magnae mutationi subjectum erit, si tardavero. Nihil me terreri debere casu et damno ad Petrivaradinum illato, quod non Turcarum segnities, sed Vezirii arrogantia et fastus et belli gerendi ignorantia causavit; non deesse Turcis militem, non tormenta et reliqua bellica requisita, non thesaurum, quem Sultanus longa pace, industria et avaritia partum ampliorem possidet praedecessoribus suis. Inauditum fuisse hactenus Ottomanicam potentiam principum Christianorum desiderasse et anhelasse amicitiam, aut quempiam illorum invitasse, aut rebus suis bellicis gerendis associasse, prout haec mihi offeruntur. Quodsi oblata recusavero, futurum, ut Turcae indignati vel gentem Hungaram Tartarorum depopulationi subjicient, vel quendam Generalium meorum in caput causae constituent et in thronum mihi debitum collocabunt, quamvis

cum summo patriae, Confoederationis, Principatus et causae gentis dispendio. Verum est, iterum repeto, hoc potiori ex parte verbis tantummodo relata fuisse; sed ultra libertates Hungariae et Transylvaniae assecuratas, proprii exercitus tenendi facultatem, pecuniae ad id sufficientis administrationem, belli continuationem adusque cessionem Principatus mei, et absque hoc non concludendam pacem generalibus id expressum est terminis in literis. Sultanum, dum ad Portam advenero, tractatu formali me de his assecuraturum, et quidquid pro utilitate et bono regni Hungariae et Principatus mei petiero, se praestiturum. Retulit praeterea Papaius, se instructionem meam ultimosque ordines non recepisse, sed in illo statu esse omnia, quod me assecurare possit, Portam in praesentia mea nihil denegaturam et absque hoc, quidquid e longinquo petiero, dilationi imputaturam et diffidentiae. Haec fuere, quae ego duci Aurelianensi pro mutua, quae inter nos intercedebat amicitia, cum literis Sultani communicavi, clausis foribus, et consilium ejus expetii. Epistolae perlectae translatione haerebat, et suspicabatur terminorum et expressionum inusitatorum obscuritatem, dicebat, se quidem negare non posse, inter meum et belli continuationem profuturum Gallicis rebus, sed propterea nolle se suadere expositionem personae meae ad tam incerta et dubia promissa, multa me debere exempla considerare et prae caeteris Sueciae regis attentius revocare in memoriam; notum esse sibi Turcas pacem petere ab Imperatore, ac proinde praestolari me debere exitum imminentis aestatis; quodsi enim, Turcis deletis, me intra manus eorum esse contingeret, pacis desiderium traditionem meam in manus inimicorum meorum facile posset producere. Sed e contra reponebam ego obligationis meae juramentalis, esse meum Principatum et fideles mihi Status a jugo vindicare et securitati eorum etiam cum dispendio vitae meae providere, res ejus seu Germanis seu Turcis triumphantibus extremo discrimini subjectas esse. Occasionem hanc mihi suppeditari a providentia, Hungariam quoque a populatione Tartarorum per tractatum etiam facta promissa defendere. Inauditum exemplum fuisse hactenus, Turcicam potentiam Christianorum Principum ambire amicitiam. Clarum esse Austriacum poten-

tiam multis principibus odiosam et formidolosam esse, qui si me in Turcarum consilium influere et proprio exercitu agere viderint, facile in mutuas colligationes condescendent, Sultanum esse in statu, multis parato aere succurrere, candens ferrum cudendum esse, nec tam speciosam occasionem contemnendam; pacis tractatum nonnisi praesentia mea rumpi posse, qui certius succedet, si spe adventus mei Turcae delusi fuerint. Quod obscuritatem verborum epistolae attinet, instructionem et tractatus transmissi puncta dilucidatura, de quo, proxime mihi ad mentem meam remittendo, Generalibus verbis factae promissiones non inanem spem faciunt. Non me terreri praevisione periculorum traditionis et mortis ignominiosae, exinde subsequi possibilis, non propinatione veneni, non caeteris maris et belli casibus; quod si enim his ex obligatione status et juramentalis obligationis (qua me adstrictum persuasus sum) me exposuero, providentiae divinae erit me defendere, aut conducere per vias aeternorum decretorum suorum. His proinde denuo ruminatis, conclusit princeps, mirari se resolutionem meam, nec tamen eam confirmare, nec ab illa me deflectere suadere posse; amicitiam suam nihil igitur aliud posse, quam de sinceritate me in iis adjuvandi, in quibus posse se prodesse reperero, assecurare. Martius labebatur mensis, in quem tunc festa Pascalia inciderant, et occasione hujus devotionis ego a te, Domine, continuo expetiveram consilia. Brevi post advenerat epistola Comitis Bercséni, qui, post Papaii discessum ad Portam advocatus, una cum Legato Gallico Portae praecipitata reprobabat consilia, quae jam tunc legatum quoque suum Papaium subsequi jusserat; praevidebat enim, quamvis ignoraverat intentiones meas, res meliori tramiti et securiori progressuras, si tractatus ante adventum meum concludi potuisset. Comes tamen iteratis cum Vezirio et Chaimechanio (apud quem summa rerum consistebat) consiliis habitis, ab uno et altero, sed praecipue ab ultimo jussus fuit Papaio facta promissa sub fide Sultani reiterare et meum adventum urgere, quod et ille in supra memoratis literis executus est, et pro clausula addidit, tam favorabiles esse Portae in res meas dispositiones, ut, me semel adveniente, difficilius fore credit, me quid petendum reperire, quam Portae annuere et tribuere.

Contraria haec fuere Papaii dictis, qui me persuadere conabatur, Bercsénium iter mihi disuasurum, ut, si Porta in concepta de me opinione et adventus mei spe frustraretur, tam Transylvaniae principatum et confoederationis Hungaricae causam in se derivares. Plurimum ponderis addebant relationi Papaii hae literae pro nota mihi Bercsénii ingenii perspicacitate; sed semper magis et magis confirmabar in resolutione exspectandi eventum tractatus, quem Franciscum Horvath, quem Papai sui loco residentem ad Portam reliquerat, negociaturum vi commissorum speraveram. Occultabam intentiones meas secundum Ducis Aurelianensis intentum, qui jam sub illis temporibus amicitiam Aulae Viennensis ambiens, nolebat operte meum promovere iter. Notificari curavi Portae adventum Papaii et meam resolutionem, sed causas adduxi ob quas ex ratione conciliandae amicitiae Principum me illico accingere itineri non judicavi e re communi esse. Czarus Moscoviae tunc Hagam Comitum advenerat, et posteaquam intentionem ejus Galliam invisendi a Duce Aurelianensi rescivissem, omni studio intendebam, ut colligationem ejus et regis Borussiae Aulae Gallicae persuaderem, quam Czarum desiderare ex antiqua ejus intentione et systemate status sui supponebam. Nec me fefellit opinio; quia, quamvis subsequenti Majo sub praetextu videndi regni advenerit, hanc tamen fuisse veram et genuinam intentionem ejus, subsequentes clandestinae, sed ab Aula Gallica non sat seria intentione tractatae, negociationes demonstrarunt. Frequentia ego cum illo occasione visitationis domuum regiarum habebam colloquia, et intentionem meam, quam mihi pro boni sui erga me anima demonstratione periculosam et exiguae securitatis dissuadere conabatur, quamvis de caetero mediationem pacis Turcicae, sibi rite offerendam, se acceptaturum jam tunc appromiserat. Ad initium Junii Czarus Parisiis discessit, jam tunc legatus Sultani Capuzi Bassa, pro me comitando missus, Tulonium advenerat; convenimus igitur cum Duce Regente, ut genuinam causam adventus ejus celatam teneremus, et a suscipiendo Parisiensi itinere dissuaderemus. Quapropter ipsummet Papaium celeriore itinere transmisi, ut ili necessitatem me Tulonii exspectandi demonstraret; quod facili labore factum fuisse Papaius, brevi post redux,

mihi retulit; mandatum enim ipsi erat, ut jussa mea sequeretur. His ita actis, anxius expectabam de tractatus mei successu certum quid rescire, et tandem advenere literae Residentis, per quas informabar: se recepisse instructionem, sed quia jam illorum quae desideraveram major pars per Papaium appromissa fuerat, consultum duxit rei supersedere, et illorum, quae restabant, exoperationem ad adventum meum relinquere. Nihil poterat exspectationi et intentioni meae magis contrarium evenire, et praeconceptum iter meum impedire, quam tam imprudens factum; sed nullum supererat remedium; tempus et Germanorum bellicae operationes et urgebant me, et dilationem itineris prudentia humana, solitudinis amor dissuadebant. Jam Germani Belgradum obsidione cinctum tenebant, et illorum victoria, et Turcarum triumphus aequale discrimen praeparabat rebus meis, et tam —, prima subsequente —, animorum Turcarum depressio, quam —, secundo contingente —, illorum elatio metuenda fuerat mihi. Unde inter tot rerum vicissitudines nonnisi a te, Sapientia aeterna, expetere poteram consilia, et semper repraesentabantur mihi status mei obligationes et confidentia, in te unice ponenda. Non fidem amplis et splendidis pollicitationibus mihi factis plus, quam debueram, praestabam, non desiderabam elevationes, quibus mihi jam dulcior videbatur solitudo; praevidebam pericula, casus contrarios; sed his omnibus in bilancem coram te positis, nefas ducebam ex diffidentia deesse obligationi meae, et causare Tartarorum invasiones, quae imminebant patriae et principatui meo, et vere contra mihi facta promissa ante adventum meum in Transylvania contigerunt. In bivio fuerat successus obsidionis Belgradi, in qua se exercitus Imperatoris nimisquam audaci consilio, non satis exploratis et consideratis sequelis et Turcarum viribus, exposuerat, sed tandem meae resolutioni accelerandae, in SS-ta voluntate tua fundatae, ultimum motivum attulit belli Hispanici praeter omnem exspectationem pullulans exordium; illo enim praecise tempore revelatum et publico spectaculo expositum fuit novum theatrum in rebus Hispaniae, quod se visurum nemo nec sperare poterat, nec credidit. Tota praecedenti hieme ex secreta confidentia Ducis Aurelianensis sic constabat mihi, quod Abbas tunc Alberoni, qui

a tempore secundi matrimonii regis Hispaniae Monarchiae totius consilia moderabatur, per mediationem regis Angliae pacis negotium tractet cum Aula Viennensi, et propterea nullam cum Hispanica Aula communicationem mihi proficuam futuram credebam, quamvis sciverim nullum Regum superesse, cui tantum prodesse possent intentiones meae, quam praedicto regi; sed tam frequentes mutationes in illo ministerio subsecutae, enervatio ejus, cum praedicta negotiatione combinata, nihil mihi utilitatis ab inde promiserat. Somni loco habui proinde primos rumores, 20 navium bellicarum classem cum plurimis onerariis, 13 m. hominum onustis, Barcinona vela parare ad conquirendum regnum Neapolis, quibus adhuc copiosiores naves parari et fabricari in portubus; conscribi militem et pecuniam ubique abundanti manu distribui ad res Monarhiae restituendas. Creationem haec sapiebant et miracula; sed quia undique confirmabantur, de rei veritate legatum Hispanicum consului, et ei, intentionibus meis patefactis, petii, ut mihi navim unam armatam obtineret ad iter meum in Turciam securiori modo assumendum; nequid tamen negligerem, Massiliam quoque expediveram occulte hominem meum mense Junio ad quendam ibi existentem negotiatorem Bruni, qui mihi pro sua erga me amicitia a Comite Tolosano indicatus fuerat, ut mihi navis quam secretissime appararetur, et mandata mea exspectaret: sed tamen navem Hispanicam, postmodum petitam, praetulissem, si exspectare diutius consultum duxissem. Sed jam tempus, itineri meo ab aeternis decretis tuis praefixum, advenerat, et adveniente mense Augusto, nonnisi festum assumptionis in solitudine mea transigere statui, ad quod per octiduanam reclusionem in cellula mea, quam in horti mei angulo remoto construxeram, (et tunc primo inhabitavi) me praeparavi. Tu solus nosti Domine, cum quo dulce hoc octiduum transegi, quae ibi intra te et me acta sunt, lauderis in aeternum ab omnibus sanctis tuis et a me, verme et cinere, pro collatis mihi gratiis, consolationibus spiritualibus et fortitudine, in qua me confirmasti ad sequendam voluntatem tuam, quibus vocationem status mei conformem esse persuasisti mihi. Seposui proinde prudentiae humanae consilia, periculorum praevisiones, diffidentiae terriculamenta et contra

spem, contra sensum proprium, contra inclinationem meam egredi e solitudine, sperare in te, tibi me commitere postremo decrevi — Religiosis, impetrata Capitulum ingrediendi licentia, cum multis lacrymis valedixi, preces et suffragia illorum expetii, et illis gratias egi pro aggregatione mea in ordinem ipsorum, per quam meritorum ejus participem me fecerat charitas eorum per patentes literas. His et die, Virginis festo sacra, synaxi peracta, die sequenti 16. Augusti anni 1717 tranquilla mea quiete solitudinis Parisios discessi ad valedicendum amicis, et ulteriori me itineri accingendum. Nihil plus de his dicere possum nunc quoque quam, quod primae parti Confessionis hujus meae prae manibus P. Majoris relatae annexi ultima die egressus mei. Suscipe o Domine intentionem meam, in qua haec egi, et cujus tu nosti sinceritatem, et adjuva, ne me desinat imposterum quoque animus et vires in sequenda Sanctissima voluntate tua, cui mea subjecta sit semper.

Quoniam Dux Aurelianensis desiderare non cessaverat, ut occultarem iter meum, cujus conscius et secundator apparere nolebat, familiam meam totam et res meas omnes in solitudine reliqueram, et ipse iter in Normandiam cum amicissimo mihi Marechallo Tessé praetextuabam, et profecto mea fuerat tunc intentio, ut illuc diverterem, donec convasarentur omnia et Massiliam pervenirent, quo ego nonnisi ad conscendendam navim et vela faciendum advenire debebam. Sed inter valedicendum Duci Aurelianensi, lacrymantibus amborum oculis, et teneri affectus demonstrationem visum fuit: consultius esse, ut directa via Massiliam peterem, et me ibi adusque adventum domesticorum meorum occultarem; praetendebat enim, constare sibi Legatum Imperatoris secretas mihi struere insidias, et homines suos praemisisse in Normandiam, qui itineri meo invigilare debebant, et me, paucis comitatum, nacta opportuna occasione aggredi. Triduo occupatus fui Parisiis in valedicendo intimis amicorum, qui intentionum mearum conscii fuerant, et his peractis, simulato reditu in solitudinem meam, ad Principissae Contianae palatium, Choisii in medio itinere solitudinis meae situm, pernoctandum perveni, et die sequenti apud amicam mihi eximiae virtutis et pietatis Principissam die, inter dispositiones et literas scribendas transacto, sub vespe-

ram amicis praesentibus vale ultimum dixi. et rhedula mea, ad celeres cursus aptata conscensa, duobus cubiculi famulis equitibus comitatus, propriis equis vectus, duobus a fonte Bellaqueo milliaribus iis relictis, equis pro celeriori commeantium cursu destinatis praejunctis, inter 48 horarum spatium Leodium perveni, ubi navi eadem nocte conscensa, secundo Rodano adusque vicum Burbantem descendi, ubi, equis denuo rhedae praejunctis, sexto post discessum ex Choisi die, ad — horae intineris Massilia sitam — suburbanam domunculam Brunii, te Domine ducente, feliciter perveni; ibi familiam et impedimenta, nonnisi a Brunio notus, expectaturus. Solitudinem inveni ibi, et libero maris prospectu sat amoenam, et in illa, ordinariis horis exercitii mei rite per gratiam tuam observatis, nonnisi quotidiano Missae sacrificio destitutus, ad quod audiendum longiori pedestri itinere Ecclesia Stae Marthae diebus festis petenda fuerat. Praecessit me Papaius biduo Parisiis, et secundum mandatum acceptum recte Toulonium abiit, ut nunciato discessu meo Capuzii Passae, navim illi destinatum conscenderet, et e portu egrederetur. Sed longius mihi mora trahenda fuerat ad Massiliam, quam credideram; impedimenta enim die destinato discedere et tam celeri prout optabam itinere sequi non poterant, unde, appropinguante die nativitatis Virginis matris, triduo ante, ignotus, nomine peregrino assumpto, ad Cartusiam urbi vicinam cum Brunio descendi, ut cum majori recollectione solemnitatem festi peragerem; sed nec ibi quoque ignotus permanere potui, confessario enim a Priore petito, posteaquam confessionem peregissem, obstupui me a Confessario titulo Principis honorari, et paulo post adhuc cum majori admiratione rescivi a famulo, eundem Confessarium me plurimis ante annis Viennae visum agnovisse; mirus ac stupendus mihi apparebat casus, et rei indagandae cupidus, posteaquam religiosum convenissem, recensuit mihi, se quondam bellicum officialem fuisse, et me saepe, mihi ignotum, vidisse, nec proinde me amplius celare volui Patribus, qui me multa caritate prosecutum, peracta devotione, inviti dimiserunt, et in precibus suis me tibi oblaturos spoponderunt. Interea congregabantur Massiliae, diversis navium et curruum vecturis, itinerantes domestici; et posteaquam die 15 Septem-

bris navim conscendissent, die sequenti ipsemet illos vela facturus secutus sum. Noc haec sine novis itineris remoris peracta fuere; dona enim quae Sultano Vezirio et Ministris afferenda destinaveram, seu incuria, seu alia de causa, proxima post discessum, quibus eorum cura commissa fuerat, occasione transmittenda remanserant; nec decens videbatur pro usu Portae sine illis vacuum comparere; urgebat iter Capuzius, quod novis difficultatibus alioquin involutum et periculosius reddebatur; biduo enim antequam in Cartusiam secessissem, acceptis Parisiis literis a plurimis amicorum, de itinere meo anxiis, instructus fui, Turcas sub Belgrado caesos; fortalitium cum ingenti exercitus Magni Vezirii strage et re tormentaria amisisse; Hispanicam classem autem Sardiniam occupasse, et hoc actu Imperatori bellum declarasse. Tu nosti Domine, quam differentem haec suppeditabant periculorum praevidendorum et pacis subsecuturae materiam, quae mihi ab humana prudentia, a notitia genii Turcarum representabantur. Obtestabant amici, ne iter continuarem; invitabat me ad reditum solitudinis amor,. quem Cartusia renovabat; sed posteaquam te Domine in illa consuluissem, sensi fortificari cor meum ad omnia ardua, in te unice sperando suscipienda; nullam Turcarum clades et caesorum promulgatus numerus faciebat mihi impressionem, nec amissum fortalitum sed subsecutura pax; hanc autem differe aut praepedire nonnisi itinere meo poteram sperare, cui belli Hispanici fama pondus adferre poterat, Considerabam quoque nunquam me melius satisfacere posse opinioni et exspectationi Portae, quam cum illis in rebus illorum tam asperis non defuero. Occasio haec mihi videbatur ad acquirendam populi et militis aestimationem, ad confidentiam in promissis Sultani habitam demonstrandam; sed vere vana, illusoria et propriae gloriae fuissent haec argumenta absque intentione et fide tuam voluntatem sequendi, non ambivi principatum, non bellum, non spirabam vindictam, sed nec cruces, oppositiones, pericula horrebam; perinde enim mihi est et fuerat per has aut illas vias sequi te, dummodo tu ducas me lumen animae meae. Porro ne quid intentatum relinquerem, Comitum D'Absac Gallum, olim tribunum legionis equestris, ante abitum ad Regem Hispaniae delegavi, per quem exposui regi cau-

sas itineris mei et instructiones meas, petiique, ut secum ad me delegaret Ministrum, ita instructum, ut posteaquam tractatum meum cum Porta conclusissem, et rebus Christianitatis providissem, medio mei seu cum Porta, seu mecum mutuam in rem communem et contra communem hostem colligationem iniremus. His peractis, statui vela pandere et ad insulas Hierias *[Hyères]* jacta anchora Capuzium praemittere cum Papaio, et ipsemet exspectare ibi adventum Sultano destinatorum. Papaio proinde praemonito eadem, qua navim ingressus sum die, circa 11 ante meridianam levata anchora, iter totius vitae meae periculosissimum aggressus sum et vespere facto inter praedictas insulas prope navim, in qua Capuzius advenerat, anchoram jecimus, et sequenti die Capuzius me salutandum et denuo invitandumvenit; et postquam illi promptitudinem meam declarassem, ut cum Papaio praecederet, et ad Portam nuncium ferret discessus mei, petii, cum ipse certis de causis adhuc aliquot diebus ibi morari cogerer, quod ipse lubens executus, circa meridiem favente vento in altum egressus est. Taediosa fuit mihi mora et exspectatio quam interdum venatione alleviabam, sed spirituali consolationi meae multum deserviebat vicina ad littus Capella in Domo Salinaria, in qua diebus festis et dominicis Missae sacrificio adstare poteram, donec tandem 21 Septembris sub vesperam, rebus quas exspectaveram allatis, navim velis commisimus. Ferebamur in altum, jam sole occiduo, sat leni vento, qui post primam vigiliam vehementius impetebat vela, quae oblique opponere oportebat, ut Africis littoribus propinguiores abscederemus ab Italia; magna proinde et violentissima navis agitatione subsequebantur incommoda illis, qui mari asueti non fuerant inter 40 domesticos, quibus comitatus navim conscenderam. Solus ego fui qui tranquilla sanitate et animo remanseram, et caeteros animabam, quod tibi in humili gratiarum actione dictum esto Domine, non in jactantia virium, quae tua dona sunt, Domine, et tu illas mihi in omnibus adversitatibus conservare dignatus es. Ventum validum dum a sequenti noctem die ad Africae littorum conspectum pervenissemus, malacia excepit, hanc nox tempestuosa subsecuta, et demum ventus favorabilis, quo continuante die 2-da Octobris in Archipelagum intravimus, et vento contrariante navigationem

continuare nequentes, in portum insulae Syrae intrare coacti sumus, sedem Romani ritus episcopi; hunc sequuntur totius insulae incolae et in civitatula; Capucinorum quoque residentia est, qui regis Galliae munificentia intertenentur in illa missione; nec mihi exiguae consolationi fuit sacrum Francisci patroni mei diem et devotionem apud ipsos potuisse peragere. Sic adfuit bonitas tua mihi. et providebat animae corporique meo, confortans contra omnia adversa, quibus visitare decrevisti me; ita mensis in ecclesia et residentia Patrum peracta, die sequenti, levi spirante aura potius, quam vento, ad navigandum allecti, portu egressi sumus; sed dum ad altitudinem vicinae insulae Tino pervenissemus, vento contrario fortius inchoante, non sine difficultate, coacti fuimus nos in insulam Micoli *(Mykone)* recipere, ubi biduo de novo retenti, vix favorabilior aura spirare coepit e portu; fortunam tentaturi egressi, et malacia retenti, diem subsistendo in aequore transegimus; donec tandem sub vesperam lenem ventum nacti, iter continuavimus, et ejus incremento die 10 Octobris ad desideratam Gallipolitanam civitatem sub vesperum anchoram projecimus, ubi me Capuzium cum Papaio exspectaturum credideram. Sed spe delusus fui; quamvis enim sex diebus me praecesserunt, navis eorum minoris celeritatis, quam mea, etiamsi semper prospero vento acta fuerit, nonnisi sequenti adventum nostrum die advenerat; interea de itinere eorum anxius jam Constantinopolim et Adrianopolim expressos nuncios expediveram, qui Portae adventum meum denunciarent, et de Papaio sciscitarentur. Ne proinde confusio subsequeretur, et ut denuntiatio decentiori modo fieret, ipsummet Papaium paucis post adventum horis subsequi jussi illum, qui Adrianopolim missus fuerat, quo Sultanus post cladem Belgradianam, Sophia redux, uno ante ipsum die advenerat. Instructus fuit Papaius ad adventum meum Chaimechanio in absentia Vezirii rite denunciandum, et curialibus peractis urgere debebat exolutionem 100 m. Imperialium ex summa millionum ad impensas bellicas mihi appromissorum defalcandorum, ut illo aere oneratam navim remittere, et quam citissime de requisitis armis et aliis bellicis apparatibus providere valerem. Sed postquam ille hoc peregisset, exolutione petitae summae ad Vezirii resolutionem

remissa, Aga unus Imperatoris cum 6 Csausiis et lieme [?] Sultani, pro more 4 equis albis praejuncto, expeditus fuit cum ordinibus et dispositionibus itineris mei; qui me sine mora, quamvis dolore pedum correptum, si fieri posset, Adrianopolim comitaretur; his adjunctus fuerat cubicularius Chaimechani cum literis suis sat civilibus, per quas iter meum accelerari amice desiderabat; sed fateor me ad adventum eorum multa sollicitudine perculsum fuisse, posteaquam loco desideratae summae illos pro sumptibus particularibus navis et Aulae meae quatuor tantummodo Imperialium millia attulisse audivissem, et fors, si tunc mihi Papaius Chaimechani discursus genuine perscripsisset, inter quos ipsi summam petitam urgenti respondebat Portam pacis negociationem, consentiente Germanorum Imperatore, aggressam fuisse, nec amplius adventu meo tantopere indigere, illico me resolvissem ad reditum, nec Adrianopolitanum iter agressus fuissem. Sed tu Domine, qui me aliis reservabus et mihi alia, quam motus mei intrinseci dictare potuissent, via incedendum fuerat, — haec tunc mihi ignota esse volueras. Consolabar proinde spe in te confisa, et sic obcoecabam me in praevisione futurorum. Haec enim, quae contingebant, facile demonstrabant mihi, multa me contraria reperturum in illis, quae me speciosa Turcarum promissa et Papaii relata sperare jusserant. Praeparabam proinde me ad multa contraria illis, et confirmabam me in resolutione firma, nihil sine praevio tractatu aggredi, nisi bene digesta et secura promittere, et petere, nec me bellicis ullo modo immiscere, nisi cum securitate effectus promittendorum. Sed ab adverso repraesentabat mihi prudentia resTurcarum in angustia constitutas, spe facilitatis belligerationis, bonorum successuum, et regum colligatione appromittenda sublevari debere; animus enim, duorum annorum clade et finitimorum fortalitiorum amissione perculsus et dejectus, his neglectis, semper pronior erit ad pacem amplectendam, quam ad continuandum dubium bellum. Sed his humanae prudentiae et usitatae politicae incitamentis per gratiam tuam minime assentiebar, sed praedictis resolutionibus, obligationi meae consonis, etiamsi non sat cautis, inhaerere statuebam, quamvis illae semper magis magisque repraesentaverint mihi pericula traditionis et violen-

tiarum, quas nationis genio facile est intentare contra illos, qui suae resistunt voluntati, a quibus nihil me securum reddere poterat praeter singularem providentiam et protectionem tuam, o verum afflictorum solatium. His proinde bene tecum et coram te ruminatis, quamvis adhuc unius pedis usu destitutus, iter Adrianopolim eques et lento, sed propter stationum et diversoriorum incommoda sat molesto itinere aggressus sum et díe 27 Octobris ad vicum, duarum horarnm itinere distantem ab urbe, feliciter te duce perveni. Agebatur de pompa receptionis meae, quam me desiderare consonum esse dictabant sequentes rationes: respectus conciliandus nationis, ab aestimatione et consideratione a Sultano demonstranda; desiderium replere exspectationem Principum Christianorum, qui super iter et receptionem meam atenti fuerant; impressio et spes quam hoc actu externo dare volebam Transylvanis; consideratio praeterea propriae dignitatis, et decoris ejus observandi, quam partem esse obligationis Principis credebam. Sed his omnibus non obstantibus, nonnisi tu scis Domine, num haec rationes verae fuerint, vel tantummodo representationis amoris illius proprii et cupiditatis, quas homo sine speciali tua gratia discernere nequit, et pro quibus, mihi ignotis, te cum omni humilitate deprecor. Inter has considerationes difficillimum mihi fuerat scire, quid circa curialia praetendendum; ignorabam Turcarum mores et ceremonias, nec a praedecessoribus, nec ab aliorum Principum Christianorum receptionibus poteram petere exempla. Non recepi Principatum a Porta, nec unquam sub protectione ejus fui; hinc nec Appaffiorum, nec Tökölii acta sequi dignum videbatur mihi; solum Joannem Sigismundum Transylvaniae Principem, Regis Joannis Hungariae filium (qui semel Solimannum accesserat) sequi poteram; sed deerat exacta cognitio illorum, quae in illa occasione contigerant. Recens fuit Regis Sueciae memoria; sed ille omnes actus publicos, quia contemnendo merito pro dignitate sua evitaverat, nullum mihi lumen subministrare poterat. Quia vero de his me scire aliquid decens esse judicabam, Capuzium praemisi, ut nomine meo declaret sperare me, Portam congruam reflexionem facturam super invitationem meam literis Sultani et caracterem et praedictas rationes, quae me

jubent esse attentum et desiderare convenientem receptionem; de caetero nihil me praetendere posse praeter ea quae Principi Joanni Sigismundo praedecessori meo praestita sunt; sed committere et tradere me in hac re dispositioni Portae; his declaratis id solum me petere, ne aequiparer oratoribus regum, qui nonnisi repraesentantes sunt caracteris principalium suorum, quem personae meae propriae inesse Sultanus in sua ad me scripta epistola jam agnovit. Rediit Capuzius cum favorabili responso, et declaravit Sultanum meam dignitatem in hac occasione consideratorum ad instar Chami, Tartarorum Regis et Principis sui sanguinis recepturum; quamvis hic honor Principi Joanni Sigismundo praestitus non fuerit, et mandata sua dedisse ut omnia eo ordine instituantur, quo illi recipi solent. Hoc porro quonam modo subsecuta fuerint, non hujus operis est describere, quo interna non externa refero. Tibi notum est, Domine, quam contraria apparuerint genio meo, et quod omnia aptiora fuerint ad humiliandum, quam ad extollendum Principem Christianum cum Stae Religionis Nostrae odium et propriae excellentiae opinio tam insita sit Turcis, ut haec celare nec possint nec velint. Agnosco Domine in omni humilitate cordis mei, paterne egisse te mecum in his omnibus; cor enim meum vanae gloriae nimisquam susceptibile, suggestionibus ejus fors non restitisset, si omnia pro palato evenissent. Nec dignitati, nec commoditati vitae aptum fuerat angustum pro sat numerosa Aula mea hospitium, ad quod Adrianopoli adductus fui, et omnia in primo lumine promissis apparebant contraria. Jam retuli in absentia supremi Vezirii Chaimechanim suprema rerum gerendarum administratione functum fuisse, quem, quoniam tunc aegrotaverat nonnisi elapsis aliquot diebus invisere potui, et haec nova humiliationis mea fuit vexatio. Quamvis enim supremus Vezirius (quem ille tunc repraesentaverat) pro condomino imperii habeatur, in re nonnisi Sclavus et primus servus Sultani est; durum mihi apparebat primus illi deferre honores absque ulla spe revisitae, sed mori huic, jam mihi in Gallia quoque non ignoto, accomodare me resolveram, hinc posteaquam sanitas illi opera medici mei restituta fuisset, misit ille ad me secum interpretem denuncians, jussu Sultani se mecum quaedam conferre debere, deside-

rare propterea ut die pro placito meo denominanda conveniremus; honesta fuit denunciatio, ac propterea sensu interpretis expetito, illum elegi, quem ille ex nota sibi mente ministri aptiorem fore crediderat. Renovata fuit hac occasione quoque me humilians gentis fastus, et quamvis pro more suo particulares mihi exhibitae fuerint distinctiones et honores, omnia tamen fuerant insipida natura, sale enim contemptus condiebantur; sed quia is ad caracterem Christiani et non Principis referebatur et gloriosus et meritorius esse potuisset mihi, si digne tibi obtulissem. Confiteor Domine cum gratiarum actione, dedisse quidem te mihi voluntatem ad id; sed num ego illi pro placito tuo corresponderim, tibi soli notum est: Colloquio proinde secretiori instituto, retuli me perceptis Sultani literis et invitatione per ablegatum suum facta, contemptis itineris et maris incommodis et periculis, in illa intentione advenisse, ut exspectationi ejus satisfacerem, et obligationes status mei sequendo in praesentibus rerum circumstantiis utilitati Portae esse possim, cui conjuncta mea est causa; cum proinde se quaedam jussu Sultani mihi communicanda habere denunciaverit, ad illa exaudienda me lubens contuli. Haec fuit energia amplioribus verbis prolati discursus mei, cui ille reposuit Sultanum et se, promissorum mihi factorum memorem, me ad hoc invitasse, ut in bello, contra hostem communem gerendo, meis utatur consiliis et opera, ac proinde res quoque meas ita cordi sumpserit, ut continuatione illius restitutionem Principatus mei seu pace seu bello procuret; velle proinde intelligere mentem meam, num pro imminente vere Tartarorum num Turcarum mihi placeat assumere validum et dignitati meae conformem exercitum, et pro quibus operationibus? ut tempestiva de omnibus dispositione facta, ad tempus desideratum parata reperiantur omnia. Institutum quidem fuisse quoddam de pace colloquium, ut sub illius spe collapsus ex sinistro casu conflictus populi et militis a seditione arceretur animus; sed illud infructuosum futurum sana demonstratio; in restitutionem enim amissorum fortalitiorum et Principatus mei procul dubio non consensurum inimicum; his vero conditionibus praeteritis nec velle nec posse Sultanum pacem inire ob proprium periculum, ex militis et populi seditione inevitabile futurum. Habere

Dominum suum arma, milites, annonam et nervum sufficientem ad continuandum bellum, nec terreri sinistris eventibus, quos belli gerendi ignorantia, non strenuitatis causavit defectus; recordari me debere belli praeteriti, quod non obstantibus tot conflictibus et fortalitiis, in maxima militis et aeris inopia tot annis continuare potuerunt, quidni num inchoatum prosequentur in omnium requisitorum abundantia. Constare quidem optime sibi statum Imperatoris Germanorum, contra quem non conflictibus et rem ultimo discrimini committendo agere oportere, sed protractione belli, pro cujus continuatione, paucis elapsis annis, omnium necessariorum laborabit inopia. Parata igitur jam esse pro imminente belligeratione omnia, oportere tantummodo scire intentionem meam, qua via et modalitate velim rem instituere et gentem Hungaram assumere ac Principatum meum ingredi. Arudens ac nervosus videbatur mihi sermo, et multorum spem concipere jubebat; sed a vero obligationis meae tramite ne latum quidem unguem recedere volens reposui: congratulari me tam bene constare Imperatori suum et inimici statum et rei gerendae facilitatem, nec me aliquid addere posse perspicaci narrationi; quod me porro attinet, gratias me agere Sultano pro favorabili dispositione sua erga personam meam et confidentia, qua dispositus exercitus suos meo imperio offert subjiciendos; agere me proinde oportere, ut praeconceptae opinioni correspondeam, et ne me imprudenti fervore ingeram in ea, ex quibus magna illi et mihi subsequi possent praejudicia; ignorare me mores, consuetudines, ordinem et linguam Turcici et Tartarici exercitus, non desunt Sultano Passae ad conducendum eum suo modo et ordine; se exemplis hactenus edoceri potuit aequale robur opponendum esse inimico, quod non in numero, sed in ordine et regula consistit; oportere me proinde proprium conducere, formare et instruere exercitum secundum affidationem mihi factam, et literis Sultani confirmatam; alioquin nec ego plus virium et brachiorum habens, quam alius vix, quid utilius praestare potero; nec posse nec debere dubitare me quidem de affectu et promptitudine Gentis Hungarae et fidelitate Transylvaniae. Sed nec Sultani dignitati, nec meae conveniens foret, illos inanibus verbis et affidationibus ad capessenda

arma excitare sub spe invalidi succursus, quae manutenere nequirem illos, cum enim Turcis et Tartaris moris sit, domos suas ad hibernandum repetere, aestivis peractis mensibus, vel mihi quoque cum illis recedendum foret, vel remanendum cum populari exercitu, qui ad vires Germanorum sustinendas impar foret, et sic natio tota viae et vindictae eorum subjiceretur, et ego desolationis, non eliberationis ejus evaderem instrumentum; hinc nec posse me recedere a promissa mihi pecuniaria summa ad conducendum ex Christianis exercitum; superesse proinde nihil, quam ut meae exaudirentur propositiones et cuncta solemni tractatus instrumento ad mentem literarum Sultani confirmarentur. Questio dein mihi facta fuit de Principum Christianorum auxilio et modalitate conducendi exercitus, ad quam respondi, jam regem Hispaniae inchoasse bellum, et plurimos in Europa esse reges, qui ad res ab illo et a me gerendas attenti sunt, sed alii nervo alii moetu laborant, curae meae erit aliis mihi dandis subsidiis succurrere, alios continuatione belli a moetu liberare, dummodo praejudiciosa pacis rumpatur negociatio, et absque mora agantur omnia quae ad rem pertinere mutuis consiliis repertum fuerit. Fusius retuli primae hujus conversationis materiam, ad quam omnia mea scripta et propositiones relatae fuerant usque ad adventum Vezirii, qui decenti fastu et pompa ad finem Novembris urbem ingressus, me brevi post ad colloquium suum invitavit. Sed interea temporis omnes inanes quaestiones, mihi propositae loco responsi, et tergiversationes ac tractatus prolationes demonstravere mihi, magis ad pacem quam ad bellum intentos esse animos. Quamvis Vezirius quoque colloquium suum inde exorsus sit, patuisse nempe sibi nullum Germanos ad pacem concludendam habere animum, nec fortalitiorum expugnatorum et Principatus mei restitutionem se sperare posse, e re esse proinde, ut susceptam Sultani de combinando bello intentionem amicis meis notificem, et omnia agam et proponam, quae utilia fore viderentur, his tamen non obstantibus non interrupturum quidem se negociationis inchoatae cursum opera mediationis Angliae et Generalium Ordinum, quorum legatorum unus ad confinia relictus est, sed hoc nullam in bellicis retardationem causabunt; repetiit demum jam allata Chaime-

chani dicta, sed ego quoque torrenti opponere nolens, posteaquam paci oppositas considerationes confirmassem, et novis rationibus succincte prolatis fulcivissem, conclusi, me pacis quidem consiliis, in quantum rebus Portae proficuae, neutiquam opponere velle, sed non posse suadere, ut ejus negotiatio solummodo praedictis potentiis committatur, quae ex utilitate propria Germanorum adhaerent partibus, ac proinde consultum judicarem, ut illis aliae quoque potentiae adjungerentur, et Galliae, Poloniae, Borussiaeque reges nec non Moscoviae Czarus ad hanc mediationem suscipiendam invitarentur, cujus acceptationem primus et ultimus mihi promiserant. Tu Domine, renum et interiorum meorum scrutator, nosti quam optime, quae mea in his fuerit intentio, et quod fuerit hujus mei consilii motivum, cujus sola gloria tua modo tibi cognito fuerat scopus et finis; et quia nullum in hac re ex parte Turcarum repereram obstaculum, qui statim undique suos in hanc rem exoperandam (mihi praevie communicatas) scripsere literas, et designavere nuncios, credideram bonitatem tuam opus hoc in effectum deducturam; sed non scrutabor arcana tua, cur tu praecipitatam pacem potius concludi permiseris, quam negotium illud, ex cujus successu ego multa bona speraveram, exoperari. Sic fuit placitum coram te, et hoc mihi sufficit; sive absoluta sive permissiva fuerit tua voluntas, absit a me contrariari illi, sed pro omnibus, quae facta sunt, lauderis in aeternum. Inter haec colloquia, frequentibus cum supremo Imperii Ottomannici Cancellario habitis consultationibus, semper urgebam ego tractatus mei conclusionem, sed tempus colloquii in futilibus et ridiculis quaestionibus, tergiversationibus ac dilationibus transigebatur et inter haec finivit annus 1717. Quid dicam tibi Domine de internis impatientiae meae motibus, quibus saepe me fragilitas mea aggrediebatur. Navem, qua e Gallia veneram ad usque initium anni subsequentis in sinu Magarisei exspectare jusseram, et jam exiguam spem de promissorum mihi factorum effectuatione habens, saepe in rescriptis, Portae exhibitis, me rediturum declarabam, saepe de clandestino et praecipitato discessu consilia agitabam. Altum Portae fuit de rebus meis silentium, nullum responsum poteram obtinere; media vivendi mediocria suppeditabantur,

quae non ut ad vestiendam, exsolvendam Aulam meam suffecissent, sed vel saltem victui quotidiano mediocriter sufficiebant. E his proinde et similibus imminentia praevidens, ne me belligerationi quoquo modo ingererem, absque praevio tractatu declaravi me nihil habere ac scire velle de milite, sub nomine meo absque mandato a Generalibus meis contracto; omnis quippe intentio mea in illum vergebat scopum, ut nihil bellum concernens aggrederer absque praevia morali certitudine, nec Turcas vana rerum gerendarum spe aut incertorum promissione lactarem, de quibus ipsemet moraliter certus non fueram; satius futurum judicans, me omnibus discriminibus exponere potius, quam contra bonum et utile Principatus et patriae meae agere, aut bivio agendi modo veritatem vel in minimo laedere. Sed o divina bonitas, quantis haec, quae nunc breviter recenseo, subjiciebantur incertitudinibus, periculorum repraesentationibus ac amoris proprii suggestibus, qui sub specie boni plurima repraesentabat, quae nonnisi tua gratia adjuvante poterant discerni. Hinc plerumque pro principio statuebam illis adhaerere, quae plus repugnare, quam placere reperiebam. Tu nosti Domine, quod non me cruciaverit desiderium Principatus et exigua ejus aquirendi spes; infinita bonitas enim tua id effecerat, ut illum nonnisi in mensura voluntatis tuae desideraverim, sed quotidianae miseriae eorum, qui sortem meam secuti fuerant, quorum necessitatibus administratorum sumptuum angustiae providere non permittebant. Cum ampla familia propria et domesticorum suorum venerant Magnates Hungari in Turciam, et quamvis ingressus illorum causa nullo modo fuerim, angebar tamen tot Christianas utriusque sexus animas et parvulos in ingenti versari periculo. Subticeo plurima alia, quae mihi ab eventu negociationis pacis moetuenda fuerant, aut quae statum uxoris meae in Polonia et filiorum, Viennae existentium, concernebant. Sed tu o Domine consolabaris et sustinebas me et propterea haec tibi non querelarum, sed laudis et gratiarum actionis loco dicta sunto, in quibus annum hunc me finivisse et subsequentem inchoasse opus misericordiae tuae fuit. Parce o Domine et munda me ab occultis meis, et a negligentiis imperfectionibusque quotidianis, quae fragilitatis et miseriarum mearum opera fuere;

detestor illa, sed imisquam adhaerent mihi. sed si illa quoque pati convenit gloriae tuae, ut ego ex illis humilier et nihilum meum agnoscam, fiat in his quoque SSta voluntas tua. quae compleatur in me in tempore et in aeternitate Amen.

Ultimis anni elapsi diebus annunciatum fuit mihi per supremum Imperii Cancellarium. Sultanum die 4-ta anni hujus me videre desiderare in Consilio suo, magna diei Martis, ad quod magno apparatu et pompa, amori meo proprió innataeque superbiae in multis contraria, introductus fui. Omnia mihi invisum et insolitum praebebant spectaculum, in quo profundum ubique regnabat silentium. et hoc, ita prout et vultus Majestatis, repraesentabant timorem, non amorem. Jam tribunal imperatorium in magno et undique aperto atrio consederat, nec nisi supremus Vezirius deerat, qui per differentem portam eodem, quo ego tempore illud ingressus est, et sub craticulata fenestra Imperatoris consedit; accessere illico scribae et judicium petentes, in duos ordines distincti, unus scribarum accusatorium, alter defensorium perlegebat libellum et Vezirius paucis verbis oraculi ad instar edebat sententiam, quae illico executioni mundabatur, et ab ipso Sultano ad craticulum praesente censetur pronunciata. Profecto omnis apparatus, vestitus et aedificii dispositio vivam mihi passionis tuae o Salvator meus repraesentabat imaginem, quae utinam cordi meo tam vive quam oculis representata fuisset. Unius horae circiter intervallo duravere judicia, quae prandium, Imperatoris nomine datum, excepit longa dapium, pro more gentis conditarum serie instructum, quae singillatim apponebantur uno eodemque tempore singulis mensis pro quolibet convivarum appositis, sed vix ultra horae dimidium praelatum est prandium, et mensis convasatis Vezirius Sultano per literas denunciavit, me in colloquium suum admiti desiderare, et tandem post longam moram obtento responso a Vezirio et Chaimechanio praecedentibus per longos ambitus ductus sum ad Portam Imperatorum, ad quam quadrantis horae spatio consedimus, antequam aperiretur, quo facto, a duobus Capudzi Bassa seu Janitoribus apprehensis brachiis, ad interiora palatii inductus fui, et hunc morem honoris loco habere volunt Turcae, qui mihi summopere repugnabat; in praesentia enim Sultani ductum et rece-

dentem ad profundiorem cogebant inclinationem minis et modo sat barbaro. Brevis mea fuit salutatio, per quam adventus mei denunciavi causam, et me protectioni suae recommendavi; salutationem interpres Portae interpretatus est, Sultanus Vezirio, hic interpreti, ille mihi responsum dedit, et pro majori distinctione in praesentia Sultani a duobus eunuchis chlamide seu Cafetan indutus, recessi porrecto libello, per quem orthodoxae religionis a Graecis oppressae liberum ubique, prout illis cultum et exercitium petieram, sed irrito conatu. His taliter peractis, reductus fui ad hospitium, et quamvis de omnibus bene sperare jussus fuerim, non tamen meliorem concepi opinionem, quae profecto non me fefellit. Ad famam adventus mei signa Germanorum deserentes adveniebant Hungari, remittebantur mihi, et petebant, ut per patentes literas avocarem caeteros et congregatos mitterem ad confinia, sed audacter reponebam, oportere me scire primum per tractatum, quid ipsis sit promittendum et mihimet ipsi sperandum, nec convenire mihi dubia promittere et me diligenter fallere; sed non obstantibus rescriptis repraesentationibusque meis altum erat de rebus meis silentium; ego tamen spretis omnibus dubietatibus et malis praevisis, dum gratia tua, o Deus, meam in te auxisset confidentiam, navem quam ad usque anni finem exspectare jusseram, remisi. Sic mea procrastinabantur negotia, quae ego per particulares quoque Vezirii et Chaimechanii conversationes urgebam; sed in illis factas promissiones et amplas spes nullus subsequebatur effectus, et in his circumstantiis et rerum mearum dispositionibus advenit regis Hispaniae ad me missus ablegatus, qui me de principis amicitia, consideratione et protectione certum reddens, declaravit, se utilitates meas semper cordi habiturum, et causam belli, quod suscepturus sum, pro communi reputaturum, et in hunc finem, quod si per tractatum a Porta de iis, quae Christianae religioni congrua petiero, assecuratus fuero, se quoque per tractatum in societatem belli accessurum. Quis politicorum est, qui non credidisset adventum ejus rebus meis maximo futurum emolumento, et tractatus conclusionem acceleraturum; hic fuerat adventus mei non contemnendus fructus, res in imperio Turcico nunquam audita nec sperata. Sed tibi soli nota decreta tua, Domine, omnia

haec reddebant infructuosa, obduratae fuerant Turcarum aures, et regnans avaritia, segnities et timiditas tam favorabilibus rerum dispositionibus se opponebat: pacis negociationem ejus concludendae desiderium urgebat, legati Angliae et Hollandiae mediatores ad congressus locum determinandum missi sunt, ego tamen impudenter assecurabar, nihil conclusum iri absque restitutione amissorum et principatus mei mihi. Valedicebam per rescripta, reditum parabam in Galliam, praejudicia et mala subsecutura repraesentabam, spem meliorum faciebam, sed surdis canebam fabulam, nec quidpiam respondebatur mihi. O Domine quam amplam humana prudentia et mundana principum politica in his, quae mecum eveniebant, reperisset solicitudinis, diffidentiae, impatientiae periculorumque materiam, si illa omnia per gratiam tuam et confidentiam in te repulsa non fuissent a mente mea; non ignorabam ego ea omnia, sed committebam me curae tuae; obligationi enim meae consonum credebam regum, quibus mediatio uti dixi proposita fuerat, exspectare responsa; et in his incertitudinibus hyems integra transacta est. Bellicae non negligebantur dispositiones, et vere imminente quamvis coacta compellebatur ex amplis Imperii finibus militia, invitabar saepe a Vezirio et jam triginta Albanorum millia, jam Tartarorum aut Turcarum pro lubitu denominandus numerus offerebatur mihi, cum quibus vel correspondenter operarer cum Vezirio, vel irruptionem tentarem in Principatum meum. Sed ad haec et similia ego quoque surdus fueram, rationibus facile demonstrando inutilitatem talium expeditionum, quae corpore regulatae militiae non fulcirentur. Mense Aprili Vezirius in magna pompa luxum magis, quam bellicum apparatum repraesentante, urbe egressus, castra fixit in campis suburbiis adjacentibus, et ipso die resurrectioni tuae sacro me ad colloquium invitare fecit horis pomeridianis. Credibile fuerat me jam 17 ab adventu elapsis mensibus, aliquod ad tot repraesentationes verbo seu scripto responsum accepturum. Legati Hispanici mihi factae propositiones repraesentatae fuerant, pax incerta, belligerationis tempus imminens, serias de futuris quoquomodo eventuris consultationes urgebat; illa occasione exposueram ego ingentes bellicos apparatus, qui fiebant in Hispania, de quibus per literas Ministri Universalis

Cardinalis Alberoni, et adhuc fusius per ablegatum ad latus meum commorantem, informatus fueram, appromissumque fuit mihi: secundum petitum meum Portam deputaturam Ministros ad tractandum cum plenipotentiariis meis, ac praeterea acceptaturam mediationem regis Hispaniae per literas ad conciliandam pacem cum Venetis, nec contra illos offensive acturam classem. Sed tam speciosa promissa altum de his silentium subsecutum est, inter quod imperato nuncio allatum est mihi, Vezirium depositum et in ipsius locum Chaimechanium, Sultani generum, elevatum fuisse, qui quondam invitationis meae principale instrumentum et factorum mihi promissorum denunciator fuit, magnam rerum melius gerendarum spem facere potuisset, si ex apparentiis et superficialibus petiisem judicium. Sed primi mobilis genium et fontem, unde emanabant omnia considerans, non principia, sed tantummodo personam mutatam fuisse instrumenti, facile cognovi. Excepit novus minister congratulationem meam per residentem meum, et familiarem epistolam, factam amicissime et cum amica exprobratione tarditatis, siquidem trium dierum mora effluxerat, antequam prae nimio gratulantium affluxu personam Vezirii accedere potuisset, et diebus aliquot elapsis, ad colloquium invitavit, desiderans, ut Ablegatum quoque Hispanicum mihi adjungerem, qui cum mihi et per me factas propositiones reiterasset, faventer exauditus, sed absque formali responso ad propositiones, sola appromissione deputandi ministri ad tractandum facta, una mecum recessit. Interea sub novo ministro novae et urgentiores renovabantur dispositiones bellicae, augebatur transmarinae advenientis et undique ad confinia confluentis militiae fama potius, quam numerus, ampliabatur tentorici castrorum locus callonibus refertior, quam militibus, rumores de pacis negociatione in confiniis tractata variabantur, jam pro, jam contra, et suspensos tenebant animos; accesserat me supremus Imperii Cancellarius cum nova adursione et invitatione, ut me cum Vezirio ad campum praepararem, et posteaquam reiterassem, me lubenter consensurum, concluso praevie tractatu, petiit, ut ejus puncta cum ipso communicare vellem. Noveram quam optime scopum intentionis ejus fuisse, ut puncta, quae nonnisi deputando ministro exhiberi facere per plenipotentia-

rios meos declaraveram, praevie reciperet, sed cum se ad tractandum deputatum esse declarasset, sepositis formalitatibus per Aulae meae praefectum Nicolaum Zibrik et Residentem Franciscum Horvat puncta exhiberi curavi. Legit ille illa, et posteaquam omnia facile accordanda futura declarasset, jussu Sultani insperate avocatus, recessit; sed aliquorum dierum spatio interposito redux declaravit, pacifica praevaluisse consilia, et eam concludere deliberatum, securum tamen me esse debere, Portam absque restitutione Principatus mei nihil facturam, puncta tamen tractatus se supremo Vezirio tradidisse, super quae responsum dabitur; optare Portam, ut castra ad omnem eventum (casu quo pax absolute concludi nequiret) paratus sequerer. Sed his breviter reposui. hac denunciatione taliter intellecta, nihil mihi restare, quam Vezirium accedere, ut illi valedicerem, et unde veni, illuc redirem; non me fuisse invitatum ad tractandam pacem, sed ad bellum gerendum; periculosum foret mihi in his rerum circumstantiis Germanorum exponi oculis, et nec satis honorabile castra seu supplicantis, seu subalterni officialis ad instar sequi, nolle me ullo modo pacificis consiliis consensum praebere absque interventu potentiarum, quarum mediatio expetita est, et quia vana foret spes mea obtinendi principatus mei per hanc negociationem; id potius peto, ne nomen quidem meum proferatur in ea. Nosse me odium, quo Aula Viennensis in me geritur, et propterea satius praedico praevie e finibus imperii discedere, ut, si iniqua ratione personae meae peterentur, Porta reponere possit potius me discessisse, quam ad sibi dedecoras, mihi inhonestas, propositiones condescendere, petere proinde, ut de itinere et hospitio meo Constantinopoli fiant dispositiones, quo discedere quoquomodo me resolvi, tempus requiri ad praeparandam et conducendam navim, itineri meo necessariam, interea negotium pacis decidetur: quod si coactum bellum subsecutum fuerit, tractatu concluso, honestius erit mihi redire, quam hinc relegari pace conclusa; his proinde interessis suis convenientibus, supremum Vezirium consensurum sperans, ipsum convenire peto, ut valedicam. Hae fuere meae resolutiones, sed difficiles mihi fuissent horum executiones, omnis enim sumptus ad haec necessarius defuerat mihi; nam nonnisi victui necessaria sup-

peditabat mihi Porta; sed speraveram, te Domine his provisurum; motiva enim statui, religioni et per consequens praeceptis tuis consona videbantur mihi; periculosum erat invita Porta aliquid aggredi, periculosum pacis conclusionem exspectare, quam victores praescripturi erant; coactis militibus praevidebam et timebam subsequendum silentium et Vezirii discessum peremptorium, cujus tempus adesse non tantum surdi rumores denunciabant, sed et dies praefixus fuerat; non amplius homines mei ad ipsum accessum, non scripta reperire poterant, continuis excusationibus et tergiversationibus de die in diem protracti et remissi. Sed in his omnibus humanae mentis ac prudentiae angustiis et fragilitatis nostrae suscitatis procellis tu me scuto bonitatis tuae protegebas Domine, et quia humanum non potuit esse, vere tuum et gratiae tuae fuit, non turbari non contristari, sed tranquillum persistere. Subticerem ego haec lubens, si haec aliquando legendarum judicia evitare studerem, quorum fors alii mendacii, alii jactantiae et vanae gloriationis de misericordiis tuis arguere poterunt, sed grande nefas foret, gloriae et laudis tuae subicere argumentum, cum sciam, haec te mecum non propter me, sed propter temet ipsum fecisse. Quodsi tuum fuit o Domine me determinare ad scribendam hancce confessionem meam, ut opera et mirabilis conductus providentiae tuae appareat ex illa, non tantum consonum est huic fini haec nude propalare, sed fors falsae et peccaminosae humilitatis foret subticere, et haec immensa beneficia gloriae tuae detrahere. Non, non, o Domine; absit mendacium a labiis et fucus a calamo meo; tu scis me non gloriari, nisi in te, nec firmitatem constantiamque meam in tam adversis dubiis et periculosis ad me, vermem, cinerem et omni pulvere terrae leviorem ac arundine agitabiliorem, referre vele; effectus hi fuere confidentiae meae in te; sed confidentia opus fuit misericordiae; tu me consolabas, confortabas et protegebas, quia a te solummodo petii consilia, in te confidebam et voluntatem tuam in statu vocationis meae sequi valebam; sed haec omnia feci, quia tu faciebas in me; sequebar eim, quia ducebas me; disce proinde o homo ex his, quam sit dulce adhaerere Deo, disce princeps quam sit salutare et utile spe ipsi confisa perseverare in statu obligationis tuae, et

humanae prudentiae suggestiones in conspectu Dei relatas examinare. Hae repraesentabant mihi futurum, ut Aula Viennensis me sibi extradi cum caeteris Magnatibus, in fidelitate mea perseverantibus, peteret, et Turcas pacem quoquomodo desiderantes, victorem formidando, sub ipso tractatu, in campum deducto et ad omnia parato exercitu, compellere posse. Non defuerant similium recentia exempla; Tökölius enim propter spem pacis, Turcis a Germanis sub hac conditione factam, Varadini ex permissione Portae arestatus fuerat, et procul dubio extraditus fuisset in manus inimicorum, si hac conditione pax conciliari potuisset. Sed non obsante hac justa praevisione durum nec religioni consonum visum fuit mihi Magnates Ungaros cum uxoribus et tenellis prolibus ipsorum propriosque domesticos, fuga mihi clandestina, exponere; nec enim aliud suppeditabatur remedium; hinc posteaqum iterato te, Domine, de his consuluissem, sedasti incertitudines meas, et me confirmasti in intentione nihil tentandi voluntati Portae contrarium, etiamsi Vezirius absque colloquio, mecum praevie habito, discessisset. Sacrum Pentecostes diem sequens destinatus fuit discessui; sed ipsa die Festi per interpretem Portae et ad latus meum ordinatum Capuzium ad colloquium Vezirii invitatus sat amplam collocutionem habui cum eo; recognovit ipsemet nec meis nec Portae rebus convenire, ut rebus ad pacem vergentibus exercitum sequerer; rogare tamen me, ne discessum praecipitarem, quamvis enim pacis futurae non desint apparentiae, possibile esse, illam non fieri, nec illum in illa intentione progredi in campum, ut leges sibi praescribi permittat; quodsi vero pacis tractatus rumperetur, utile esset, ut ipsum sequerer non tanquam Subalternus, sed tanquam amicus Portae, cujus lubens sequeretur consilia; facile fuit mihi ex his videre intentionem ejus, quam impugnare quia contra torrentem niti fuisset, consensi illi quidem, sed urgebam, ut dispositiones fierent de hospitio meo in vicinitate Constantinopolis, et vecturis itineris, ut si pax ad conclusionem tenderet, praevie et sat tempestive discederem; quod quidem appromissum sed tardius, quam volebam, executioni mandatum fuit. In his terminis constitutae fuerant res meae in Turcia; sed his quoque sensibiliori afflictione voluisti me probare, Do-

mine; tangebat me ille tactu intrinseco cordis humani, et in illis rerum conjuncturis extremorum quorumlibet periculorum opinioni subjiciebat me. Magnam opinionem conciliaverat mihi adventus ablegati Hispanici non solummodo apud Turcas, sed et apud Christianos principes; benignissimas ille a rege suo attulerat literas et ampla promissa; sed cum minime sperassem, literis solummodo Cardinalis Ministri absque regis recredentionalibus (quibus ablegatos revocare moris est) revocatus est peremptorie. Monstrabat mihi hic missioni ejus dispar procedendi modus contrariam Aulae dispositionem, nec causam penetrare poteram, cur mihi de hac re nihil fuerit scriptum. Sana ratio demonstrabat inutilitatem commissionis ejus, rebus ad pacem tendentibus; sed credebam rem hoc ordine institui debuisse, ut minister, cum caractere expresso ablegati missus ad latus meum, recredentionalibus revocaretur, nec sine formali valedictione et declarato Regis mandato recederet, et fatebor tibi Domine hanc rem residuum amoris mei proprii et vanae gloriae vive tetigisse; huic circumstantiae addebatur repraesentatio periculi; non enim absque ratione poteram credere, considerationem protectionis regis Hispaniae retenturum Turcas, ne quid praejudiciosi mihi Germanis promitterent, et in casu discessus quoque hinc ad Aulam tanti Regis securum et honorabile me habiturum refugium, Ministro ejus comitatus; sed hae omnes spes in momento evanuerunt. Rumor fuerat jam tunc de colligatione regum Galliae, Angliae cum Imperatore, ut regem Hispaniae ad deponenda arma et conservandam sartam tectamque Ultrajectensem pacem adigerent, et rationabile fuit suspicari propositioni Colligatorum regem Hispaniae praebuisse aures. Sed haec ipsa consideratio metum augebat, ne Turcae, promissis meis contrarium videntes effectum, pace non succedente et adhuc in bivio existente, indignati Ministrum retinerent invitum, qui sibi plurimas de his formans suspiciones, de se subducendo cogitabat. Fueram ego ipse illius opinionis, ut sub praetextu itineris mei Constantinopolitani me in illam urbem praecederet, et inde conscensa Gallica navi discederet. Sed pridie abitus sui a vice Vezirii ad latus Sultani gerente Chaimechanio nunciatum fuit mihi, se absque scitu Vezirii non posse consentire in abitum ejus; legato enim

ad me misso convenit, ut mecum itineretur, et ad latus meum resideat, nec posse extranei Principis Ministrum, nec ad Sultanum missum, absque consensu Portae Constantinopoli manere. Nihil poteram ad haec reponere quidem; sed res suspicionem auxerat, et coepit me veritatem Vezirio nude repraesentare. Nuncio igitur ad ipsum misso, declaravi Regem Hispaniae ex publicis ab Aula Viennensi sparsis rumoribus de negociatione pacis persuasum pro habenda genuina informatione de intentione Portae et de rebus mecum actis ablegatum suum revocare, fors remittendum, si opus fuerit, nec me illum retinere posse nec convenire itineri ejus moram causare. Quodsi enim negociationis inter Imperatorem et Regem Hispaniae institutae fama vera est, detentio ministri periculosa erit Portae et Regis vindictam producere poterit; petere igitur me, ut dispositiones congruae fiant de discessu ejus cum omni convenienti decore, caracteri ejus debito. O Domine quantas hae circumstantiae causaverant mihi inquietudines, inter quas, quamvis plurimas ab amore illo proprio et fors vana gloria procedentes, bonitas tamen tua non deserebat me, sed consolabatur, et suam ad se revocabat confidentiam; tranquillum dignabaris mihi dare animum, et tandem ex hac labyrintho dignatus es me educere per responsum Vezirii, qui se discessui legati quidem non opposuit, sed me requisivit, ne ipse discederem; tantas enim subortas fuisse de pace difficultates, ut majores rumpendae negociationis essent apparentiae, quam concludendae pacis; omnia enim eo ordine procedunt quo futura praedixeram, et Germanos immoderatas formare praetensiones, omni die magis et magis aggravantes; finalem proinde se dedisse resolutionem, cujus effectum per reditum cursoris praestolari significabat. Chrisis haec fuerat rerum, qua uti Turcae ignorabant, conceperat Aula Viennensis magnam spem pacis cum Hispania ex interventione colligatorum potentiarum, et propterea ad initium congressus ministrorum personam meam cum universis Hungaris captivam et vinculis onustam manibus tradi cupiebat, et Moldaviam Valachiamque ac Bosniam cum tota Servia possidenda cedi et hae, sed maxime me concernens praetensio jam 15 diebus suspensam tenuerat negociationem; si quidem procul dubio te, o aeterna miseri-

cordia, sic disponente declaraverat Vezirius, malle se negociationis cursum penitus rumpere, quam personae hospitis a Porta invitati aliquid praejudiciosi concludere legibus religionis suae contrarium. Interea advenit Regis Hispaniae resolutio, qui propositiones Colligatorum rejiciens, classe sua Italiae (Imperatoris milite vacuae) minabatur; Aulaeque Viennensis tam subito mutavit elationem, ut si Turcae rerum momentis uti scivissent, longe sibi utiliorem ac honorabiliorem pacem concludere potuissent. Sed o Domine ita prout acta sunt scripta fuere haec in aeternis decretis tuis; tu me huc duxeras; te alliciente ego me tibi tradideram; probasti me sed non secundum cognitionem iniquitatum mearum, sed secundum misericordiam tuam fecisti mecum; et ad illa quae tibi soli nota sunt conservasti et liberasti me a laqueo venantium. Quis sum ego Domine, ut tibi dignas rependere valeam grates, vermis et cinis, pro omnibus quae retribuisti mihi? Heu quam saepe dixi tradere me tibi; sed nec hoc potui sine te, nec secus permanere valeo absque te; posuisti enim me contrarium tibi, et vere factus sum mihimet ipsi gravis, quoniam gravitas mea omni die omni momento retrahit me a te; tu summa es perfectio, ego massa terrea, figmentum inane, vas vacuum; reponere dignaris in me thesauros gratiarum tuarum, sed ego omni momento labor, illidor et frangor; scio o Domine, nihil te debere mihi, sed omnia me debere tibi, et propterea nec peto, ut meum quid facias propter me, sed propter te; creatura enim tua sum pretioso sanguine filii tui redempta et tot titulis tibi debita; et hoc est argumentum confidentiae meae; voluisti esse pater meus; quidni ego sperem in te, quod si ego remansero filius in continuo timore amoris ambulans in conspectu tuo. Vere o Domine tibi debeo ego, quidquid sum, non tantummodo in ordine creationis ac conversationis naturalis, sed et politicae. Quod potuit esse majus periculum illo, in quo versabar sub cursu tractatus pacis? Cujus nimium erat desiderium ex parte Sultani, a cujus voluntate vere nec latum unguem discebat belli nec avidus nec gnarus minister. Legistae populus et miles, sed praecipue primi (longius quippe a theatro belli dissiti) bellum videbantur anhelare et magnam de me opinionem concepisse; hinc quotidiani suboriebantur rumores

de mutando gubernio, occidendo Sultano et ministerio; similia enim publice solent effutiri; sed omnis haec multitudo contrariantium fuit acephala; tota enim politica regnantis in eo consistebat, ut omnes alicujus momenti homines sub pratextu gubernii in longissime dissitis provinciis teneret. Siquidem jam tum, dum e Gallia discessissem, pacis negotiatae rumor increbruerat; prudentia, quam tu Deus dare mihi dignatus es, ductus rogaveram Regni Regentem, amicissimum mihi Principem, ut legato Regis de me omnibus modis manutenendo serios daret ordines, sed in eo quoque frustratus sum. Spes mihi acceserat in consideratione, uti dixi, et Regis Hispaniae protectione; sed haec quoque, discedente et revocato legato ablata est, tu quippe voluisti mihi directe monstrare potentiam tuam, et ipsa pacem desiderantia segnia et pusillanima corda confortare in protectionem meam, ut novo et tam sensibili exemplo doceres, quam sit bonum cofidere in te. Tam secrete agebantur omnia in negociatione, ut nihil ego de iis rescire potuerim; sed tamen praevisis non angebar periculis; tu enim me disposueras mentem meam et ad ipsam mortem quoque et captivitatem tolerandam praeparaveras; et quia nihil praeter voluntatem tuam desideravi tranquillus perstiti. Urgebam iter meum Constantinopolitanum, sed necessariae dispositiones differebantur. Interea pax conclusa et signata fuit; sed nec hoc quidem denunciatum mihi; sed quadam die Chaimechanius, Vezirii uti dixi locumtenens, denunciavit mihi, se a Vezirio accepisse et jam Constantinopolim misisse ordines, ut urbe, magna ex parte incendio consumpta, in vicinia secundum petitum meum praepararentur hospitia, et hanc denunciationem ego honestae insinuationis loco accepi tempus esse, ut discederem; repetii igitur vecturas et equos, de quibus dispositiones factas esse responsum est mihi, nec quid desiderari, quam uti discessui meo diem praefigerem. Imminebat dies assumptioni Virginis Matris tuae sacra, quam quia incommoditatibus itineris exemptus transigere volebam, ex mente ad latus meum existentis Capuzii Passae quoque impedimenta graviora praemittendo, decimum abinde diem egressui meo ex urbe, quae ad 16. Augusti incidit, disposui. Sed cum pro aliis negotiis, Magnates Ungaros concernentibus, et passu impetrando ho-

mini meo, ad Vezirium mittendo, Residentem meum ad Chaimechanium misissem, ab ipso reduce stupens audivi Chaimechanium mihi denunciare se passus literas non expediri curaturum, donec urbe egrederer; oportere proinde, ut festinarem complacere Portae desiderio, nec tempus quaesitis modis differrem. Fateor o Domine me indignatum commotumque fuisse indignitate responsi, et illico denunciasse ipsi: Ignorasse me hactenus invitum esse hospitem Imperatoris, et discessum meum a Porta urgeri; pro quo dispositiones fieri ab abitu Vezirii urseram, sed jam ex his intellecta voluntate Portae nimio dedecori duco vel unius horae morari spatio et oneri esse; declaro proinde, quod ipso momento lubens discederem, sed nullis suppeditatis curribus hactenus adhuc triduum exspectare cogor; quibus praeterlapsis ipse solus paucis meis domesticis, equos habentibus, comitatus urbe excedam potius in vicina sylva remanentem exspectaturus familiam, quam ut diutius in urbe subsistam ingratus. Conturbatus est Chaimechanius ad insperatam resolutionem meam, et Capuzium misit ad me denuncians me nunciatis mihi nolle urbe pellere; gratum quippe et invitatum hospitem me esse, sed tantummodo timuisse ne Vezirius sibi imputet moram meam, cum modata ejus de praeperandis necessariis itineri meo pridem acceperit, et omnia parata praestita fuisse ipsi relatum fuerit. Sed ego brevibus reposui nihil me mutaturum in resolutione mea, nisi ipse nomine Portae rogaret, ut diutius triduo commorer, quod ipse alacriter praestitit, cum viae pro primo termino, discessui meo praefìcto, necessaria praestari potuere; interea ego homines meos promisi, qui hospitia designata perlustraturi mihi adhuc in intinere relationem facturi occurrerent. Sic Domine te disponente factum est, ut ipso anniversario die egressus mei ex solitudine mea Adrianopoli discederem; tibi solum notum est scrutatori cordis mei, quam differens fuerit internus Status meus, et quomodo occasionibus humiliationum patientiae ac contrarietatum, quas suppeditarunt mihi te permittente infideles, usus fuerim; mihi quippe nonnissi negligentiae, imperfectiones et fragilitates meae notae sunt pro quibus semper veniam peto a te, semper enim relabor et recido. Tu scis Domine quod in Turciam absque spe et confidentia in promissis

mihi factis venerim; modum tamen mecum procedendi in plurimis tam inusitatum et moribus Christianis in illis quoque, quae honoris loco praestari dicuntur, tam contrarium imaginari mihi nequiveram; gratulor proinde in gratiarum actione, si adversa pro placito tibi sustuli, et doleo, si quid facere neglexi; compatere infirmitatibus meis Domine et adjuva me in occasionibus, quas dare dignaberis mihi; nihil enim possum sine te.

Die uti dixi 16. Augusti illucescente, necdum sole orto, Adrianopoli discessi; equi et muli ex Imperatoris stabulo administrati fuerant pro aula mea, et secundum consuetudinem gentis, ut calores diurnos evitarem, noctu progrediebamur; de die subsistebamus in tentoriis, et sic procedens in quarta, ni fallor, statione obviam venit mihi architectus, quem ad visitandum hospitium praemiseram, cum ampla sed nimisquam ingrata relatione; retulit quippe pagum Bujukdere et Saarijar, qui in mandato Vezirii ad locumtenentem Constantinopolitanum denominati fuerant, nonnisi exulum fuisse semper habitaculum; domum esse desolutam portis, fenestris tabulatis, gradibus carentem; nec ullo modo sufficientem ad continendam aulam; repraesentata fuisse haec Chaimechanio, se respondit, non posse se data sibi mutare mandata, nec aliud assignare hospitium, et hoc fuit amplae descriptionis compendium, quod Residenti meo Adrianopolim remisi; et ipse inter varias sed affligentes cogitationes iter continuabam. Ignorabam enim, quid de me in pacis instrumento conclusum fuerit; sed modus iste mecum procedendi omnia adversa praesagiebat mihi. Non tam propter me videbatur mihi gravis status meus, quam propter adhaerentes mihi, quibus nec stipendia, nec vestes suppeditare valens; quo majori suas ferebant necessitates patientia, eo majorem meum conciliabant affectum et sollicitudinem; sed nullum his sublevandis suppeditabatur remedium, nisi recurrendo ad te, et offerendo me tibi cum ipsis. Dignabaris consolari me, ego illorum studebam sublevare animos; sed haec nonnisi verbis poteram exequi, quamvis nec illis meliorum spem facere poteram. Jam ad tertiam ab urbe stationem perveneram, et ego Capuzium praemittere volebam ad Chaimechanium, ut de incommoditatibus assignatae domus

repraesentationes nomine meo faceret, et homini fors statum invitationem et causas itineris mei Veziriique benevolum in me animum ignoranti exponeret; sed cum ille quoque (qui ad latus meum ad similia praestanda ordinatus fuerat) hoc facere recusavit, nihil aliud potui supponere, quam quod particulares et secretos de his omnibus sic agendis habuerit ordines; et me ex complacendi Aulae Viennensi studio mitti in exilium. Urgebat me de accelerando itinere, ut equi Sultani et pretio conducti currus quanto citius remitti possint; et haec omnia praeconceptam opinionem confirmabant. Ratus proinde frustra esse calcitrare contra stimulum, et niti contra torrentem, acuto diurno itinere decima, ni fallor, statione a discessu meo Adrianopoli ad suburbia Constantinopolitana fixitentoria, et die sequenti in prata, pagis habitationi aut potius exilio meo destinatis vicina, transtuli. Consuetudo est Turcarum plus fidei objecto cuilibet Musulmanno adhibere, quam Christianis; hinc facile persuadebam mihi relationes Chaimechanii semper praevalituras apud Vezirium; hinc ut veritas ipsi confirmetur Turcarum testimonio nunciavi Capuzio, me velle sumptibus propriis domum assignatam reparare facere; petii proinde, ut ducat secum architectum, cum quo convenire possim de pretio restaurandorum. Animus erat mihi initum contractum Vezirio transmittere, ut ex illo demonstrem aedificii ruinam. Adfuit igitur tempore praefixo ille thesaurario Constantinopolitano comitatus, et in desertam domum perlustrandae illius gratia descendentem exspectaverat. Persuadere volebat unus domum esse habitabilem, et facili opere reparandam; dummodo me in illam transferam, sed respondi rem ita esse quidem, sed non pro commoditate hominum sed hirundinum intelligi debere; aliud pro his et pro me requiri hospitium, cujus a Vezirio futuram designationem sub tentoriis exspectare statui, et sic discessi; sed in eggressu domus jam equo conscenso ipsummet Bostangiorum Passam aedificiorum et hortulanorum Sultani supremum inspectorem, hominem senem et me affabili sermone alloquentem, obvium habui, qui me gratum sui Domini hospitem esse proferens, ad id advenisse dixit, ut mihi in omnibus a munio suo dependentibus inserviat; cui paucis verbis pro humanitate gratiis actis, redii ad prata, in quibus stationem

figere decreveram. Adfuit aliquo post tempore Bostangius ad vicinam maris ripam, et mihi denunciavit se petere, ut aliquem meorum mitterem ad perlustranda loca, in quibus habitare magis placeret mihi; adjuncturum se ei hominem suum, qui sibi meorum opinionem referat. Meliorem spem faciebat mihi haec denunciatio, et petitis ejus lubens satisfeci quidem, sed sequenti die Chaimechanius seu locumtenens Vezirii Consinopolitanus nunciavit, nequire se locum, habitationi meae in mandato ad se misso expressum, mutare; nisi si Nicomediam ubi Tökölius habitaverat, trajicere vellem; quamvis enim hoc in mandatis non habeat, si tamen hoc iter mihi suscipere placuerit, rem sic se suscepturum. Reposui non credidisse me exilium meritum propterea, quod invitationi Sultani tam solemni modo factae satisfecerim; si tamen de his mandatum habet, me violentiae opponere non posse. Interea Bostangius rediit me visitandi gratia, quod singularis honoris loco habere debui, cum sit unus e primariis Palatii officialibus; dulcorabat semet ille humanitate et civilitate loquelae suae calicem, qui potandus propositus fuerat mihi, et omni promptitudine demonstrata posteaquam, ei Aulae meae praefectum adjunxissem, omnes in pago domos visitavit, ut sufficientia Aulae meae commoditati hospitia designare possit; sed non obstante sedula cura ejus ruinae proximae domus fere omnes inhabitabiles fuerant, et ideo declaravi me non illas ingressurum, nisi repararentur. Expedivi proinde hominem meum ad supremum Vezirium, qui ei cuncta, quae mecum acta fuerant, denunciaret; et mansionem meam sub tentoriis magna cum incommoditate domesticorum continuare cogebar. Dietim augebatur aegrotantium numerus, et stationis autumnalis intemperies morbos producebat acutos; nullum tamen praeter patientiam supererat remedium, cum vix meliorum spes affulgebat. Quamvis enim Chaimechanius ex omnium relatione intellexerit, domos mihi assignatas inhabitabiles esse, nunquam tamen rei veritatem perscribere voluit Vezirio; sed tantummodo quod domos mihi assignatas inhabitare nolui; quapropter juste timere potui, celata rei veritate, offensam potius Vezirii quam favorabiliorem mutationem. Inter has incertitudines elapso aliquot septimanarum spatio, aliquot diebus, antequam cursor

meus rediisset, misit ad me Chaimechanius, accepisse se mandatum, ut si mihi vicinus pagellus Tarabia nuncupatus magis placeret inhabitandus, me in illum transferrem; sed domo proposita visitata, cum illam puoque inhabitabilem reperissem, renunciavi me inter duo mala eligere non posse nec velle; reparent domum quamcunque voluerint et reddant habitabilem, lubens occupabo eam; sed nolo, ut Vezirio scribat me unam aut alteram elegisse, ne Vezirio adveniente, malae accomodationis meae ipse sim causa; cum haec mecum ita agi non persuadeam ipsi nota esse; nec me fefellit opinio; paucis enim postea diebus venere mandata, quibus Chaimechanius correptus fuit, et cura dislocationis meae amico mihi Bostangi Passae commissa, qui in pago in quo haec scribo Jeniku sat commodas mihi assignavit domos, in quas cum magno infirmantium et acutissimis morbis laborantium domesticorum numero me contuli, ex quibus duo extremum clausere diem, quibus ut tu Domine ex misericordia tua aeternam requiem dare digneris, te humillime exoro. Haec ad mensis Septembris initium facta fuere, sub cujus finem classis tota, et paucis post diebus Sultanus quoque magno et splendidissimo cum apparatu urbem ingressus est. Hujus pompae spectator ego etiam esse volebam; sed quia urbem propterea ingredi nolui, ex vicinissimo viae, per quam urbem ingrediebatur, horto particeps spectaculi effectus sum; sed o Domine illud gratiae tuae adscribere debeo, quod tantam ad omnem luxum, splendorem ac Majestatem instructam pompam plus detestaverim, quam ambiverim; repraesentabatur mihi in illa vera illa mundi pompa, cui Christianus in baptismate renunciat, et cujus tota gens Ottomanna in omnibus actibus suis studiosissima imitatrix est; ad luxum et fastum instructa fuerant minutissima quaeque, et vitae prae se ferebant superbiam; hinc omnis illa hominum multitudo, principi mundi subjecta, cruci et humiliationi filii tui tam contraria fuerat Domine. O bonitas infinita, quanta est gratiae tuae virtus, quae cor hominis ab his vanitatibus avellere potest; quantus fidei effectus qui illis cruces et tribulationes praefert; quae sensibus nostris tam contraria, illa vero tam delectabilia sunt. Miracula sunt haec, quia asueti sumus, vix noscimus; loquimur de Christiana et spirituali vita, sed ejus

excellentiam considerare negligimus, et ejus supernaturalem statum contemnimus; dum mundum ingredimur sub vexillum crucis per baptismum inscribimur, et militiae tuae nomen damus, fidelitatem tibi vovemus, mundo, carni et daemoni bellum indicimus, quamvis carne circumdati in mundo vivere debeamus; quidquid tu Domine nobis proponis et sequi debemus, excedit caputum, superat intellectum, quidquid daemon suggerit, cadit in sensus et est illis proprium; caro, et natura nostra appetit haec visibilia ac comprehensibilia; altera invisibilia et incomprehensibilia sunt. Ista ducunt ad salutem, altera ad damnationem; quis sine te inter haec discernere vivere et progredi potest? aut quomodo illa, quae praestat, viribus suis adscribet? Non, non, Domine; absit a me credere quid habere proprium, nisi nuditatem, nisi miseriam et fragilitatem; dedisti mihi voluntatis libertatem; sed nisi illam ad invisibilia et incomprehensibilia supernaturali gratia tua allicias, semper tendet ad visibilia, comprehensibilia et naturae meae delutabilia, Propterea extra memet ipsum et in te oportet me esse, et te in me, ut bonum faciam. Tu debes vivere in me, ut ego non moriar; aut potius mori debeo mihi, ut vivam tibi. Haec sunt Domine, quae tu me doces in regione tam dissita a te; et inter gentes quae nonnisi blasphemando noscunt nomen tuum, et quorum vita, mores et doctrina opposita est Evangelio tuo; coguntur tamen agnoscere illud esse bonum et sanctum, sed obcoecuti convertuntur ad fabulas; et quia in tuo baptismate non regenerantur, circumscinduntur in carne, sed non in corde; Charitatem et misericordiae opera exercent erga proximum, jejunant, orant, castitatem recommendant, injurias condonant; sed quia pretium sanguinis filii tui et passionis ejus sibi non applicant, interitus est finis eorum. Mirabilia sunt, o Domine, judicia tua, quae mihi saepe de gente Turcarum repraesentare dignaris, et ex illis credo divisionem regni Juda a regno Israël figuram divisionis orientalis et occidentalis Ecclesiae fuisse. Posteaquam enim totum ferme mundum, a falsorum Deorum cultu avocatum, ad agnitionem tuam duxisses, pastor ille bonus filius tuus unum e populo hebraeo et gentilibus effecit; ovile lapis angularis conjunxit parietes, et crucifixus omnia traxit ad se; sed vix stabilita fuit religio, in-

choavere haereses; aucto enim numero credentium et in congerendo tritico in horrea congerebantur et palea; et ut elucesceret doctrinae veritas permisisti Domine, ut exsurgerent haereses, quas superbia et humani ingenii inquietudo produxit; durum est intellectui se in obsequium fidei incaptivare, et hinc mysteria capere volens, quia ad illorum agnitionem ascendere nequivit, illa captui suo proportionare inchoavit; excedebat inquam captum: Deum potuisse fieri hominem, et ideo Christi deitatem sumpsit pro primo objecto, et quo plus defendebatur veritas, eo plus examinabantur scripturae; sed in differenti spiritu; alii errorem manutenere volentes, cumulabant errores; alii veritatem scire quaerentes, sciolitate sua novam dubitandi reperere materiam; quam quia propriae accomodabant sciolitati, novas parturiebant opiniones; inter haec tamen omnia ingenii humani curiosa figmenta veram religionem manutenebas Domine, per doctrinam illorum, qui veritatem in simplicitate fidei quaerebant, et qui id inquirebant, quid sit credendum, et quomodo, non cur credendum; sufficiebat enim illis ad fidem reperire quod tu dicas; cum vere in hoc consistat vera agnitio veritatis, quoniam verum nonnisi veritas docere potest; inter tot ac tantas dissensiones, uti praetuli, contestationes laedebatur charitas, superbi capita sua erigebant super humilem simplicitatem orthodoxorum, et tanquam filii mundi mundanorum principum complacentiis, adulationibus et variis artibus demerebantur favorem, et in ipsius Constantini pientissimi principis exemplo vidi, quanto facilius est adulatorum aulicorum evitare venenum, quam Episcoporum. Dilatata per gratiam tuam Ecclesia, sanctitati Ecclesiasticorum successit authoritas sibi vindicata, pro qua concilianda affectabatur splendor externus, qui redituum augendorum induxit desiderium, quod successu temporum in dominandi cupiditatem degeneravit; qui leges tuas et Sanctorum praedecessorum suorum instituta ita praevaricata sunt, per hos gradus descendebant de sancta et eminenti sede caracteris eorum; sed in hominum opinione alium sibimet ipsis fabricatum conscendebant thronum, abutentes talentis, quae tu o bonitas infinita dederas eis; ad authoritatem conciliandam favor et benevolentia erat necessaria; hoc porro vel hypo-

crisi vel opinione scientiae, vel relaxationibus et complacentiis aquirebatur. Similium scientiarum effectus fuit: curiositas dubitatio, investigatio nova, opinio, pertinatia haeresis et adulatio; et haec sunt quae manifeste elucescunt ex historia orientalis Ecclesiae, cujus sanctae fidei lumen sic obscuratum feist, donec tandem in schisma manifestum degeneravit. Postquam adorabilis providentia tua occidentalem ampliavisset et stabilivisset Ecclesiam, quae divorum apostolorum Petri et Pauli sanguine cimentata, sceptrum in Juda, prout ante duae tribus Juda et Beniamin retinuerunt, decem reliquae tribus in captivitatem temporalem et spiritualem redactae sunt, quam, quia, justitia tua tanquam ipsis promeritam decrevit in poenam, illorum hominum malitiam agere permisit et haec, et tot sectis et haereticis doctrinis tanquam ex semine, quod ignorantia et pravitas plebis fermentare fecit, enata est Mahometana religio, ex omni varietate praedictarum doctrinarum contexta; quae ipsa varietas fuit causa progressus ejus tam inopinati in populo nimis rudi et ignorante, qui similitudine aliquali et apparentia propriae religionis reperta, reliquum discernere et examinare incapax erat. Crevit illa per armorum violentiam, zelum appellatam, et in eo fundata, dum opiniones gentis sanctae et electae per rapiditatem aquisiti tanti imperii inter sectatores conciliasset, conservata ignorantia literarum et scientiarum se firmavit, et hactenus quoque se conservat. Sed non obstantibus bellis et victoriis suis, nunquam se extra fines orientalis Ecclesiae solidare potuit, quamvis Ecclesiam quoque occidentalem per duos fines suos Hispaniam nempe et Hungariam aggressa sit. Ex Hispania penitus expulsa, ex Hungaria quoque nonnisi illas partes retinuit, in quas olim Graecorum schisma se extenderat; sed prout illa fines sibi praescriptos excedere non potuit, ita nec tot regum et principum tot vicibus unitae vires zelo religionis et Bullarum Cruciatarum publicationibus firmatae potuerunt illos arcere aut exturbare ex regionibus, justo flagello tuo Domine subjectis. Scio Domine indignitatem meam; quia tanem tu praecepisti diligere proximum, ideo praesumo implorare gratiam tuam pro tot millionibus animarum, quae sub hoc flagello tno, baptismate tuo initiatae gemunt, inter quas quam-

vis externae disciplinae primitivae Ecclesiae retineri videantur apparentiae, inanimata et vero spiritu carent omnia; viget inter illos traditio, humanis superstitionibus, abusibus, et figmentis deturpata; lex porro sublata est. Orant et jejunantes extenuant facies, sed charitatem ignorant, et, ut, paucis dicam muscas et culices evomunt, camelos autem deglutiunt. Quodsi enim fortitudine brachii tui modis mihi incomprehensibilibus eas non deliberaveris, sors illis imminet similis decem tribubus, regno nempe Israël, quod dispersum permansit; et haec quoque Ecclesia orientalis alioquin adusque finem temporum dispersa permanebit secundum apparentias, erroneo humano judicio meo subjectas.

O Domine dignus es, ut ego momentanea et indesinenti gratiarum actione recolam omnes gratias tuas, quas mihi in hoc loco degenti dare dignatus es in perseverantia servire tibi et in tranquillitate intrinseca, quam in me conservare dignatus es; quamvis tot afflictionibus visitaveris me et visitare non cessas. Acerbum fecit mihi per ducis Aurelianensis Galliae Regentis denunciationem intelligere: propter amicitiam cum Imperatore factam non me amplius posse recipi in illud Regnum et hac re adhuc me magis affligere debuit uxoris meae extubatio decreto Regis Poloniae et quorundam Senatorum ad instantiam Residentis Imperatoris ex causa, quod mecum literalia (quamvis de nocivis argui non possit) interteneat commercia; de pane meo quotidiani victus providere dignaris mihi hic Domine; sed illi succurrere nequeo, quae in summa egestate hactenus — quo — exulare coacta sit adhuc ignoro —; sic invaluere persequentes animam meam, et mundana respiciendo his omnibus, quae patior, majora mala repraesentantur mihi, quodsi pax inter Imperatorem et Hispaniae regem coaluerit. Turcae enim nonnisi in spe sub continuatione bellorum Europeorum emergere possibilis beneficii retentum alunt me; sed illa delusa aut frustrata, tu solus nosti, quid mecum decreveris; hoc enim captum et mentem meam superat. Sed hoc ipsum debet mihi efficere, cum certus esse debeo et sum per gratiam tuam, te non deserturum me, nisi ego recessero a te, quod ut longe sit a me, renovata oratione deprecor te, o misericordia aeterna. Noli me derelinquere

mihimet ipsi, malitiae nempe et prudentiae meae; prima enim mundanam elevationem et quae mundi sunt suggeret mihi, et secunda in tantis angustiis et futurorum adhuc pejorum apparentiis in desperationem posset ducere me. Nec aliter potero liberari ab his, nisi per augmentum charitatis tuae, per quam solam remanere potero in unione tua, ad quam me aspirare fecisti. Sic ad eam pervenire spero per solam misericordiam tuam, cum nihil habeam in me, quod non contrarietur puritati et sanctitati tuae; sed siquidem ego, te adjuvante, me tradidi tibi, fac mecum secundum bene placitum SStae voluntatis tuae.

Quo plus reminiscor miserationum tuarum Domine, eo plus video, quid debeo tibi pro tantis gratiis, quas mihi dignaris dare, ut mundani status mei angustiis resistere possim. Visitasti me diluculo et subito probasti me; sed in his probis quoque non deseruisti me. Haec quae scribo agebantur in mense Septembri; nihil tanem certi de conditionibus pacis initae rescire potui praeter id, quod Turcae quidem petitionibus Germanorum contra omne jus gentium factis restiterint; sed ignorabam num aliquid secreti conclusum non fuerit ex complacentia et desidero demonstrandae bonae amicitiae; decrevi proinde in profundo silentio et patientia exspectare eventum eorum, quae de me decreta fuisse suppossui ex illorum apparentiis, quae post meum adventum in Bujukdere contigere. Miseram ad salutandum Vezirium; sed colloquium habere cum eo non desideravi, ne me denegationi ejus exponerem; verum non tantum haec suspensum tenebant animum meum, sed et illud, quod mihi a Papaio, Chotzinii ad Poloniae limites rebus meis invigilante; jam ante perscriptum fuerat, Regem Augustum Poloniae interpretem suum, Comnen nuncupatum, origine Chiensem, misisse ad Portam, ut Residentis sui fungeretur officio, qui illac transiens retulit ipsi, se ad me quoque a Rege suo habere commissionem, ut amica domini sui offerret officia ad conciliandum favorem Imperatoris. Hunc hominem jam Adrianopolim advenisse et Vezirio quoque denunciasse sciveram, habere in commissione, me quoque Regis sui nomine salutet. Non exiguam opinionem me fecerant concipere de hac propositione ea, quae Loman Papaio retule-

rat; vidisse nempe Aulam Viennensem ex Turcarum firma resolutione, qua mediante in congressibus se de manutentione mea declaraverant, futuras intentiones eorum de pace inita, tempore sibi oportuno rumpenda, et ex hoc incitamento condescendisse ad amice potius componenda negotia mea per mediationem Regis sui; et hoc fundamentum sat firmum videbatur mihi consideratis circumstantiis belli Hispanici et alterius, a septemtrione imminentis; magno proinde tenebar desiderio Lomani videndi; non judicavi tamen consultum manifestare illi desiderium meum, ne avidus appaream sibi commissorum. Inter haec dum nec cogitassem de videndo Vezirio, ille mihi per Capuzium significavit Legatos extraneos omnes desiderare convenire ipsum, sed neminem illorum se admittere velle, antequam mecum colloqueretur; quod si igitur mihi animus est, die sequenti me lubens recipiet, seu publicum seu privatum colloquium desiderem. Gratus fuit mihi inexpectatus nuncius, cui reposui, magnam semper me habere in amicitia Vezirii confidetiam, et propterea de publico colloquio contristatus fuissem, quodsi et privatum non obtulisset; illud enim extraneos respicit; hoc amicorum est, et propterea malle me absque pompa accedere illum, et propterea me quoque exiguum comitatum addiecturum. Sequenti igitur die, naviaclis tribus vectus, in portu urbis descendi, ubi Csausii cum equis Vezirii pro me et 6 aulae meae familiaribus vehendis, missi, exspectaverant, et me cum majori, quam desideraveram pompa, in palatium Vezirii duxerunt, ubi ad morem illorum instructa deprehendens omnia, mutua salutatione peracta, ille colloquium exorsus est: debere se mihi tanquam amico et secretorum Portae conscio fateri, Sultanum amico a necessitate fuisse coactum ad pacem faeciendam; rebus ad bellum necessariis sed vel maxime milite, resistendi inimicis apto, destitutum, quemvis viderit belli Hispanici occasionem favorabilem esse; his tanem non obstantibus magna semper Sultanum et se erga me amicitia duci, et exinde omnibus importunis Germanorum petitis obstitisse, me semper tanquam gratum hospitem considerans. Pro his igitur gratiis condigne actis, respondi me omnino a tempore conclusae pacis nullae utilitati *fulgidae* portae futurum facile credere posse; superesse tamen spem, te

Domine rebus meis seu pace seu bello, dum tibi placuerit, provisurum; haec sat amplae loquelae de rebus Europeis subsecutae fuere; et tandem interrogavi num Regis Poloniae homo ei non dixerit, se ad me quoque commissionem habere? Respondit omnino hoc ipsi denunciasse, et se quoque declarasse nihil obfuturum, quin me volentem non conveniat hac occasione praeconcepta; taliter in medium adducta; reposui me quidem illatenus eum non vidisse, nec de ipso quidpiam audivisse; scire tamen me, quae respectu mei in commissis habeat, et propterea valde grate accidisse, quod ante propositionem ejus mihi faciendam rem cum ipso (Vezirio) conferre potuerim. Constare mihi Aulam Viennensem perculsam, quod me Porta praeter omnem spem suam tam firmiter sub protutione suae conservare voluerit, Regem Poloniae requisivisse, ut at conciliandam mecum pacem sua praestet officia, et haec offerre commissum est illi; peto proinde, ut amico suo consilio velit adesse mihi, quid ipsi respondeam? Principalis intentio mea fuit in his rescire, num aliquid secretiori tractatu de me conclusum non fuerit? Aut quid spei habere possim deinceps ratione futurorum. Multis ille ambagibus praeterire volebat directum responsum, sed ego premebam semper, repraesentans esse de tempore, ut durante adhuc Hispanico bello et Aulae Viennensis dispositione providerem mihi, sed praecipue filiis meis; alioquin post mortem meam in extremam paupertatem redigendis. Sed ille continuabat semper elusiones suas, dicens consultius esse modernas apparentias bellorum, aliqua mora interposita, circumspicere, quidnam eveniet ex bello septentrionali; sed posteaquam respondissem, incerta esse illa omnia, nec me sine responso exaudiendum Regis Poloniae hominem dimittere posse, cunctanter et attente consideratis verbis respondit: Portam aestimare semper personam meam, et si ad Principatus mei restitutionem Germanos adducere non potuit, paratam esse amicis quoque modis rem aggredi, ut si non integram, saltem partem ejus per mediationem et legati eorum Viennam mittendi negociationem oblineat restituendam mihi; ad quae reposui non esse quaestionem de bonis meis haereditariis, quae mihi saepe oblata fuere; quod vero Principatum attinet, idem juramentum quo

obligor ad quaerendum illum, vetat me petere, sed nec quidem consentire posse in divisíonem illius sed e dictis illius cognita Portae de hac re mente, acturum me mea per amicos Principes Christianos. His finito semi altera hora durante colloquio, elapsis aliquot diebus insinuavit se homo Regis praedicti per literas, se quidem ad vicinitatem urbis advenisse, sed siquidem de hospitio suo a Porta necdum provisum fuit, rebus propriis impeditus me convenire non potuit; debere praeterea se habere licentiam a Porta me accedendi, quam ut ego impetrarem petiit. Quaesita haec mihi videbatur dilatio et propterea respondi jam mihi Vizirium dixisse ipsi licentiam me accedendi impertivisse, quod tamen si factum quoque non fuisset non me ducere conveniens supponere : Portam velle impedire quempiam ab invisendo me, qui nec subditus, nec captivus ejus sum, sed semper pro hospite amico reputatus; scire se quid in commissis et quando exequendum habeat; meum erit exaudire illum, cum advenerit; quod proinde meum cum illo habendum colloquium attinet, oportere me scire praevie, utrum literis regiis fidem facientibus instructus sit, et praeter hoc scire debere illum, me nihil proponendorum inconsulta Porta agressurum, cum hanc confidentiam et ejus erga me aestimatio et interesse meum mereatur. His demum ille in considerationem sumptis, me accessit, et salutatione et amicitiae Regis oblatione in generalibus terminis prolata, caetera quae Papaio dixerat subticuit; quamvis quaesitis rebus protracto colloquio occasionem dederim praeferre ea, quae in commissis habere credideram, sed posteaquam illum voluntarie praeterire cognovi hanc materiam, ne illam ego avidus captare credar (cujus fors et ille suo silentio experimentum facere voluit) ipse quoque praeterii, et gratiis illi pro regis in me benevolentia actis dimisi.

Gratia tua o infinitia bonitas effectum est, quod ego omnia haec in submissa tibi voluntate tractaverim, nec in his quid determinati desideraverim et propterea nec meam internam turbaverant tranquillitatem, cui longe majorem vim intulerat sub finem anni hujus allata Comitis Tolosani, Principis mihi semper amicissimi, epistola, per quam nomine Ducis Aurelianensis significaverat mihi initum Regem inter et Im-

peratorem foedus non amplius permittere reditum meum in Galliam; quamvis Ducem de reliquo amicitiae suae non defuturum; et ex illius incitamento suadere mihi iter in Hispániam, quo subsidia mea se rite administraturum spopondit. Necdum ego e Gallia egressus fueram, dum secreta illa negociatio, conciliante Angliae Rege, suum sumpserat exordium; spoponderat quidem mihi Dux Aurelianensis inter multas amicae teneritudinis valedicentis lacrymas liberum reditum, si in apertas cum Imperatore non descendero inimicitias; sed tantis mundanae Principum amicitiae variationibus subjectae sunt, ut facile promissorum obliviscantur, et dissitos deserant amicos; hujus ego quoque sortis particeps fueram, et ideo nec oratori Galliae ad Portam de rebus meis nomine Regis fortiter ad Portam agendis promissa data fuere mandata, per quae inter humanae prudentiae concilia te auxiliante speraveram securitati meae sub tractatibus pacis Turcarum fluctuantem et segnem firmare animum. Propterea literis meis non cessaveram me opponere consiliis illis, quibus Aurelianensis ducebatur ad tractatum cum Imperatore contra Regem Hispaniae concludendum; sed irrito conatu, unde quod mihi contigit praevidere poteram; sed fragilitates meae non me permisere rem praevisam tam aequo, prout respectu tui Domine oportuisset, suscipere animo; ea tamen tua erga me fuit bonitas Domine, quod me diu his inquietudinibus agitari non permiseris, sed ad te recurrentem et debilitates meas tibi offerentem suscipere et consolari dignatus fueris, renovata intentione et affectu tradendo me tibi, qui me solus absque ullo principum auxilio ab inimicorum meorum persecutionibus sub pacis tractatibus protexisti: haec fuere continuata tua in me beneficia, quibus ego lubens salutem conservationemque meam debeo et hoc ipsum novum charitatis esse deberet incrementum, quod tu solus dare potes, et propterea a te peto quod praestare nequeo. Tu nosti Domine in hac dispositione inchoasse me sacrum tempus, quod ad recolendam adventus tui in mundum memoriam instituit Ecclesia, et annexis huic confessioni meae concinnatis soliloquiis in hujus sacri temporis cursu statueram me disponere ad recipiendum fructum nativitatis tuae. Laudet igitur te, Domine, anima mea et omnia,

quae intra me sunt, benedicant nomini sancto tuo, quod me ex bonitate tua conservatum annuum in hac dispostione et reducta mentis quiete finire posse dederis, et te supplico, ut me semper subjectum tenere dignaris SSmae voluntati tuae, quam me discernere et sequi posse da mihi cunctis diebus vitae meae.

Annus 1719 in Jeniku inchoatus.

Quantis incertitudinibus est subjecta peregrinatio hominis super terram, et tamen quam misera est hominis conditio, quod sibi in illa displicendo complacens nequeat suas cognoscere miserias. Dispar erat exitus omnium, quorum apparentiae me ex solitudine eduxerant; dispar promissorum mihi factorum effectus; sed his omnibus gravissimum, me exclusum scivisse a reditu in suavem illam solitudinem, et panem ab infidelibus menstruatim petendo sat stricte vivere obligari; nec domesticos meos convenienti modo tenere potuisse. Nihil mihi spei supermanserat a Principum Christianorum auxilio, Rex Hispaniae a reditu ablegati sui nullius benevolentiae dederat documentum, nec ulla in Europa supermanet terrae portio, in qua mihi a persecutione Aulae Viennensis securum promittere potui asylum, et in his incertitudinum tenebris inchoatus est annus 1719, cujus eventus tibi o misericordia aeterna referre inchoo per gratiam tuam. Opus unice tuum fuit interna tranquillitas animi mei, et apparentiae externae boni animi et amicitiae, quam mihi Turcae demonstrare continuaverant. Novum cum Vezirio desideravi habere colloquium, et illud in domo generis sui supremi Imperii Graffiarii (Nisandri) obtinui, et ibi multis, sed infructuosis promissis renovatis, denunciavit mihi Vezirius, securum me esse debere de amicitia sua, de qua iteratis me vicibus assecuravit; omnem me posse et debere exspectare pecuniarium succursum a Porta, quodsi bella nova (prout audiuntur) a septentrione contra Imperatorem exorta fuerint; sed absque illorum certitudine vaniloquium et sinceritati suae contrarium foret me spe lactare, nihil proinde pro me consultius esse posse, quam Principes Christianos amicos suos de hac intentione Portae securos reddere, et undique

missis hominibus veras et genuinas relationes de rebus Europaeis colligere; sed potissimum de Czari Moscoviae intentionibus, cui, ut Porta bellum indiceret, Angli plurimum suadent; se tamen credere hoc consilium e duabus causis procedere; nimirum vel ut Germani occupatione hac procurata securam pacem procurent, vel ut hac diversione Czaro causata animum illius avertant ab illis, quae ab hoc principe Germanis imminere possent. Approbavi judiciosas Vezirii reflexiones, sed propterea non concepi majorem spem de novis reiteratis promissis; non difficile fuerat consideratis praecedentibus vanis verbis fidem adhibere; status proinde incumbentia mihi agere, et eorum eventum tibi Domine committere. Nec amplius futurorum solicitudine angebatur animus, quem novo et insperato eventu probare voluisti, o misericordia aeterna, sensibili illa afflictione, quam mihi de statu uxoris immisisti. Substiterat illa ad ea usque tempora Varsaviae in continua egestate propter dilatam subsidiorum a Rege Galliae mihi promissorum exsolutionem; quam ego quamvis a tempore adventus mei in Turciam sublevare studui, propria et urgente necessitate prorsus tollere non poteram; miseram igitur trahebat vitam, et statui suo nimisquam indignam, aere alieno undique gravata; his tamen non obstantibus cum Rex Poloniae ex Comitiis Gkodnae in Litvania celebratis Varsaviam redux fuisset, ad requisitionem Residentis Imperatoris ex Regis et Senatus Consulto denunciatum fuit ei, ut e finibus Regni Poloniae excederet, quod se facturam qraecipitato consilio promiserat quidem, sed postmodum vere an false informata de regis sinistro animo et ordinatis ex custodia sua praetoriana per vias militibus et officialibus, ut illam in Saxoniam captam ducerent, se in claustrum monialium in oppositam Varsaviae urbem Pragam recepit, et inde me de persecutione sua et summe necessarii victus quoque egestate omni teneritudine et querelis instructa epistola informavit. Justa et legibus tuis confirmis fuit cura mea, et ex tam miserando statu ipsius concepta tristitia; trium mensium spatio pervenere ad me literae, et tantum intervallum, in tantis angustiis peractum, justum augebant dolorem; praeter haec omnis mihi deerat modus sublevandi offlictam praeter liberalitatem Turcarum, ad quam

recurrendum erat mihi; sed hoc quoque opponebat se genio meo, post tot infructuosa petita et propositiones alto silentio exceptas; superavit tamen oppositiones universas obligatio mea et necessitas; et scriptum quoddam exhiberi curavi Vezirio, per quod repraesentavi, post tam solemnem invitationem meam, literis Sultani factam, et solemnia promissa mihi data, conveniens me credere gloriae suae, si me tantis honoribus cumulatum, non tantum in mea sed et uxoris meae persona ab injustis persecutionibus protegeret; praecipue dum Aula Viennensis relegationem ejus ex Polonia ex illa causa petierit, quod mecum literale continuet commercium, quam rationem pax inter Portam et Imperatorem inita reddit inanem, cum et aliunde nullo modo demonstrari possit, legitimum nostrum literale commercium in damnum et praejudicium accusatoris tetendisse. Habere Portam post receptam responsoriam et de mutua amicitia colenda assecuratoriam epistolam ansam Regi Poloniae repraesentandi per nuncium: non convenire paci et amicitiae simile tractamentum, conjugi Principis amici absque causa exhibitum, ac propterea vi vicinitatis et praedictae amicitiae petere posse, ut Principissa non inquietetur. His subjunxi necessitatem et angustum statum ejus, et praemissorum seriem reiterans, respectu illorum valde exiguam /10 bursarum, m/5 imperialium summam constituentium, petii subsidium. Pro more favorabiliter fuere haec recepta et verbis spes data; paucos post dies nomine Vezirii Capuzius quoque ad me missus, ut se de petitis et intentione mea uberius informans peteret, ut meam de norma literarum Regi scribendarum et instructione nuncio danda mentem in scripto communicarem, quod pro decoro Portae quo meliori modo executus sum. Sed rem tantae apparentiae solitum subsecutum fuit silentium: ratus tamen opere pretium esse mense uno plus minus elapso reiterare petitum, tandem responsum fuit directe nomine Sultani per Vezirium: Melius me noscere semet ipso rerum extranearum Europae Principum situationem, et in bella et simultates tendentes dispositiones, ac proinde facile persuaderi posse, consultum non esse ante adventum exspectatorum in dies Caesaris et Czari legatorum diffidentiam facile causaturam mittere legationem, quam ta-

men non denegatam, sed ad aptius tempus differendam judicat Sultanus, qui me de caetero omni amicio favore et aestimatione complectitur. Dulcorasset responsum residui petiti obtentum; sed nulla de eo facta mentio responsi loco habenda fuerat. Quapropter omni auxilio destitutus, ad subtractionem ex necessario recurrendum fuit quae profecto sublevationi et necessitati par et adaequata esse non potuit. Inter has et domesticas quotidianas necessitates concernentes curas fuit transanctum tempus hyemale, sed o Domine quantas tibi dignum est rependere grates, quod inter tot et humanam conditionem in tantum tangentia dura et aspera mala auxilio gratiae tuae non defueris mihi; oppugnabant haec amorem illum proprium et naturalem mihi elationem, cui petere, repulsam pati in persona uxoris a Rege, amico reputato, a compluribus Magnatibus Polonis, olim a me favore et amicitia prosecutis, impeti nimisquam durum videbatur. Quot inter haec tentationibus subjectus fueram: desiderare occasiones, ut mei aliquando opus habeant, non ut me vindicem, sed ut sentire facere possem ingratitudinis duritiam, similibus enim coloribus solet amor proprius ornare secretam illam vindictam, quam sub mille praetestibus vult licitam reddere et authoratam. Nec aussim affirmare coram te Domine, num quandoque venenum ejus hoc subtile et penetrans, quod propinavit, inscius et inconsiderate non libaverim, quamvis a corruptione ejus cor meum praeservare dignatus fueris. Occasiones hae fuere patientiae, humiliationum, et gaudii in abjeetione et contemptu; sed in vicem horum sola mihi remansit confusio et dolor, me gratiis et tam pretiosis occasionibus non semper usum, saepe per neglectum oblationis abusum fuisse. Sic praetereunt dies et menses hominis, quorum praesens inconsiderate transigitur, praeteritum doloris, futurum inquietudinis plerumque suppeditat argumentum. O Domine, quam justus es et misericors, dum me tam segnem et tepidum flagellas et affligis; sed quanto major est bonitas tua, quod me illis obrui et sollicitari non permiseris; signum est quippe gratiae tnae, quod sordes faeces has animae meae repraesentes mihi, et quod nullum cupiditatis germen pullare sinas, quin non confundas; et ecce novum adducam hujus paternae curae tuae exemplum, ut con-

fundar ego, tu porro exalteris. Composueram ego his annexa soliloquia, quae occasione anniversariaė devotionis. quam in die depositionis piae memoriae matris meae famulae tuae Galathae 25. februarii quo meliori modo potui celebrari curaveram, Archiepiscopo Ancyrano Vicario Apostolico in Patriarchatu Constantinopolitano, viro probo et omni sanctae simplicitatis specie fulgenti censuranda et corrigenda tradideram, praecipue ex illo inicitamento, ut me in illius primi pastoris mei mente purgarem a sinistris quorundam sparsis de me rumoribus, qui ob strictiorem communi vivendi rationem et familiares exhortationes ad arctam viam sequendam, doctrinae Jansenii sectatorem esse promulgaverant. Sed fors in hoc quoque integre immunis non fui a desiderio vanae laudis et opinionis aliorum quaerendae; et propterea confudisti me Domine et in id, quod evitare studui, fecisti indicere. Praelatus enim ille bonus, non obstante declaratione mea facta, non esse illud opus compositum ad lucem edendam, sed privatae solummodo pietatis connotationes, et requisitione facta de secreto, lumini suo diffidens duobus Theologis Italis, uni Praedicatorum, alteri S. Francisci Reformatorum ordinis religiosis tradidit censurandum; qui sparsis de meis opinionibus sinistris rumoribus praeventi, me inscio multis septimanis ventillatum manuscriptum remisere Archiepiscopo, qui illud mihi Episcopo Nicapolitano comitatus attulit. Neque Domine celare tibi scrutatori cordis et rerum mearum motus meos; dum post discessum Praelatorum vidissem plurimos textus meos in sensu detorto et truncatos exscerptos plurimis Pontificum bullis condemnatos fuisse; sed o domine hoc quoque audeo tibi dicere motus meos non ab indignatione, sed a dolore excitatos fuisse, quod actu meo aliis causaverim scandalum et quod pro haereticis ac eroneis doctrinis infecto habear; sed hoc quoque innocentiae meae conscius patienti animo ferre debuissem potius, quam larva indutum sequi amorem proprium, qui condemnationem suam aequo animo ferre non poterat; facile apparebat mihi ex antecedentibus et consequentibus demonstrare sensum orthodoxum condemnatarum propositionum, quae jam Baianas, jam Jansenisticas, jam Bulla Unigenitus condemnatas propositiones insinuare, innuere videri arguebantnr in

sensu a censoribus attributo; et propterea jam replicam parabam, jam conqueri volebam non satis charitatis demonstrari in tali procedendi modo, et ad haec credebam me obligari pro tollendo scandalo; sed postquam tu Domine humanos hos motus sedare dignatus fuisses, gratiam quoque tribuisti, suaves praeferre modus per conferentias et discursus illustrare obscura et censores persuadere de genuino sensu meo. Credo tamen Domine me posse, quin debere gemere de illis, quae similes suspiciosae et a praejudiciis ac praeventionibus causatae interpretationes produxerunt in Ecclesia; sed absit aliena proferre qui propriis me tam aggravatum sentio, non fraudaberis tu Domine fine tuo; nec sciolitatis et ostentationis figmenta poterunt unquam ita obscurare veritatem, quin non appareat in simplicitate cordis quaerentibus fidelibus. His interim cordis afflictionibus tu Domine nosti, quantas superaddideris omni die, quas quorundam mihi in te plurimum dilectorum deviationes a via, in quam duxeras et feceras ambulare eos; alii trahebantur a mundo, alli proprium amorem et partus ingenii sequebantur, et haec te ac gloriam tuam concernebant. Quid dicam inter haec de illis, quae repraesentabat mihi status, incertitudo, semper infidelium discretioni expositus non amplius (prout retuli) spes mihi supererat redeundi in Gallam; mihi a Hispania rege exspectare poteram, belli oriundi fama volitabat ex septentrione, sed literarii commercii tarditas 6 mensium ordinarie producebat silentium, et rerum ignorantia taedium suscitabat; suggerebat plurima humana prudentia quae obligationibus meis consona videbantur, sed in illis quoque timoris ac tremoris reperiebam argumenta, ne mea qua mea sed qua tua agerem. Noveram periculosum proprio fidere lumini, sed ex hac parte quoque deerant consultores; persuasus fueram quaerere me debere Principatum, sed viis et modis a te praeceptis. Verum est Domine gratia tua effectum fuisse, quod illum nec ambiverim, nec desideraverim; sed semper tanquam onus et crucem respexerim, et propterea minus violenti fuere motus, quibus impellebar; sed inde quoque imminebant pericula, ne quid negligerem, quae agere oportebat. Persuasus fueram, non debere, nec posse me Turcos ad rumpendam pacem stimulare, sed debere aliorum prin-

cipum occasione data uti. Rumores afferebant Czarum Moscoviae, pacta cum rege Sueciae pace, cum illo Principe et Borussiae rege mutua inivisse foedera ad Imperatorem in favorem Regis Hispaniae aggrediendum, et in hunc eventum promittebatur mihi pecuniarium subsidium a Turcis, et haec poterat esse basis spei meae; sed praeter incertitudinem horum trium Principum, religioni orthodoxae oppositorum, societas multa serio sonsideranda repraesentaverat, ex quibus, rebus quoque pro voto succedentibus, multa mala potuissent evenire in Hungaria, bello exorto et protectione illorum suscitato; et ideo securius esse credidi patienter exspectare rerum eventus potius, quam illos provocare, persuasus: me tum illis tam utilem futurum, quam illos mihi; ac proinde quodsi illi me primi requirerent, in statu futurum quaedam convenientius concludere posse, quam si ego primus recurrerem ad ipsos. Inter has publicorum rumorum varietates subsecuta fuit facta de rege Sueciae in Norvegia occiso; et tam insperato casu perculsus fuerat Vezirrii animus, non tamen meus; nam praeter spem, in te Domine collocatam, humanae prudentiae quoque rationes praesagiebant mihi parum in illis, quae agi credere poteram, mutandum iri. Sed jam ante praedictam famam consultum credens nuncium ad Czarum mittere ad investigandam circumstantiarum veritatem, expediveram tribunum meum antea legionis equestris praetorianae Adamum Mariasi abunde instructum, ut Czaro persuaderet, legatum huc mittere cum tractandi plena potestate; quodsi enim bellum ipsi cum Imperatore suscipiendum foret, foedere hic pacto multa proficua emergere possent. Persuasus fuit de negociationis hujus utilitate Sultanus; ac propterea multa celeritate actum fuit, quidquid ad promovendum illum e re visum fuerat. Liberi passus datae literae; sed quia Vezirius ad confiniarios Passas particulares non scripsit epistolas, diversis quaesitis praetextibus unus ad alterum direxit illum usque in Asoff et propterea justo tempori plus bimestri mora interjecta est, antequam ad Moscovitea confinia pervenisset. Interea illo inscio, ad confinia Benderiana appropinguaverat Czari ad Portam missus Legatus, qui pridem a Czaro promissus exspectabatur, sed 15 circiter diebus, posteaquam tribunus meus limites Turcicos ex

Asoff transiit, ad Bender advenit, et absque mora solitis modis exceptus Constantinopolim adductus, urbem 2. Maii ingressus est. Magna me replevit exspectatione adventus illius, quem jam praeire ob id advenisse sparserat communis rumor, ut me ad Czarum deducat, in thronum Poloniae elevandum. Inter hos tamen vanitatis humanae motus et complacentiae stimulos major erga me fuit tua gratia Domine, qaam mea promereri poterat infirmitas, dans mihi vires haec audire, et perpendere absque cupiditate throni, quem appetere patricularis erga Principatum meum obligatio vetat. Aliquot praeteriere dies, inter quos anxium me reddebat legati Moscovitici, Basco nuncupati, silentium, qui adventum suum mihi pro more solito significare intermisit; unde vel maxime angebar, ne indifferentia ejus respectu mei sinistre interpretaretur a Turcis et contraria appareret illis, quae ego saepe de favore ac amicitia Czari, orga me habita, verbis et scriptis declaraveram. Non me ferebat amplius amor proprius, gratia tua mortificatus, ad ambiendam coronam; sed tamen semper pululano in corde aegre ferebat contemptus apparentiam, nec immunis fui ab illo: quid dient Turcae? quod honoris desiderium solet suggerere. Tam erroneae sunt cogitationes hominis, tam ignotus est ipsemet sibi, et tam proficua sunt illi adversa, ut diffidat in actionibus suis. Quam saepe credebam, sed potius ad credendum pronus fueram, me per gratiam tuam immissas contrarietates et superbum Turcarum agendi modum humiliasse, sed in his exiguis recognoscebam debilitatem et infirmitates meas, quibus bonitas tua non me tutum tradebat, sed postquam illas obtulissem tibi, dignabaris suppeditare concilia. Jam ille ad solemnem Vezirii audientiam admissus fuerat, et in omnibus curialibus pro dignitate caracteris habitus; necdum tamen cessabant inquietudines meae, quae quia rem status mei quoque, non tantum personam concernebant, sub hoc respectu (cujus veram originem tu solus scrutator cordis mei noscere potes) non semper condemnabam illas; notus mihi erat Turcarum genius, qui sub spe illis a me facta, quod Czarus Imperatori Germanorum offensus sit et bellum illi moliatur, magna benevolentia et demonstrato honore susceperant legatum, et propterea justus mihi videbatur moetus, ne conceptae spei

contraveniat. Notus mihi fuit Aulae Moscoviticae genius diffidens et meticulosus, unde imaginabar mihi Legato injunctum fuisse, ut nonnisi prius bene detectis Turcici ministerii intentionibus rem agat sibi commissam, et interea amicitiae cultum, Pacis Pruthensis confirmationem et his similia proponat, quae omnia respectu a me actorum praepostera fuerant; quo plus haec combinabam, eo majorem concipiebam timorem, ne Turcae, se a me delusos credentes, Legatum, prout, supra de homine Regis Poloniae dixeram, remittant. Non conveniebat dignitati meae, ut primus mittam ad Legatum, et haec ipsi communicem, aut commissa sibi investigem; hinc Comiti Bercsénio, multum ante in Polonia Daskovio (quem ego quoque ibi videram) noto, commisi, ut nomine suo salutandum mitteret, et per hoc ansam daret de me loquendi, et praeter hoc Vezirio quoque significavi, ne praecipitaret remmissionem ejus, cum moris sit Moscis res cum magnis praecautionibus et interposita mora agere, quas etiamsi prima fronte praeterire contingeret, cognito Portae statu reassumere non intermittet. Sed C. Bercsénii denunciationem nulla subsecula fuit dilucidatio praeter id, quod Legatus dixerit, se hoc quoque in commissis habere, ut me de amicitia Principalis sui reddat securum, et intera post primum cum Vezirio habitum colloquium ad denunciandum adventum suum, et hoc quod refero mandatum, suum secretarium misit ad me. Unde ego quoque hanc occasionem nactus Colonellum meum Bon Gallum, virum integrae fidei de omnibus necessariis bene informatum misi, ut desideratas habere possem informationes. Sed amplas commissiones ejus omni civilitate plenum, sed omni essentia vacuum legati responsum subsecutum est, et sequenti die redux secretarius ejus in scriptis quoque quaedam generalia de Czari amicitia erga me, et gratiarum actione de affectu meo, erga ipsum Principem demonstrato, concinnata attulit, alto de illis quae essentialia credideram observato silentio. Unde respondi illa quidem grata mihi continere omnia, sed non satisfacere bono animo meo erga negotia Czari, quae ulterius quaeque lubens promoturus siquidem proximis diebus colloquium cum Vezirio habere desiderandum est mihi; si quid me prodesse credit posse lubens intelligam. Quapropter redux Secretarius novum

retulit scriptum, per quod requirebar, ut Vezirii mentem de Pace Pruthensi confirmanda, de satisfactione Czaro danda propter Tartarorum annis praeteritis in ditiones suas factam irruptionem inquirerem, et disponerem Vezirium, ut a Pacis corfirmatione et admittendo legato ordinario Czari ad Portam residenti non esset contrarius. Ex his omnibus confimabar ego in praeattacta opinione et meticulositate Aulae Moscoviticae, et statui praevenire Vezirium in colloquio familiari, quod, illa septimana propter Sultani convivium dilatum, nonnisi sequenti die Jovis, recreationi Turcarum destinata die, habere potui in vicino pago meo horto, quo se Vezirius venturum denunciavit per Residentem meum. Jam praevie Collonellum meum Bon ad legatum miseram in scriptis significans modum, quem observandum statueram in proponendo, et subjunxi quaedam, per quae de intentionibus Czari erga me informari volebam. Sed haec semper Legatus remittebat ad particulare colloquium meum habendum, postquam ad Sultani audientiam admissus fuerit. Sed interea gravis mihi erat mora propter Vezirii colloquium, quod imminebat mihi, ut occasione data aliquid ei de rebus jam a me illatenus allatis dicere possem. Qua de causa ipsummet Comitem Bercsénium disposui, ut invisendi legati gratia ipsemet iret, et justas anxietates meas de confusione negotiorum imminenti proponeret, informaretque de genio Portae, de secreta inimicitia Turcarum contra Imperatorem perseverante, demonstraretque illum nonnisi magnis ideis, a me de potentia et intentionibus Czari Portae datis, debere honorem et affectum, quo receptus est; quibus si contravenerit vel eas non confirmaverit, metuendum fore, ne Angli et Germani de me et de Domino suo triumphent. Accessit illum Comes ipsa die, qua apud Sultanum gratam et honorificentissimam habuit audientiam, et tandem post familiare unius horae colloquium rem in illo ipso statu, in quo praevideram sitam reperit, ita nimirum fuisse instructum legatum, ut sibi caveret aliquid aperire Portae de intentionibus Czari Aulae Viennensi aut Poloniae regi contrariis. Quapropter magnis persuasionibus et affidationibus, quod mente a Domini sui deserenda [?] portam non offenderet, opus aggressus, tandem evicit, deinceps clarius loqui debere

legatum, et me de omnibus circumstantialiter, antequam Vezirium convenirem, informavit. His proinde praecautionibus adhibitis in supra dicto recreationis loco, pauco comitatus famulitio, Vezirium accessi et finito pro more Turcarum ad usque potus caffe sumptionem publico de indifferentibus colloquio, postquam aulici recessissent, aggressus sum discursum referendo. Jam diu exspectatum Legatum Moscoviae advenisse, qui siquidem mihi denunciavit, se ad me quoque commissionem a domino suo habere; volui praeire mentem Vezirii experiri, quid ipsi de Portae intentionibus dicendum foret mihi? ad quod Vezirius reposuit, se quidem Legatum vidisse, et illum literas suas Sultano quoque praesentasse, in quibus hoc solum desideratur, ut usque ad adventum instructionum suarum ampliorum, facultas detur ipsi ad Portam commorandi; sed ex his necdum advertere potuisse, quidnam negotii habeat proponendum, nec igitur mihi quidpiam dicere posse. Quibus subjunxi, non illam esse intentionem meam, ut de rebus Portam concernentibus inquirerem, sed meminerit, velim, illorum, quae mihi promiserat, si Czarus Imperatorem bello aggrederetur; de quibus scire optarem, num non sit mutata Portae intentio; ad quod alacriter respondit, se nunc quoque verbis suis stare, et pro illo casu non mihi promittere quidem aperta auxilia et exercitum, cum ab his vetetur per conclusam pacem; posse tamen me affidare de omnibus clandestinis pecuniariis et caeteris necessariis auxiliis. His proinde sic se habentibus, dixi necessarium esse, ut ego quoque cooperer et Porta indulgeat mihi in illis, quae ad confirmandum Czari animum necessaria crederem; qui procul dubio Legatum suum ideo misit, ut praevie mentem Portae experiretur, nec illi denuo id accidat, quod ante declarationem postremi belli Portae contigerat. Jam tunc quoque enim paratus fuerat tractatum cum Rege Galliae et mecum conari Germanos inire; et me in Principatu meo armis stabilire; sed cum Imperator et Colligati ejus intentiones suas animadvertissent, incitarunt Portam ad bellum illi indicendum, et sic eluserunt intentum suum. Unde justa memoria et praevisione horum motus procul dubio prius securitatem quaerit, ne hoc denuo contingat; et ex horum consideratione suaderem, ut ante omnia confirma-

retur pax Pruthensis et tollerentur ab utraquae parte nefors ab illo tempore emersae querelae et controverssiae, ut Czarus ab omni belli metu ex hac parte liberatus, securius agere possit Propositioni huic lubens consentire visus est Vezirius, et ut pax ab utrinque scriptis in hanc rem (Naame) seu epistolis confirmaretur, acceptavit. Sed ego reposui, rem hanc a me solumodo proponi cum Legatum necdum viderim, nec posse desiderari, ut Czarus primus hoc petat, nec ut Sultanus petere incipiat; propositurum me Czaro, et si Vezirius in hanc rem consentit, me pro legato plenae potestatis ad tractandum lIteras a Czaro obtenturum confidere; igitur me petere. num de hac re Czaro scribere possim? Consensit petito denuo Vezirius. subjungens nihil obfuturum, quin non tantum temporalem, sed et perpetuam prout cum Gallia concludant pacem; cum et aliunde nulla ex parte Portae supermaneat belli intentandi occasio, nec illam ullam ditionum Czari partem desiderare; cum si Kioviam gratis et dono quoque offerret. acceptare non conveniret. Dixi me plurimum gaudere propter tam favorabiles dispositiones; hoc tamen etiam bonum judicarem, ut pacta pace annueret Porta, ut pro mutua amicitia colenda ordinariusLegatus Czari residere posset ad Portam: vicinae enim sibi Tartarorum et Cosacorum gentes; nunquam sperari potest, quin a mutua ad invicem infectatione abstineant, quae subortae semper facile sedari et componi possent a praesente legato; sed hanc majoris considerationis rem esse roposuit, nec a se solo decidi posse; invaluit enim apud vulgus opinio periculosum esse admittere legati Moscovitici continuam residentiam, ne cum sui ritus Graecis periculosa tractet molimina; quam impressionem quia apud vulgus Ali Passa causavit, absque aliorum nuta nihil in hac re decidere posse, quamvis non sit alienus ut Porta Residentiam Legati non tantumMoscis, sed et Hispanis permittat. His ita expositis subjunxi, ex notitia Aulae Moscoviticae persuasum habere me, Legatum non potuisse discedere ultimis intentionibus Czari instructum; tunc enim cum recens advenerit mortis Regis Sueciae et totius gubernii regni illius mutati fama, necdum securus esse potuit Czarus de firmitate aut jam conclusae aut concludendae pacis: visum tamen fuit oportere expedire Legatum. ut inimicae

Aulae Viennensis et colligatorum ejus ad interim invigilet machinationibus; hoc quoque praeterea me supponere, quodsi quoque quaedam secretiora commissa haberet Legatus, ea se non propositurum, nisi ex Vezirii loquela adverterit, non ingratum futurum Portae bellum Czari contra Imperatorem declarandum; qua in re multum prodesset, si occasione meae personae lumen daret Vezirius Legato, dicens me magnam concepisse spem in amicitia Czari; Portam quoque semper libenter habiturum, si quid in favorem mei susceperit, quod postquam Vezirius se facturum spopondisset, et se omnem operam adhibiturum, ut genuinas Czari de hac re intentiones a legato resciat, serio colloquio indifferentibus mixtis, amicoque vale dicto, recessi et illo omnia pro directione, sua Kegato sigeificavi, per gratiam tuam, Domine, multum consolatus; negotia haec in directum et uti credo appropriatum et SStae voluntati gloriaeque tuae conformem transitum, te adjuvante, dirigere potuisse. Fac igitur o infinita bonitas, ut haec ita prout omnia, quae acturus sum, sequar absque complacentia et desiderio elevationis meae. Aliquot abhinc diebus accesit me Legatus, et de amicitia Principalis sui et in res meas propensione securum esse jussit; sed generales has expressionis cum nullae particulares subsecutae fuissent, ex contextu collquii facile edoctus sum, Kegatum plus praecautionis (ut Turcarum mentem ab intentando bello remotum teneret), quam negociationis gratia missum fuisse; subsequenter de secretioribus instruendum. Turcae porro in illis omnibus, quae haec concernunt, prudentiorem, quam in caeteris, quae dixeram, agendi modum observavere, nihil omittentes in illis, quibus legato persuadere poterant, se pacem religiose observaturos, et grate habituros si Czarus Germanis bellum indiceret. Haec fuere, o Sapientia aeterna, quae te disponente fiebant circa ea, quae ad mutationem status mei mundani tendere poterant; bonitas tamen tua animum meum a continua solliciiudine horum reddidit immunem; sed confitebor Domine aeternae misericordiáe tuae illa quoque, quae mea sunt et miserias meas; nam cum de illis, quae statum meum mundanum concernunt aliquid novum audio, nimiam sentio mutationem in me; tunc enim ingentes undique in mentem nescio unde descendunt nubes,

inquietudines formantur in corde, et fors ea quae mihi agenda sunt, nimio fervore examino, quamvis tu nosti Domine. non me desiderio duci, sed ab aviditate consone et recte agendi impelli; hinc invocato succursu tuo apertum exhibeo potentiis animae meae campum, et disserendi facultatem in praevidendis, discutiendis et combinandis cunctis, quae ad rem esse credo. Tunc orationum mearum horae, his repletae, breviores mihi apparent, quam dum sine his de te cogitare et ad affectus eliciendos me stimulare volo, sed non possum. O Domine parce mihi, si his inest quid amoris proprii, quod ego discernere nequeo; videor enim mihi semper agere coram te et propter te, ut opus agam, ad quod me vocatum credo a te; nam in illo nec difficilia, nec naturae meae adversantia, nec afflictiones, nec contradictiones, nec ipsam mortem horrere videor; sed si mihi haec evenire posse praevideo, ad suscipienda a manu tua me praeparó, et ad exequendum vires peto; longe his plus timens prosperitates et elevationes, quas aequaliter repraesentari permitto mihi. Sit tibi laus et gloria ex his, quae ad placitum tuum me agere facis et agis in me; nec nisi confusio et dolor remaneat mihi pro iis, quae ego ago a memet ipso, dum vel minimum deviant a voluntate tua cogitationes meae; noli o amor meus, aeterna veritas, latere me laqueos, quos mihi struere potest inter haec inordinata cupiditas, de qua quamvis nosti quoties et quam sedule me examinare conor coram te, metu tamen, ne me inscio agat in me imagine boni assumpta; ignoro enim causam, cur mihi tam facile sit cogitare, speculari de rebus statum mundanum concernentibus absque ulla illa interveniente distectione, tam difficile vero meditari et orationi vacare, quibus continuis distractionibus carere nequeo, quas ne mihi causem, a multis quamvis licitis occupationibus abstineo; vis tamen me sisto coram te, exurgunt infinitae phantasmatum species, quae me non delectant, nec semper criminosa sunt per se, sed inutiles, indifferentes, ociosae, semper tamen mihi detestandae, quia me avocant a te. Innumerae sunt hae imagines, quae repraesentantur mihi, saepe rejectae, obstinate reducentes, quae tamen absque misericordia tua semper infructuosas reddunt orationes meas, quae in nudis vocum articulationibus con-

sistunt semper; si fragilitatis et miserae conditionis rationem habere dedignaris Domine, o vis aeterna, lumen luminis et animae meae; instrue me, quid agere debeam, ut me magis purificare possim ab his sordibus et maculis, quae ita foedant et conspurrant miseram animam meam, quam merito fastidire potes ita deturpatam. Cum enim nihil tam delectabile, nihil tam jucundum, nihil tam magnum, nihil tam elevatum concipere possum in mundo, quod tibi praeferre vellem, aut quo possesso carere difficile mihi videretur, — quid aliud me impedire posset, quin non arctius jungar tibi, et accedam ad te, nisi haec lepra, propter quam me linquis repere super terram, et dedignaris me magis elevare ad te sentio Domine, quod amem te, cum nihil ita desiderem, quam sequi te, et aspera contraria quaeque pati ex voluntate tua; nec tamen affectu cordis intrinseco ita feror ad te, prout quondam me ferri sensi ad creaturas tuas, cum illa detestanda objecta fuerant amoris mei; quamvis hoc quoque sentiam, quod nunquam illarum amore irretitus, pro illis facere aut pati voluissem, quae pro te lubens agerem et paterer, et hoc est quod mihi demonstrat, quam sim adhuc carnalis, et quam parum spiritualis; quamvis non appetam carnalia, nec vitam ducam sensibus prorsus conformem et delectabilem; haec sunt tamen pondera, quae me retinent; haec dilacerant alas mentis meae, quae propterea nequit volare ad te, et tetrum, fastidicutem spiritum oneratum et aggravatum retinent, quin motu suo proprio elevetur ad te. Sed o infinitum bonum meum, ignoro, quid in his velis, ut petam a te; tu nosti melius me quam sincere vellem carere omnium mundanárum solicitudinum justis causis, et redire in solitudinem illam, ex qua evocasti me, ut in suavi et dulci quiete, elongatus e palustribus et coenosis status mei, possem contemplativam ducere vitam. Sed quia fors hoc desiderans me quaererem, non te: ecce me, denuo projicio in abyssum sacro sanctae Providentiae tuae. Suscipe, nec permittas cadere me, et dum cado, subleva me; securius est enim mihi sequi qua ducis me, quam velle mihi viam seligere aut petere a te; sufficit mihi diligere te; quid sum ut desiderem sentire amare te, aut velle ulterius ire, quam tu dignaris trahere me; tu nosti melius me, quibus inimicis circumdatus sim; tuum est

defendere me, qui me tibi solum tradidi; inania sunt parva, exigua, quae me distrahunt, et tanquam muscae repulsae redeunt, ut mordeant me, et reddant scabiosam animam meam; non tamen suave est mihi refricare hanc scabiem; vis enim infertur mihi; respice me proinde oculis misericordiae tuae; abstrahe, repelle a me ea, quae me distrahunt a te; si me non vis evocare ex hac misera vita et ex statu, in quo credo te velle, ut operer opus tuum et serviam tibi: vel si ita est placitum tibi, ut haec maneant super me, retine me in continua memoria miseriarum mearum et praesentiae tuae, ne quid agam, nec unquam movear, nisi in finem, pro quo creasti me, ut sic omnes motus omnes actus et omnia respiria mea reddant gloriam miserationibus tuis; cum enim tu omnia egeris in me, tu vives in me, et cum tu vixeris, tumet ipse laudabis te in me, et per me; nam aliunde semper indignus ero laudare te, o suavis dulcedo cordis mei. Sed praeter haec, quae recenseo tibi, aliae quoque struuntur mihi quotidianae insidiae a gula, et in conversationibus, a quibus status meus non me permittit poenitus abstrahere. Sunt, qui veteri familiaritate juncti, quandoque secreta mea ediscere, et de illis interrogare solent, quae prudentia celare suadet; nollem diffidentiae suspicionem dare per ambigua responsa; vetat conscientia falsum dicere, nolo haesitare in responso, et propterea quandoque mentiendo contingit mihi peccare in te, o veritas aeterna. Succedere facit misericordia tua his violentiores redarguitiones conscientiae meae, quae sensibilem producunt dolorem quidem; non possunt tamen nisi abominabilia esse in conspectu puritatis tuae; quot sunt praeter haec ociosa, quot imprudentia verba, quae me proferre contingit, et quam pronus sum ad temerarie judicandum de proximo, si in dissertationibus piis laxiorem defendit sententiam; cum tamen ille non obstantibus illis, quae dicit, longe me purior potest esse in conspectu tuo. Hae sunt o Domine quotidianae miseriae meae, de quibus me gemere oportet; hi sunt vermes, quibus undique scateo; pone ergo, Domine, custodiam ori meo et circumcide labia ac cogitationes meas, ut ab his abstinere valeam, et non consentiam tentationibus temerarii judicii; quamvis enim saepe multae apparentiae dent ansam credendi illa esse vera, quamvis zelus ve-

ritatem aliis persuadendi me posset fors excusare, absit a me, ut me justificare velim coram te, qui fomitem mali circumporto in corde; et ideo satius est et consultius me accusare, quam me innocentem credendo sequi ea, quae suggerit superbia, quae heu quam saepe me stimulat ad eradicandas bonas opiniones et laudes illorum, quot subdidisti mihi, quas quidem ad te referre conor, sed num hoc debite praestem ignoro; tu jubes Domine, ut luceat lux nostra coram hominibus, sed tuum est praestare, ut ego et illi digne laudemus Patrem, qui in coelis est; gratia tua est quod me subjectum et instrumentum laudis ejus esse dederis, sed si infelix ego in his complacentiam habuero, illa quae tua sunt mihi appropriens, heu quam digne abominationis tuae objectum ero. Novi Domine originem hujus mali, prout jam saepe protuli; sed mendacia illa, de quibus me accusavi, numquid aliam scaturiginem habent? inest superbiae delectatio, sed quid jucunditatis sentio, dum me veritati aeternae quodammodo oppono? Scio, Domine, non semper, non omnibus teneri hominem hanc manifestare, et prudentiae suae posse, quin imo debere sequi dictamen in discernendo: quid, quis, cui, quando et quomodo dicere possit aut debeat; sed exinde non sequitur mentiri debere aut posse; plurimi sunt status secundum differentiam suam, in quibus differentes observandae sunt in his regulae; oportet enim, ut superior erga inferiorem, hic erga alterum aliter ac aliter procedat; sed praetermitto hanc discussionum fatraginem, ne me excusare velle videar coram te, summum bonum meum; hoc tu nosti quam optime, quod et ego dicere audeo, nihil in me factum fuisse fallendi aut nocendi animo; de re enim mea plus agebatur, quam de re proximi; secretum edicere non omnino periculosum, sed tacere satius fuit. Sed cum hoc aliter praestare non potui, utinam omnia secreta potius revelassem, quam animam meam te laedendo, o suprema veritas, laesissem. Sed quid fuit o Domine, quod me mentiri fecit. indica mihi; nec enim delectationem sensi exinde, nec multum mali provenire posse credidi e revelando secreto, de quo indiscrete interrogabar? quam quod imprudens humana prudentia suasit, ut facerem; sed nec tantum suasit, sed dictans, ne amico diffidentiae darem specimen, coëgit ad praecipitandum re-

sponsum mendax; sed o lux cordis mei, nunquam haec aliter possunt evenire, dum illam te inconsulta agere permitto; sed quid dico permitto, cum dicere debeam me praeferre lumini tuo criminali et peccaminoso ausu; tunc enim, dum haec agebantur quae refero, opposuit se, ne mentirer, veritas, quae fuit in corde meo per gratiam tuam; sensi repugnantiam a malo, sed tamen praetuli, ut dixi, praecipitatum prudentiae meae consilium; confessus sum tibi Domine hanc iniquitatem meam, et denuo gemens expono tibi: dele illam quaeso ex corde, sed dele et et mente, ne falsae prudentiae meae sequar illusiones; insanae enim sunt omnes rationes, quas mihi in rebus propriis et me solummodo concernentibus allegare potest in similibus, nec nisi a debilitate fiduciae in te proveniet, cum illis praestitero consensum; quid enim mali evenire potest mihi ex non prodita veritate, a quo nequeam absque praesumptione sperare liberari a te? sed vice versa a quo quid sperare possum, te offensa o veritas suprema. Vere illa ipsa prudentia, quae me peccare fecit, nunc de his quae dico convenit; quid ergo est, Domine, quod tunc illam decepit? Ignoro profecto, sunt enim quidam in nobis stimuli, qui sub illusoriis repraesentationibus nos quandoque ad malum faciendum inducunt, quae consideratae ita evanescunt, ut non proprias fuisse illas nobis, sed ab inimico suppeditatas facile reperiamus, vel maxime, dum ad ea ferimur, quae nec delutant, nec vanae gloriae deserviunt, et de quibus bene consideratis ipsa prudentia nostra arguit nos; et in similia plerumquae tunc impingimus, dum quid praecipitanter et inconsiderate agimus aut loquimur. Premit, insistit tentator, ne ad te refugiamus, et maturae considerationi tempus demus; nam scit tentationes delectationi et vanae gloriae non innixas exigua mora et consideratione interjecta evanescere infructuosas. Contemnere solemus similia; nam haec nonnisi augmentum charitatis reddit sensibilia, donec divinis alis ejus ad te non ferimur; parvi pendimus jocosa, officiosa proferre mendacia, ociosa, ridicula arguta, inconsiderata, dummodo risum excitent, eloqui verba; sed haec omnia, in pondere charitatis ponderata, gemitus et dolores, inutilium conversationum evitationes, solitudinem sanctam autem anhelare faciunt. O suavitas dulcedinis, o dul-

cedo ineffabilis solitudinis, o paradisus animae amantis te, usque quo elongaberis a me; tu es mors veteris, vita novi hominis; ecce quam languidus, quam moribundus, quam infirmus sum, separatus a te. Sed parce mihi Domine, insipiens est enim nimis eloquium meum, quoniam vere solitudinem ubique reperirem, si semper tecum unice et coram te essem, unice tibi adhaerens. Das mihi saepe gratiam, Domine, proponere, ad te per continuas aspirationes ad sonitus horologii recurrere, te laudare, et auxilium tuum petere; sed heu! quam saepe haec omitto; indesinenter agere deberem, non quod aliquid plus amare sentiam, quam te; sed quia caro sum, multis status mei curis oneratus, quam levia, quam inania et rationali creatura indigna sunt, quae locum tuum, o summum et infinitum bonum obtinent, mentem meam avocantes a te; scio et nosco justitiam tuam, per quam me, e patria mea exulem, ad labores condemnasti; hae sunt conditionis meae miseriae. quibus carere velle fors amoris proprii foret, et propterea nec petere audes, ut me liberes ab illis; sed ut adjuves me, ut quae facio, in mensura voluntatis tuae faciam. Quid me vis fieri o sapientia aeterna, dic cordi meo; nam hoc quoque non curiositate ductus inquiro a te, sed desiderio agendi ea, quae vis praestari a me. Deficit prudentia mea humana, quam dedisti mihi, in consideratione omnium, quae repraesentantur illi, dum res mundanas respicit. Bellum Hispanicum defectui proximum esse videtur; Czari Moscoviae animus tisubans et incertus apparet inter pacem et bellum seu Polonis seu Imperatori indicendum; hoc ipsum Turcicum Imperium metu Germanorum correptum regitur ab avaritia, segnitie, diffidentia, otio, mollitia et rerum gerendarum crassa ignorantia; et hinc sorti meae conjunctorum quotidianas audio et vide miserias, propriis laboro necessitatibus, uxoris aggravor miseriis, filiorum meorum, sub potestate persequentium me constitutorum, inquietor statu, tot promissis Turcarum frustratus, nec panis quotidiani firmam spem habere possum. Reditus in Galliam praeclusus est mihi, qui etsi non esset, mille maris et inimicorum periculis subjaceret et difficultatibus, quae caritas proximi repraesentat; oporteret quippe hic relinquere tot Magnates Hungaros, infinitis malis et propemodum ultimae despera-

tioni expositos. Nosco Domine horum omnium a te oportere remedium petere, te consulto agere et inter tot ac tanta mala in te solo confidere; et ecce hoc est quod praestare volo; deficit in his excoecata et tot obscuritatibus undique circumdata prudentia mea; nimisquam debilis enervata est virtus mea, nisi confortaveris me. Statuo me coram te in humilitate cordis mei, in agnitione miseriarum et insipientiae meae. Loquere ad me, sed fac, ut ego exaudiam te. Credo me fecisse et facere in his, quae potui et possum, sed hoc quoque ignoro, num quod dico verum, an illusio amoris mei proprii sit; haec enim metuenda est mihi, dum operor, et praesumptio timenda, si inter mala, quibus propemodum obruor, agere cessavero; quis sum enim ego, Domine, ut velim miracula petere a te, et me juvandi modos praeter naturales. Noli igitur permittere, ut confidentia mea in te in praesumptionem criminosam degeneret, sed nec prudentia meae permitte sectari lumen; da ut discernam voluntatem tuam a mea, et liberum arbitrium meum tene tibi subjectum, ut sit vere liberum; donec enim cupiditatibus irretitum fuerit, liberum esse nequiet. Phantasma est superbiae hominis illud, quod tantarum disputationum praebet argumentum, quod procul abesse peto a me; ens rationis non existens est illud arbitrium hominis ita conceptum, uti liberum exprimit; tunc enim indifferens deberet esse inter charitatem et cupiditatem, et omni conceptu boni ac mali qua talis carere; quodsi enim uni aut alteri adhaeserit (prout bono semper adhaeret) quomodo liberam dici potest; non quod absolute malum agere nequeat, sed ideo non agit, quia bono adhaeret, quia nemo odio habet semet ipsum. His ita existentibus semper tendebam ego naturaliter magis ad bonum, quod concepi, quia vidi et actu possidere potui, aut jam possedi, quam ad illud, quod non capiebam, non vidi, et per consequens nec bonum esse persuasus fui; quod faciens jam liber esse cessavi, quia illi alligatus fui, cui qua bono adhaesi. Quomodo ergo liber evasissem, nisi rupta fuissent vincula mea? quis autem rumpere illa nisi tumet ipse potuit, cum praeter te Deus et creaturas, quas vidi et quibus ideo, quia sensibus placebant, adhaesi, nihil est? Sed hoc quomodo praestitisti, cum ex misericordia tua decrevisti? numquid virtute illa tua

supernaturali, per quam, fide mea vivificata, agnoscere fecisti: te summum et creaturis tuis infinite majus bonum esse, et persuasisti; tunc, quia te solum (quia aeternus es,) esse cognovi, creaturas, quibus nullum esse inest, contempsi, et dulcius fuit adhaerere esse tuo, quam non esse illarum, quarum vinculis suave jugum tuum successit, et sic factus sum tuus, qui ante creaturarum fui. Nunquam tamen fui nec tuus, nec illarum, a quo usum rationis acquisivi; hinc nec unquam liber dici potui; non quod aliud facere non potuissem, sed quia facere nolui; nolui quia majus bonum non cognovi, prout oportuisset; non cognovi autem, quia tu non persuaseras mihi. Ecce quomodo catena voluntatis meae dependebat a te; omnes creaturae dicebant mihi, Domine, quod tu sis Deus Creator et summum bonum, et hoc credidi, a quo fidem recepi in baptismate; sed sermo creaturarum tuarum nunquam fuisset sat validus, nisi tu persuasisses mihi voce tua: te esse amandum, qui vere es non quae esse desinent, sed nec sunt, nisi in te. Supernaturale fuit, quod dederas mihi per fidem te cognoscere, amare quoque te, ut a visibilibus objectis abstrahere ad invisibilia, a te provenire debuit; hinc nisi tu conservaveris me in hoc statu supernaturali, ab objecto spiritus redibo ad objecta carnis, et oneri tuo levi succedent onera carnis et denuo alligabor et adhaerebo creaturis; non potero enim esse, quin aliquid amem, seu ut non ferar ad aliquid; si autem ferar, illius ero, ad quod feror, seu quo me voluptas traxerit; ibo tamen et ego, sed ibo quia trahar. Sic est, o Deus; creasti hominem propter te, summum bonum; hinc requiescere nequit nisi in te; hinc semper quaerit bonum nec voluntas ejus tam libera est, ut huic non adhaereat, aut tam insipiens, ut malum qua malum cognitum bono cognito praeferat; sed propter corpus et sensus suos carnales semper illuditur, fallitur; non ideo quia bonum quaerit, ut illi adhaereat, sed quia deviando a te, summo bono, illud bonum quaerit extra te in illis, quae suam a te participant bonitatem, ex se porro nihil sunt; et propterea, dum tu oculos ejus spirituales aperis, in te quod quaerit reperit, et fertur ad te. Sed in hoc statu spirituali et supernaturali nec momento perseverare potest sine te; hinc idemptificat voluntatem suam tuae, cum vere amat te et propterea vere libe-

rior est voluntas ejus, quam fuit, dum creaturas amavit, quia in statu supernaturali motu proprio potest naturaliter peccare, sed in statu naturali non potest viribus suis supernaturaliter operari; vel ut idem dicam, vere liberum est ei, ab amore tuo deficere in amorem creaturae, sed non potest absque gratia tua ab amore creaturarum ascendere ad te, nisi traxeris illum. Ex his demonstras mihi, Domine, quomodo ego damnari possum ex me, sed salvari nequeo, nisi per te, non me tamen salvas nisi per me. Quam justus est timor meus Domine, cum cogito, quam facile sit decedere mihi a charitate ad cupiditatem, si dimittis me; sed quam dulce me scire te esse patrem, et sperare in misericordiis tuis, te facturum quod ego sperare nequeo, ut ego sim semper tecum et adhaeream tibi; hoc enim solum est fundamentum fiduciae salutis meae. Considera haec homo et perpende, quid sit liberum illud arbitrium tuum, quo gloriaris, et responde mihi, num non superbiae tuae sit dicere: te salvari ex praevisis meritis et non ex gratia gratuila creatoris, quem sine gratia nec credere per fidem, multo minus amare potes; quodsi porro non amaveris, non desiderabis; si non desiderabis, quomodo tendes ad illum sine ipso? Si porro non tendes, quomodo mereberis supremum bonum, quod se tibi ex pura misericordia offert quidem, sed etiam si se non dederit, injustitiae argui non potest. Vere enim se offert omnibus: hinc omnes currere debemus, sed quia non se dat omnibus, sic curramus, ut obstineamus, sic certemus ut coronemur.

Quid igitur mihi consultius esse potest, quam denuo recurrere ad te, o sapientia aeterna, ut tu dirigas vias meas in hac peregrinatione mea, ad quam recensendam, inovocata gratia tua, denuo me accingo. Intercepta fuit haec narratio a mense Junio anni hujus usque ad nunc currentem Novembrem; quae porro et quo ordine de his, quae proferam, acta sunt, docebunt curiosos actorum meorum mundanorum protocolla. In bonum, uti credo, tramitem directa fuere Moscovitica negotia, circa quae versabatur omnis spei meae mundanae cardo; sed et mihi et legato Moscovitico timendum supererat, ne adventu magni Legati caesarei et machinationibus ejus subvertantur. Grassabatur interea et in dies ingravescebat fla-

gellum tuum Domine, quo quodammodo incessanter visitare soles urbem Constantinopolitanam et viciniam ejus, et incolae quoque pagi Jeniku, quem inhabito, in dies crescente mortalitate aggravabantur, et ideo consultum esse duxi auram mutare, ut magis praescindendo communicationem cum incolis conservarem illos, quos dedisti mihi, nec illos mecum absque necessitate temerario ausu exponerem periculo; ac proinde petitis a Thesaurario Portae tentoriis amoenum pratum in oppositis Asiae ripis selegi, quem Turcae Silveri Burum seu promontorium cypressorum vocant, et stationem meam fixi in illo ab 11 mensis Augusti; ante hoc tamen tempus jam advenerat Comes a Firmont, caractere Magni Legati Caesarei insignitus, qui cum maxima pompa solitum suum ingressum, Vezirii et Sultani visitationes peregerat; ejus negociationibus summopere invigilandum erat mihi; sed absit a me, ut in his in mea plus confisus fuissem prudentia, quam in tua SSta providentia; agere tamen me oportebat quae temporales praescribebant obligationes in expectatione continua voluntatis tuae manifestandae; non abhorrebam odio, vindica aut animositate Christiano indigna propositiones, quas ipsum mihi facturum fama spargebat; nec harum incerta spe deludi suadebat sana ratio, quin non favorabiliora exspectarem ex negociatione et promissa amicitia Czari Moscoviae, a quo tandem appulit cursor ad legatum, per quam ille jussus fuit me assecurare de protectione Domini sui, de securitate et condigno victu in statibus ditionis suae in quocunque casu. Informavit praeterea me de suscepta resolutione sua, conclusa cum Sueciae Regina pace; bellum cum Imperatore gerere ob multas sibi illatas injurias et pactam contra se cum Regibus Angliae et Poloniae summe praejudiciosam colligationem; promitti sibi ad hoc grande opus auxilia ab ipso Pontifice, nec non ab Electoribus Bavariae et Coloniae et a Principe Hassiae Casseliano. Consultum igitur fore, ut ego quoque rem apud Turcas agerem, ut illi quoque coacta pace sopitum bellum reassumerent. Resolvisse proinde se Ministrum suum ad Aulam Regis Borussiae mittere, qui supremam colligationem in hanc rem concluderet, et interea viribus suis maritimis in persona in Sueciam transfretare, ut Reginam ad tam diuturno tempore trac-

tatam, sed variis modis elusam pacem concludendam adigeret. Petiit proinde Legatus ad haec denuncianda me accedere, et eum sine mora prandio sub tentoriis excepi pridie festi Nativitatis Virginis Matris tuae. Magna haec fuere spei meae, sed non desiderii, nisi in mensura voluntatis tuae argumenta; displicuit tamen propositio de resuscitando bello Turcico, cujus inconvenientias legato exposui plus praejudicii in rem communem quam spei retrum bene gerendarum manifeste allaturas. Considerandum imprimis esse gentem hanc esse in prosperis intractabilem et in adversis nimisquam depressam; ac propterea si opera colligatorum bellum prospere gestum fuerit, mutabitur Hungariae et Transylvaniae jugum, non tolletur. Si autem ex adverso rem evenire contigerit, primo sibi leges a victore praescriptas suscipiet; secundo oportere considerare rem Christianitatis et colligandorum Principum, qui cum Hungariam a Turcis occupari, devastari ac depopulari viderint, ditionibus suis hanc potentiam avicinari aegre ferent cum Pontifice, et timendum, ne ex hac causa ad particularem pacem cum Imperatore concludendam adigantur; tertio quod si Czarus secundum opinionem meam se resolveret Imperatorem per Hungariam aggredi Turcarum innumerabili foece hominum refertus exercitus et nullus vivendi ordo et ratio incolas abalienabit, annonam consumet, et omnibus hibernorum et alimentationis beneficiis privabit Czari et meum exercitum, et Hungarorum in diffidentia et metu Turcici jugi suspensum tenebit animum, et plurimos partibus Germanorum sub spe minoris mali conciliabit; subjunxi propterea credere me utilius futurum bonis dispositionibus Turcarum uti in promissis mihi pecuniariis subsidiis, quibus mediantibus plus utilitatis sperandum est a Hungarorum et Rascianorum auxilio, quam a bello a Turcis inchoando. Convenit de his Legatus et ad haec, quae de intentione Czari mihi dixerat secundum mandatum suum Vezirio exponenda, colloquium petiit, desiderans a me, ut illorum, quae convenientia fore judicavero, denunciatione Vezirium praevenirem; quae posteaquam se quoque confirmaturum appromisisset, lubens petitum praestiti. Sed huic colloquio Legati tam longa interposita fuit mora, ut ipsemet suspicari coeperim Vezirium a Caesaris legato in contrarium

dispositum fuisse; quoniam multi intercedebant quamvis publici rumores de bello Moscuis indicendo et de Ablegato incaptivando, qui mihi dedere ansam Vezirio significandi, approbare me quidem iu omnibus suum agendi modum cum Caesaris legato, sed non posse mihi persuadere se credere tam stabilem obtenturum Germanorum amicitiam, ut Czari Moscoviae bonae in rem Portae dispositioni praeferri mereatur, et pro simulati amici complacentia veri et realis amittere amicitiam, cujus negotia urgent, et res Portae suadent exaudire Legatum, qui alias facile persuaderi poterit de publicis sibi contrariis rumoribus. Sed antequam haec illi dici potuissent, Vezirius Legatum ad colloquium invitari curavit, in quo Legatus granditer et amice exceptus, postequam a me praenunciata confirmasset, novas de pace colenda assecurationes obtinuit; et denunciavit Legato, ut mecum de modis me adjuvandi absque intentatione publicae hostilitatis conveniret; facturam Portam in favorem mei omnia, qua facere poterit. Haec fuit substantia colloquii Legati cum Vezirio praeter illa, quae spopondit Portam dissimulaturum ea, quae Czarus exercitum suum in Polonia tenendo contra pacem Pruthensem facere referretur ab inimicis suis. Facile sibi persuasit Vezirius colloquium suum cum ministro Czari habitum magnam suspicionem apud Ministrum Caesareum causaturum; mandavit igitur Interpreti Portae, ut si de illo investigaret responderet: illum de captivis a Tartaris restituendis egisse et his similia; quibus curiositas Germanorum elusa est, non tamen sopita. Legatus enim Angliae paucis abinde diebus colloquio cum Vezirio petito exposuit, obtinuisse mandata a Rege suo, ut denunciaret non qua Germani Caesaris colligatus, sed qua Portae amicus, ut sibi caveret Porta a fraudulosis Moscovitici Legati propositionibus, cujus dominus sub praetextu belli, indicendi aliis potentiis, magnos bellicos apparatus parat, ut Portam inexspectata irruptione aggrediatur; velle praeterea occasione exercitus sui, in Poloniam hibernationis gratia reducendi, sibi subjugare Poloniam, et in illa me Regem constituere, ut sic conjunctis mecum, beneficiario suo, viribus praedictum suum intentum effectuet; cui Vezirius respondit, se quidem ignorare, quid sit in Czari corde; facturum tamen, ut se nunquam inprovisum repe-

riat: quodsi pacem ille prius ruperit, mavult. ut ille, quam ipse Vezirius, fidefragii arguatur, cujus Deus ultor erit; quod porro me attinet, jam responsum datum fuisse Legato Caesareo. Ursit Legatus afferendo Czarum jam pacem rupisse, cum exercitum suum in Polonia tenere continuet; sed reposuit: rem esse hanc quaestionem inter Portam et Czarum discutere, ad quam tertius nihil habet, quod afferat; factam fuisse jam de hac re quaestionem, ad quam exspectatur responsum. Haec fuere praeludia propositionum Legati Caesarei, quas de me reiterare decrevit novis et urgentibus ab Aula sua acceptis mandatis et literis; occasione igitur nacta, cum ad convivium supremi Classis Praefecti cum Veziris invitatus fuisset, praevie cum illo colloquium petiit. cui referendo pomposam et benignam Legati Turcici exceptionem Viennae subjunxit; nova se accepisse mandata, ut extradationem personae meae tanquam inimici domini sui cum caeteris Hungaris adurgeret; ad quod Vezirius respondit, jam saepe se dixisse, me esse hospitem Portae et similia in me exercere conscientiam. honorem et legem Portae vetare; petere proinde, ut desistat a similibus petendis. Sed respondit Legatus, non posse Aulam sibi persuadere sinceram esse erga se Portae amicitiam, quamdice inimicos suos in limine suo tenet (contra) rationem status imperiorum; suadet igitur, ut pro mutua confidentia stabilienda hinc adminimum amovear, et releger in tam remota loca. et sub tam arcta custodia tenear, ut cum nemine possim correspondere; cum par sit mea evaga duo Imperia secreta inimicitia, quam foveo in corde et personaliter contra Vezirium; ad haec firmius urgenda tradidit Principis Eugenii Sabaudiae, Praesidis Concilii Bellici, ex mandato Caesaris scriptas literas et petitum nomine Electorum Imperii (quamvis false), et reassumpsit dicens praeterea hoc jam occasione pacis Pasaroviciensis. proxime conclusae, fuisse a plenipotentiariis Portae per rescriptum particulare promissum. Sed ad haec indignabundus respondit Vezirius: Me esse hospitem Imperatoris invitatum, et sub protectione Portae; etiamsi inimicus ejus essem, securum; non esse arbustulum, quod aviculam refugientem ad se non defendat pro posse suo; quidni tantum Imperium hoc praestare debere; quod promissum concernit ignorare se, nec

quid ex mandato suo factum fuisse praeter id, quod publicis tabulis pacis insertum est; inquisiturum tamen se a Legato secundario, hic existente et facti rationem petiturum. Sed nec ad haec destitit Legatus, reponens se hanc provinciam particulariter in se assumpsisse, et quia spopondit effecturum amotionem meam, ei aliunde speciali mandato instructus negligere non potest, quin amplum de hac re transmittat rescriptum et Principis Eugenii responsoriam adurgeat epistolam, quam aliquali spe adminimum obtinendi petiti refertam sperat obtinere, ut et suo rescripto et Vezirii responso ad Aulam transmissis, uno et altero se exonerare et excusare possit. Reposuit ad haec Vezirius, ut faciat Legatus quod suum est; daturum se responsum conveniens rei petitae. Non conquerar Domine tibi de calumniis et recriminationibus in illo amplissimo rescripto mihi illatis; tuum enim mandatum est, ut oremus pro persequentibus nos; parce Domine, parce illis, qui innoncentem calumniant et loquuntur mendacium. Die sequenti Vezirius Legatum plenae potestatis, de quo Caesareus locutus fuerat, accersitum acrius examinavit de veritate praetensi pacti me concernentis; sed ille productis in medium instructionibus et literis supremi Vezirii rei falsitatem clare demonstravit, nec quid ratione mei amplius quam instrumento insertum est, conclusum fuisse edocuit; annectens, verum quidem esse Firmontium tunc legatum, pactis conclusis, petiisse, ut huc adveniens habeat facultatem, novas ratione mei propositionis faciendi, quod petitum quia et in bonam et in malam partem interpretari potuit, permissum fuit cum declaratione: Portam facturam, quod legi et honori suo conveniens judicaverit. Jussit proinde Vezirius, ut Legatum accederet et se propositionibus suis male digestis offensum fuisse insinuet, et Caesareum Legatum disponat, ut a similibus petendis desistat. Sed surdo canebatur fabula; nec ista Vezirii, nec altera per Interpretem, nec tertia per Capuzium, ad latus Legati ordinatum, facta denunciatio recedere fecit a petitione responsi, quod tandem multis orientalibus locutionibus obsinuit, continens in substantia, quod jam ante Vezirius respondere solebat, legi positivae, amicitiae jura praevalere non posse. Voluisti, o salus animae meae, ut ego haec, dum fiebant, ignorem; sed paucis

postea diebus innotescere fecisti mihi, ut laudans admirer et admirando laudem magnalia providentiae tuae et misericordiarum tuarum in me; a te fuit inspirata Turcico Ministro haec firmitas, quam inter Principes Christianos non repereram, qui mihi in similibus casibus respondere solebant: rationem status non admittere, ut haec et haec, mutatis rerum circumstantiis, serventur. Sic Turcae amicitiae mundanae propter legem renunciaverunt; Principes porro Christiani legem propter amicitiam respectu mei subverterunt. O bonitas infinita, numquid non simile est exemplum meum parabolae hominis transcedentis in Jericho et incidentis in latrones; non levita, non sacerdos exercet charitatem in me, sed Samaritanus; Christani principis vindicta persequitur me, quaerit ad necem; caeteri me a finibus suis arcent; en Turca suscipit, et oleum ac vinum immittit in vulnera mea. O tempore! o mores! in quibus praecepta tua exula sunt a discipulis tuis, et exercentur ab infidelibus! Quid est, qui ex his refrigescentis charitatis tuae signis finem temporum advenisse non imaginetur. Tam sensibilibus exemplis demonstras tu mihi Domine, te solum protegere hominem et curam gerere ejus, dum peregrinatur super terram, et conservationem ejus non suae prudentiae, sed tuae providentiae esse effectus; dictaverat illa ut hinc recederem, et asylum inter Christianos quaererem; sed quia me huic commisi, tu me protegis. Quis ergo contra me, donec tu fueris mecum; quis nocere potest mihi si ego non recessero a te? o quam bonum est sperare in te; ita est o dulcedo animae meae, haec sunt signa bonitatis et misericordiae tuae in me, sed qui sunt effectus gratitudinis meae erga te; tu me protegis et alis tuis cooperis; ego vero offendere te necdum cesso, sed nec cessabo, quamdiu subsistam in hac miseriarum valle et statu oppositionis contra te; dedisti mihi velle uniri tecum; sed quidquid est in me, contrariatur tibi; tu enim es summa puritas, ego vero summa foeditas. Quis porro est, qui me liberabit a vinculis carnis meae et ex carcere corporis hujus, nisi gratia tua. Tu me protegis, et ego te offendo; tu me foves, et ego recalcitro; quam stupendus sum mihimet ipsi, et quam incomprehensibilis es tu mihi. Illi sunt misericordiae tuae, hi autem miserae conditionis meae effectus. Da igitur posse, quod

nolo, et nolle, quod possum; aliam enim legem sentio in carne mea, quae repugnat legi tuae, et hinc peto, ut possim, quod nolo, alium instinctum; et propterea desidero nolle, quod possum. Hae sunt o Domine quotidianorum gemituum meorum justae causae praeter ea quae sunt aliena; omni mundano status mei splendore et populorum cura vacuus quantis me onerat gemitus causis humana fragilitas; quot et quantae supersunt si tibi placuerit praedictis denuo aggravare me. Ignoratur plerumque lex tua inter mundanos Principes, qui vindictae sequuntur stimulos, et hinc propemodum universalis subjicior, si non interioris, ad minimum exterioris inimicitiae apparentiis, et haec omnia contrariantur charitati proximo debitae; denuo dicam Domine, adorare me debere judiciorum tuorum profunditatem, quorum consiliis illos ad protegendum me corroboras, qui legis tuae inimici sunt. Demonstratus mihi quantae mutationi subjecta sit mundana amicitia aliorum, qui tantas quondam mihi fecere protestationes et dedere assecurationes; quam inanis est illa, quae Christiana charitate non fulcitur, cujus objectum non tu, sed proprius unius cujusque amor est; haec est quae rationi status et exinde emergenti utilitati innititur, et propterea omni humanae variationis vento subjecta nutat, vacillat ac subvertitur; haec est domus arenae superimposita, sed vice versa in firma petra legis tuae fundata dilatio hanc instabilitatem ignorat. O incomprehensibilis mundanae vitae ratio, quantae inniteris dementiae; quanta coecitate circumdata subsistis, dum vitae Chritianae regulas contemnis. Omne societatis vinculum ex aranearum telis texitur, quod nulli contrarietati resistere valet, nec momentanea in te reperitur securitas; exquisita sunt verba, protestationes tuae cordiales apparent, et saepe confirmantur teneritudinis lacrymis; sed in ictu oculi subvertuntur omnia, et vel minima utilitatis aura impellente, mutantur in contraria. Hinc patet odio habenda esse mihi principia, in quibus fundaris, non personas, quas violentiae torrentis tui arripit et volvit in praecipitium; gemendum est mihi super statum illorum et compatiendum caecitati. Hinc apparet, quam justa sit lex tua Domine, quae nos inimicos diligere jubet, quae, quia in eadem respectu aliorum fundatur, misericordia, quam tumet ipse in nos exerces,

quia immutabilis es; haec quoque nullae mutationi subjicitur; vis quippe, ut sic compatiamur et condonemus proximo, prout tumet ipse compateris et condonas quotidianas ingratitudines nostras; iis enim instabilitatibus, mutationibus, frivolis propositis repleta est vita hominis respectu tui, quibus mundanae vitae ratio et societas mutue innititur; sic agimus tecum prout alios nobiscum agere conquerimur et detestamur. Ideo quid justius quam te, in illa mensura dimittere debita nostra, in qua nos aliis dimittimus; quid aequius, quam ut quemadmodum tu facis, ita et nos faciamus. Parco igitur Domine persequentibus me, ut tu quoque parcas mihi; quid enim mecum factum fuisset, si tu me, dum inimicus tui fui, non dilexisses; obtrectant, accusant, injuriant, calumniantur, ad necem quaerunt, et ad longinquarum et barbararum terrarum oras expellere nituntur me; nesciunt quid faciunt, nimisquam debiles sunt, ut his omnibus noceant mihi, cum me a te summo bono avellere non valebunt; plus ergo timendus est mihi inimicus, quem circumporto in corpore, quam omnes principes terrae; ille enim solus perdere et me avellere potest a te, quod caeteris omnibus viribus et potentia efficere nequeunt. Ego tamen plerumque plus sollicitor de illorum, quam de domestici inimici mei machinationibus et insidiis; sic dum alios coecos esse agnosco, me saepe coecum esse ignoro. Compatere igitur Domine, miseriis meis; vide debilitatem, respice fragilitatem conditionis meae. Creator es, quid te dignius, quam compati creaturae; Pater es, quid dignius, quam parcere filio; medicus es, quid convenientius, quam sanare aegrotum; dominus dominantium es, quid clementius quam ignoscere servo; denique Deus es, quid te dignius quam misereri. Verum est te justitiam quoque judicem esse, et hoc est moetus mei argumentum; sed qui tu me noscis melius me, vides quod amando nolens offendam te, nec est dolus et peccandi voluntas in me; propterea quoque convenit absolvere judici confitentem reum, peccatorum conditione non voluntate sua; quodsi enim judicaveris absque misericordia, quis salvabitur? Tu nosti inquam figmentum meum, massam illam corruptam et poenam, peccati caracterem, condemnationis suae circumportantem; quis te injustitiae arguere potest, dum ex illa vasa irae formas? Dura est

haec veritas auribus Nominum et incompatibilis consideratio ejus cum superbia sua; ideo quaerunt sapientes lenire, moderari, suaviter eloqui eam et ex hac scaturigine emanant disputationes illae continuae de auxiliis, de gratia, de praedestinatione et reprobatione, per quas semper magis ac magis refrigescit charitas, et involvitur haec quaestio, quam ipse Paulus apostolus tuus primus impenetrabilem asseruit et illum Sancti de hac materia tractantes secuti sunt; sed a quo scolarum pluralitas sententiarum differentiam induxit in Ecclesiam, alii in operanda salute sua homini multum, alii parum, alii nihil attribuunt. Quanta ex tam oppositis enascitur diversitas opinionum opinio justitiae Dei aliquid demere aut misericordiae plus vel minus addere posset. O sancta simplicitas fidei, filia humilitatis, nepos charitatis, quae ex cathedris sapientum propemodum expulsa, te in secreta cordium electorum Dei recepisti; tu sola es, quae tam abscondita explicare potes, dum te nihil scire, sed credere velle declaras. Sed non sufficit hodie haec elocutio; quaerere oportet et scire qui cupit, cur Deus salvat Petrum, condemnat Paulum, num omnes velit salvare homines, num tantummodo electos, num hi ex praevisis meritis, num ex gratuita gratia salventur, et infinitam talem quaestionum farraginem decidere cupit. Quapropter alius homini nihil attribuit, nisi tanquam inanimato instrumento, et insipiens est, non considerans te Domine fecisse hominem propter se; vis igitur ut tendat ad te; si porro non agit quomodo tendet; Sed tendere tamen non potest, nisi tu traxeris illum; — alius in hoc tendendi et trahendi modo homini multum attribuit, et hic vellet fieri similis altissimo, sed tu o bonitas infinita, inter hos disputando aerem vanis ictibus verberantes fac me quaeso facere, quae praecepisti, et dum omnia fecero, adhuc pro servo inutili reputare et habere me. Sit disputatio mea semper cum inimico meo interno; qui contra me est semper, et caetera committam miserenti justitiae tuae. Credo enim Domine, te esse justum et misericordem; sed tuum est unice scire et velle esse vel plus misericordem quam justum, vel plus justum quam misericordem, nunquam tamen eris tam justus, quin non sis et misericors, sed nec tam misericors, quin non sis et justus. In his consistit totus cardo quaestionis; haec est abys-

sus, quam homo metiri cupit, cujus fundum nonnisi tum videbit, dum agnus ab aeterno occisus librum illum septem sigillis clausum spectandum producet, ut tu Deus justificeris in sermonibus tuis, et vincas, cum judicaris; sentio Domine et video quomodo haec fiant in Ecclesia tua, sed in hanc ipsam profunditatem inciderem, si quaerere vellem, cur permittis, ut fient. Deus es; non te capere sed adorare volo; non opera et agendi modum concipere, sed contemplando admirari ea; da mihi, ut ex illis amem te, sunt enim magna et mirabilia nimis. Omnium haeresium, quae in Ecclesia tua exortae sunt, vera causa fuit, quod homines mysteria, quae in simplici fide credere, non capere oportuit, scire ac intelligere voluerunt; semper ex oppugnationum, contradictionum et disputationum frequentia clarior elucescebat veritas, sed per haereses et schismata minuebatur charitas et numerus electorum tuorum, et augebatur concilium malignantium ex quibus componetur ad finem temporum lignum illud Antichristi, quod tu Jesu mi destructurus es. Quo plus depravabitur Christianorum vita, eo major erit credendi difficultas, et sciendi cupiditas; et eo plures scholae, plures disputationes, major aemulatio, et sic sapientum sciolis mixtorum numerus componet modum non credendi sed loquendi particularem; cujus ignoram sanctam et simplicem pietatem proscribent magis ac magis illi, qui ore de te loqui solent, Domine, hominibus, sed corde tibi loqui nesciunt, cujus loquela nequit non censurari a hominibus; simplex enim est haec, et illorum oculi nequaquam. Sic suspiciosi suspicantur, judicant et absque charitate condemnant simplicitatem, et sic sensim sine sensu progredientibus temporibus persecutionibus tradetur vera pietas, pia simplicitas et sancta, pia ac simplex charitas; latebit igitur haec cum veritate in gremio Ecclesiae tuae in cordibus paucorum electorum, propter quos abbreviabuntur tempora, sed non exstinguetur unquam; et propterea Ecclesia fundata est super beatitudinem persecutionum, propter veritatem et per has esuriendo et sitiendo semper justitiam obtinebit ac sanctam illam saturitatem, quae in summatione omnis charitatis, in possessione nempe tua consistit. Haec fames et sitis est Domine, cujus quotidianum nutrimentum est verbum tuum, et esca confortans et corrobo-

rans SStum Corpus et sanguis filii tui; sed quia fames et sitis nostra nunquam cessare debet, ideo hic cibus nos tantummodo corroborat, quia digne sumptus semper majorem et majorem famem et sitim excitat, donec perveniamus ad supradictam beatam illam saturitatem, o Deus, immensa bonitas, dulcedo et suavitas animae meae. Ecce ego inter has, inter quas me constitutum scis, vides, et noscis conditionis meae miserias, mox accedere praesumam ad participationem nutrimenti hujus, quo contra adversa omnia spiritualia et corporalia confortari cupio; quodsi enim in illis debilitatus fuero, in his deficiam; in via tenebrosa, per quam ducis me, fac, ut ego perseverem in simplicitate credere mysteria tua, in charitate scrutari scripturas et contemplari opera tua, et in veritate meditari, scribere, et enarrare magnalia tua, ad quorum cognitionem elevare dignabaris indoctam simplicitatem meam. Sic est o Domine, vere tu solus es, qui me confortare potes in tantis mundanis status mei contrarietatibus, quae semper magis augeri et ad instar fluctuum procellosi maris tumescere video. Jactatur his cymba mea, sed nec portum nosco in quo reclinandum est caput meum. Eloquar igitur haec, quae me de novo commovent hominibus, ut videntes angustias status mei, in quibus, dum haec scribo, versor, eo magis agnoscant et laudent miserationes tuas, o aeterna bonitas. Protegunt me Turcae contra Aulae Viennensis persecutiones spe utilitatis propriae, quam sibi eventuram sperant occasione belli Moscovici, per quod Hungariam et Transylvaniam eliberari posse credunt et avelli a potentia Imperatoris, a qua nimis aggravati et coarctati sunt. Quapropter naturalis consequentia est mihi metuenda, quodsi spes hujus utilitatis cessaverit, et Czarus belli contra Caesarem suscipiendi animum deposuerit, Turcarum augebitur et Legatus Caesareus contra me tentata molimina et relegationem meam in dissitas abhinc oras facile obtinebit, et ecce status, in quo actu constitutus sum. In dies sperabamus Legatus Moscoviticus et ego reditum cursoris, qui mense Julio expeditus fuerat cum ampla relatione de favorabili dispositione Portae ad pacem cum Czaro seu prolongandam seu perpetuam concludendam; sperabamus praeterea hunc nobis allaturum certitudinem pacis cum Suecia conclusae et responsum mihi

super illa, quae per Mariasium proposueram. Jam mihi Legatus significaverat enim per secretum cursorem suum accepisse relationem, quae sibi transmissa fuerat: Czarum majorem partem virium suarum navalium transfretare fecisse in Sueciam, ut Reginam ad pacem secum concludendam adigat, quo exercitus, descensu feliciter peracto, depopulatis urbibus, vastatis ferri et cupri fodinis Reginam coëgerat ad novas assecurationes dandas concludendae pacis, si revocato exercitu sibi et senatui quietem dederit, et in hanc rem novos Ministros cum ampliori facultata in insulam Alland deputavit. Fecit Czarus quae petiit, et hinc sperare poteram (prout haec et Portae communicavi) sequentem cursorem optata nova allaturum; sed cum hic quoque advenisset, denunciavit mihi Legatus se nonnisi breves, propria manu Czari scriptas recepisse per eum literas, per quas notificat, se illa omnia, quae de Portae dispositionibus ad se scripsit credere, nec mirari legatum Anglicum rebus suis esse contrarium, siquidem Rex ejus pacta cum Regina Socia particulari pace ac defensiva et offensiva liga, apertus inimicus suus effectus fuerit, injungitque Legato, ut resciat a Porta, num illa sit mens ejus, ut per pacem perpetuam omnes omnino querelae ab utrinque tollantur, praetensio vetus Tartarorum de tributo sibi pensari solito et debito aboliatur, et derogando paci Pruthensi liber transitus exercitibus suis per Poloniam concedatur; haec porro omnia mecum communicet, et ex consilio meo agat. Contraria haec fuere nimis exspectationi meae, et statim renunciavi Legato: credere me has propositiones pro statu temporis supprimi debere; cum literas plenae potestatis ad tractandam pacem non receperit, cujus cum haec sint essentialia puncta absque illis sana ratione exponi nequeunt, quin Portae suspicionis ansam non praebeant de insinceritate Czari et de desiderio tantummodo illudendi Portae tempusque protrahendi, de quibus a Caesareo et Anglico ministro jam accusatus fuit ad Portam. Quodsi praeterea haec tam crude exposita fuerint, credet Porta Czarum Suecica pace delusum et Anglia Regis inimicitia perculsum, a bello contra Imperatorem gerendo mentem avocasse, propterea pacem cum Porta ineundo tantummodo quaestionibus eludere velle. Ne vero Vezirius cursorem vacuum rediisse credat, sub-

junxi repraesentandum illum de felici reditu suo cum exercitu navali in Sti Petriburgum nova attulisse cum spe adventus subsequentis, cum amplis instructionibus, conjuncturis ex inimicitia Regis Angliae emersis adaptandis; quae cum tanta festinatione agi non poterant, cum terrestres exercitus, dispositiones dislocationes et rerum aggrediendarum negotia concernant. Sana et adaequata haec videbantur quidem legato; sed illico renunciavit rem sibi esse cum Domino, qui mandatorum suorum non satis executam executionem facile capitis supplicio punire solet; non promitti sibi absolute expeditionem tam promptam subsequentis cursoris; quid porro futurum, si ille tardaverit in exspectatione responsi ad puncta sibi per postremum transmissi, de quibus agitur, quae fors Czarus pro fundamento gerendarum praevie scire cupit? His proinde in trutinam assumptis et coram te Domine examinatis, consensi, ut communicentur Vezirio, et quomodo pro genio suo verbaliter exponi debeant, scriptotenus transmisi; sed inter haec Legatus fors non sat cautus cruda illa puncta per Interpretem suum Interpreti Portae communicavit, et dum colloquium cum Vezirio sibi promissum adursisset, summe inopinatum responsum recepit: Oportere, ut se ad reditum ad Dominum suum praeparet; nec amplius opus esse colloquio, sed cum ad Sultanum admissus fuerit, responsoriam mutuae fidei epistolam recipiet. Non tardavit haec inprospere gesta mihi significare legatus, et de novo mentem meam expetere, num ire num se extremis periculis exponere debeat recusando reditum, quae ipsum seu hic seu redeuntem et relatis Czaro secundum Vezirii et Portae commissa tam contraria relaturum supermanent. Ardua fuit mihi nimis haec quaestio, et de his Portae tam loqui, quam de illis tacere periculosum videbatur, quoniam propositiones (quas ab Interprete Portae Vezirio communicatas fuisse supposui) contrariae fuerant nimis exspectationi Portae et spei, quam concipere feci de Czari intentionibus, super quam tota machina negotiationis et favorabilis Legati receptio fundata fuerat. Quapropter omnibus ad te, o Sapientia aeterna, relatis, prout nosti, respondi: me credere conveniens esse, ut Legatus auersari faciat interpretem Portae, et denunciet Vezirio: rogare, ut se reflectere velit ad ea, quae

Czaro ex mandato suo saepe scripsit; quibus si contraria retulerit, quia falsitatis non tantum argueretur, sed et capite plecteretur (cum impossibile foret Czaro persuadere Portam absque ulla causa data tam subito mutasse sententiam). Convenire rebus Portae, ut sciat non tantum dominum suum fors ex his mutaturum animum circa propositum sibi bellum suscipiendum, sed et principes reliquos, qui idem senserunt cum ipso; qui cum legatum suum ammandatum et absque prolongatione aut conclusione perpetuae pacis remissum audiverint, de bello inter duo Imperia suscipiendo et imminenti non dubitabunt, et omnem animum convertent, ut Imperatori Germanorum reconcilientur, quapropter resolvisse se, nullomodo discedere hinc et proprio consensu absque praevia relatione Czaro transmittenda, et receptis mandatis suis. Viderit Porta quomodo secum agere decreverit, et quid ex laesione caracteris sui subsecutum fuerit. His recensitis, convertor ego ad te, o aeternum sed impenetrabile decretum, adorans vias tuas, per quas me ducis; tu nosti me melius, quae mihi ex his eventura sint; dictamini prudentiae meae, quam ad res mundanas et statum meum concernentes disponendas dedisti mihi. Agnosco ego, et da, ut semper in majori humilitate agnoscere possim debilitatem proprii luminis mei, cum in hac sola persuasione quaerere debam consolationem in tam arduis rerum dispositionibus. Quidquid mihi de his et de ceteris, quae in Europa agi audio considerandum repraesentantur, et ex notitia Aulae Czareae conjecturare opinarique possum; persuadet mihi : Czarum res suas cum inimicis suis amicabiliter compositurum, Regem Hispaniae pacem conclusurum, et Imperatorem rebus undique sam prospere gestis in omnibus praetensionibus suis, metu Turcarum aucto, triumphaturum contra me; sed nec haec declinare, praevenire aut fugere possum: praeclusum est mihi ubique in Christianitate asylum, sumptu quotidiano absque auxilio Turcarum careo, lucta mihi cum extremis imminet et omnis impetus sustinendus vindictae inimicorum meorum, seu infami morte, seu captivitate (si in manus eorum traditus fuero), seu relegatione in barbaras et remotissimas abhinc terras terminandus. Quis sum ego, vermis et cinis, in oculis tuis, ut inquiram, quid de me facere decre-

veris, et in quo consistat bonum, hic contrarium, desiderabile mihi, quod lumine aut satius dixerim, tenebris naturalis rationis meae praevidere possum? quamvis sciam, ea quoque te volente evenire, possibilia, quae his contraria sunt, sed ego illa, quae praevideo mala, non ea, quae tu potes bona, mereor, hinc a te solum dependet, num justitiam, num mecum facere volueris misericordiam, et an de me vas honoris, an vas ignominiae facere volueris, sive in illis, quae aeternam, seu quae temporalem meam concernunt vitam; sed et in quantum haec illam respiciunt nescio, in quo consistat bonum, quod a te petere debeo, et desiderare tamen suapte natura quoque suggerit mihi humanus spiritus. Scio Domine, me debere gaudere de persecutionibus, crucibus et adversitatibus, quae ducunt hominem ad te, et conformem efficiunt vitae filii tui salvatoris et Domini mei; sed numquid non docuit ille me petere, ne me inducas in tentationem, sed liberes a malo? Quae major esse potest tentationum occasio, quam inter illa, quae mihi imminentia recensui; possem ergo petere, ut declines illa a me, et ut transeat a me calix iste; sed vice versa siccine intendam evitare illa pati in satisfactionem criminum peccatorum et quotidianarum imperfectionum ac delictorum meorum, quibus ego te offendi et justitiam tuam provocare non desino? debentur haec et his infinite majora justitiae tuae in expiationem eorum. Justum est et desiderabile, ut hic urar, secer et patiar, ut in aeternum parcas mihi; sed nec illud injustum, ut metuam, ne inter tot ac tanta mala deficiam, et suggerente carne blasphemem nomen tuum, poeniteatque me vitae meae. Ecce Domine status miseriarum conditionis meae; ecce contradictiones et contrarietates, quae reperiuntur in me; lex tua praecipit, ut desiderem et congaudeam in illis, quae adversantur mihi; lex carnis suggerit, ut petam liberari ab iis. Illa jubet, ut velim; haec dictat, ut nolim. Illa vult, ut sperem; haec repraesentat, ut metuam. Fovet spem misericordia tua, sed auget timorem justitia: et inter haec fiduciae et metus argumenta quanta non occurrunt, quae mihi ad evitanda futura tanquam extrema tentanda suadentur; quae infinitis periculis ac discriminibus subjecta sunt? O altitudo divitiarum sapientiae ac scientiae tuae Deus, quam investigabiles sunt viae tuae,

ad quas calcandas homines in poenam pecati destinasti super terram! justae sunt hae quamvis nobis sint inpenetrabiles, nec graviori poenae potuit subjici natura humana, quam continuae incertitudini eventuum vitae suae. Voluit haec bonum et malum noscere in Adamo, et per peccatum, dum bonum et malum temporale scire in poenam suam didicit, in ignorantia veri boni et veri mali, quae respectu futurae vitae suae tanquam proficua desiderare, vel nociva fugere debeat persistit, dum quid sine auxilio tuo speciali agere intendit. Quae poena intolerabilis pro superbia sua illa nescessitate, per quam ad agnoscendam ignorantiam suam adigitur, et coram te humiliari cogitur, annihilando se in conspectu tuo? tradere tibi voluntatem suam, quam solam reliquisti illi liberam ut possit agere te adjuvante, in bonum, se et per se volente autem in malum suum operari? Hae sunt veritates, per quarum considerationes consolatur me bonitas tua; scis: propinatum mihi calicem justitiae tuae amarum nimis dulcorat misericordia, et sic in omnibus, quae agis, totus et indivisibilis Deus, agis integre; omnipotens enim, justus et misericors es, punis et misereris, misereris et punis. Quodsi porro omnia temporalia mala apparentia poenae sunt peccati eorum, patiens tolerantia satisfactio est, tibi debita, et sacrificium gratum tibi quo expiamus peccatorum poenam, si illa quae patimur a te lubenter suscipimus et tibi offerimus. Quid ergo est o Domine in me, quae ipsam mortem ignominiosam, carceres et exilii exilia horrere facit, et tanquam mala repraesentat? quae est tentationum, quas metuere justum esse dixi, causa? quam adhaesio illa vitae temporali, mundo et mihimet ipsi: secundum cujus mensuram orientur tentationes in me, quae disparebunt, dum totus tuus et ex parte quadam non fuero et meus. O insana et illusoria imaginatio, quae in me horrere potes horum fors venturorum praevisionem, fomes cupiditatis, usquequo insidiaberis mihi! O vita corporis, cur studeo conservare te! quodsi enim studii mei causa fuerit ordo providentiae tuae Deus, ut operer opus, propter quod voluisti, ut viverem, omnia quae te ordinante evenerint mihi opera erunt, quae voluisti ut operer; quodsi vero te, vita mea, in alium finem conservare studuero, mors es mihi, non vita, et omnium malorum

maximum. Haec sunt Domine, quae in statu meo moderno tu per me repraesentas mihi, per haec me confirmas et fortificas contra illa, quae humana futurorum curiosa repraesentat prudentia : quid superest, quam ut tibi dicant interiora cordis mei, non solummodo lingua et calamus : fiat voluntas tua. Dic o domine hoc cordi meo, ut cor meum dicat tibi, et conserva in me hoc verbum tuum, ut dum tibi praevisa immittere placuerit, opere confirmem haec, quae nunc ore, calamo et corde sentio dicere tibi. Vapores sunt nebulosi naturae meae, qui quandoque exsurgunt, obfuscant et obfuscando conturbant me, et hi sunt, qui se interponunt inter te et me, et residuum illud sunt, quae impediunt unionem meam tecum, qui lux lucis omnis caliginis expers es. Donec aliquid inter te et me intercesserit, nequeam uniri intime tecum, sed hoc quoque, de quo conqueror, ex ordine providentiae tuae est et poena peccati; heterogeneum illud est conditionis et mortalis infirmitatis meae, quae vita dicitur; sed quia me a te, vera vita mea, separat, vere vita dici nequit. Sed o Domine (denuo repetere cogor) quae est miseria mea, cum de his quoque, quae unionem meam tecum impediunt, si impatiens conquererer tibi, fors amoris proprii esset effectus, qui te summum et verum bonum meum quaereret propter me, non prpter te; aut quia a superbia incitatus vellem excedere limites ordinatos naturae meae; sic enim et in sancta desideria hominis irrepit peccatum, dum justae moderationis excedunt limites, et a propria ejus, non a tua voluntate procedunt. Sic taedium et amor vitae, dum huic non conformantur, aequaliter peccaminosa esse possunt. Nolim ergo ego quidpiam unquam desiderare a te, nisi : ut SScta voluntas tua semper et ubique adimpleatur in me; adorem ego semper, non investigem decreta tua, et beneplacitis eorum consecrem voluntatem meam, effectus meos et omnia desideria mea. Fac, ut lubens eam quo volueris, gaudens sequar quo duxeris, hilaris agam et perficiam quae jubes et jusseris, et sic compleam dies peregrinationis meae super terram et illis, dum tu volueris, finitis, perveniam ad te, ut uniar tecum in aeternum. Propterea nec vita, nec mors, sed nec tumet ipse Domine desiderabilis sis mihi, nisi in quantum voluisti, ut desiderem te, summum bonum; volo te igitur, quia

voluisti, ut velim te; sed quomodo potuisses nolle, ut velim te, cum summum bonum es, bonum autem non fuisses, si te non communicasses. Ideo proprium est naturae meae velle bonum, sed ignorantia quoque discretionis inest illi; hinc nunquam bene agit, quam dum ex voluntate tua agit, et haec est via, per quam tu te mecum communicas, et modus, quo ego uniri possum tecum. Ideo, quia nullum bonum datur praeter te, nullum potest provenire nisi a te; et hinc cum tua voluntas voluntatem hominis non dirigit, quommodo bona dici poterit? Alia sunt bona supernaturalia, alia naturalia, quae in spe, et desiderio illorum communicas nobis, quamdice separati summus a te; haec tamen et illa ex eodem fonte bonitatis tuae emanant, utraque participanda sunt mihi ex voluntate tua, et desideranda secundum illam; secus enim non bona sed mala erunt pro me. O quanta est infirmitas, aut potius dixerim dementia hominis pro bono reputare, et velle ea quae a bono non procedunt; et tamen haec potius desiderat et sectatur, pro his animam suam ponit. Nam talia sunt omnia, quae praeter voluntatem tuam, id est praeter ordinem vocationis suae agit, petit et assequi nititur; et hae sunt curarum, solicitudinum inquietudinum et anixietatum causae; haec autem possuntne bona dici? Non profecto; nec enim ipse homo haec bona, sed mala appellat; sed an illud bonum est, in quod per haec tendit? nec illud melius et quare? quia vix assequitur, nauseat illud, vel non contentatur illo; sed vel plus, vel aliquid aliud desiderat; unde manifestum est bonum non per se fuisse, sed tantummodo in imaginatione nostra tale apparuisse; quod enim vere bonum est, semper et indesinenter esse debet, ut satiet et semper tamen desideretur. Sed cum ergo haec omnia, quae praeter ordinem quodammodo voluntatis tuae fiunt, mala sunt; da Domine, ut cognoscam quomodo illa, quae secundum ordinem vocationis ex voluntate tua fiunt, ab his differant in ordine et modo agendi naturali aut potius dixerim temporali. Simplex et clara est haec demonstratio; sed homo mundanus non capit illam et ideo speculativam ac visionariam asserit illam, quamvis sit vera et realis, et ecce quomodo procedit. Qui absque voluntate propria agit, nihil appetit, nihil desiderat, nisi in ordine vocationis suae propter te, agit quae

agenda sunt vi obligaminis, sed non solicitatur, quia te Domine, omnipotentem esse credens, securus est, quod perficies et dabis, volueris, vel si nolens non perfeceris et non dederis, cum homo fecerit, quae potuit, non imputabis illi, quod non perfecerit, quia justus es; qui porro curis, solicitudinibus inquietudinibus et angoribus vacuus est necesse est, ut gaudeat, hilaris, tranquillus et contentus sit, cum tertium non detur; haec vero numquid bona illa sunt, quae non habens quaerit et quibus possidens nunquam satiatur, quamvis satiare non desinant. Hae sunt verae emanationes illae bonitatis tuae, quae homo ex natura appetit, quae tamen extra te, seu voluntatem tuam deserens, nunquam reperit. Habet, scio ego, humana insipientia, quae his opponit, et illa sunt phantasmata, quae illudunt ei et propterea haec et similia legentium unus mecum ratiocinabitur, alter irridebit, tertius stupebit, sed quotus erit, qui te adjuvante, capiet et sequetur, possidens terram illam bonam in corde, in quam cadens semen verbi tui centuplum fructificat. Loquantur alii quidquid voluerint, dummodo non blasphement te: sed adorem ego te semper, laudem te, quod haec docere dignatus fueris me, et quod propterea me ducas per vias tam sinuosas et tortuosas, ut in his confirmes me. O iterum iterumque adoranda mihi decreta tua, quam mirabilis scienta vestra de me! Disce, quisquis es homo, ex attenta perlustratione horum quae in hac mea Confessione refero. Ignoravi et semper ignorassem fors in Hungaria, quae didici in Gallia; incipiens permansissem in mundana vita, nisi ductus fuissem in solitudinem; sed tepidus effectus fuissem fors in illa, et sub innocentium et permissorum praetexti magis meam, quam tuam secutus fuissem voluntatem, si me huc in Turciam non misisses; et quia in hoc proposito, prout tibi soli notum est, nonnisi ordinem vocationis meae secutus sum, conservare dignatus es intrinsecam illam, nec nisi momentaneis humanitatis meae vaporibus quandoque obfuscatam tranquillitatem, cum qua omnia bona fuerunt, sunt et erunt mihi; sine illa porro nihil bonum reperire potero. Enarro ego haec, quae tua, et glorior in illis a te mihi indigno praestitis; dummodo ego obligationi meae satisfaciam, possideat regna et divitias, cui dederis; maneam ego in statu, quo decrevisti me

velle tenere, similiter, dum tibi placuerit, privatae et solitariae vitae quieti (quies mihi omni mundano statu dulcior apparet) succedant principalis throni et purpurae internae et occultae spinae et pericula. His quoque lubens consentio, sed nec haec nec illa desidero, fac tamen, ut exaudiam vocem et impleam voluntatem tuam, dum ad horum unum aut alterum vocaveris me.

Tristia apparebant, quae ex eventibus recensitis sana ratio repraesentabat mihi ventura, sed tu Deus misericors, qui probando temporalibus adversitatibus castigas et parces, conturbas fluctus mentis humanae et sedas, non tantum (resignando voluntatem meam tibi) spiritualiter dignatus es consolari me, sed et imminentes temporales procellas mitigare voluisti. Secutus est Legatus Moscoviticus consilium meum, et a me annotatis durioris tenoris scriptum adjunxit; in quo repetiit portae : Nullum se hic habuisse negotium praeter propositionem amicitiae domini sui, et prolongationem pacis, quae si placet, absque conclusione hujus amandari nequit; si porro non lubet signum est Portam non tantum amicitiam domini sui spernere, sed et hoc facto inimicitiam declarare, et super haec declarata amicum per Cancellarium Imperii scriptotenus recepit responsum. Non esse mentem Portae, ut amicitiae Czari sibi aestimationi habitae, non correspondeat, nec mentem mutasse in illis, quae legato denunciata sunt; sed antiquissimam consuetudinem Portae esse, ut legati extraordinarii vel tribus vel sex mensibus sumptibus Portae interteneantur; cum autem jam sextus commorationis ejus labatur mensis, non miretur ulteriores sumptus abstractum iri; de caetero, si placet, liberum esto illi commorari ad discessum usque legati Caesarei vel ad mandata ulteriora Czari. Amicissimis expressionibus declarata fuere haec in literis Cancellarii, quorum ego hic sensum paucis refero; et sic unde malum timueram, bonum, quod non speraveram, evenit, et fors horum, quae contigerunt energicae repraesentationes determinare urgebunt fluctantem Aulam Moscoviticam. Sic ludis in humanis, o aeterna sapientia, sic hominis prudentia nullus est acerbior tortor hominis, si tibi non submittitur; quam inanes sunt praevisiones ejus, et quam vanae futurorum repraesentationes, quibus torquet illos, qui non confidunt in te. Consonum enim esse dis-

23*

positioni tuae credo, ut cogitationes meas extendam ego quandoque ad illa quoque, quae circumstantiae temporum et eventus quotidiani secundum cursum naturalem praesagiunt mihi; sed peccaminosum esset in illis spem meam statuere praeter te, vel ex illis desperare de illis, quae statui meo conformia repraesentantur; visitasti me per suscitatam praevisionem malorum, sed misericordiae fuae fuit effectus, quod me mihi non tradideris, sed ad suscipienda illa de manu tua praeparaveris cor meum; quodsi ego id ita feci prout te adjuvante potui, sacrificii fuit occasio et gratia, quam mihi gratuite dedit bonitas tua. Sed o domine, hoc tibi soli notum est, quomodo usus fuerim illa, quamvis de nulla negligentia me arguat conscientia; paratus fui et sum adhuc de manu tua suscipere illa, quae praevideram, nec adhuc penitus transierunt, quamvis dilata videantur; praeter id enim quod omnia mundana his mutationibus subjecta sunt, ipsa mea commoratio in his regionibus particularibus vicissitudinibus exponit me, in quibus nonnisi manus tua potest me protegere. Nullum igitur malum praeteriisse videbitur, cui innumera succedere queunt his quoque, quae retuli, pejora, et prudentiam meam excedentia. Nec illorum aliud superest, sed nec desidero aliud remedium, nisi proportionatam malis, quibus circumdabor, confidentiam in te et conformitatem voluntatis meae cum SSta. voluntate tua; his enim adjutus nihil inprovisum, nihil involuntarium eveniet mihi. Sic vere nunquam homo affligitur, nisi dum recedit a te; semper enim gaudet, dum tecum est. Non intelligo ego hic tantum illum recessum per peccatum, dum quis moritur et separatur a te; sed momentaneum illum quodammodo recessum, dum a temporariis et mundanis aut angitur aut in illis laetatur, quamvis enim haec sint involuntaria, procedunt a fomite peccati, id est a corruptione naturae humanae, nec sunt peccata, sed inevitabiles illae imperfectiones, quae suam infligunt poenam, secundum afflictiones, quam causant mensuram; sed bene examinatis his motibus, te docente, agnosco supramemoratas veritates; nullum nempe bonum reperiri praeter legem tuam quae tumet ipse es; dum conturbor igitur, cesso ego (quamvis involuntarie) sperare in in te; cesso inquam conformare me voluntati seu legi tuae, et

sic vere loco moveor et declino a te, et subito conturbationem sequitur afflictio; nec tollitur, nisi cum redeo ad te, conformando me legi tuae, ad quam sola bonitas tua reducit me et tunc requiesco in bono, quod tu mihi communicare dignaris, quia denuo unior tecum. O Domine, quam detestabilis et intolerabilis esset status hominis, viventis super terram diligentis te, si illum non suscipit et tolerat ex voluntate tua; tu voluisti, ut talis sim, vas scilicet inane et frangor; absit a me nolle, quod tu vis; sed vere non vis, ut momentanee frangar, sed hoc ego nolendo volo propter legem, quam sentio in carne mea, contrariam legi tuae. O infelix libertas voluntatis meae, usque quo contrariaberis velle meo, quod a te est, Domine; quando instabit tempus dissolutionis tuae a temet ipsa, ut sis captiva illius, qui tibi solus esse, velle et posse dat, et sine quo nihil es, nec velle bonum nec posse habes. Geme, geme de miseriis conditionis et oppositionis tuae; ad hoc es enim in valle hac lacrymarum et statu exilii, ut gemas; sed cave ne degeneres in voluntatem meam desiderando, ut aliquid eveniat tibi praeter voluntatem voluntatis, cujus captiva fieri desiderat; geme proinde et patere in exspectatione tranquilla momenti, quo absorbeberis et vere idemptficaberis illi supremae volutati, quae miseram et carnis captivam libertatem tuam vult, ut circumportes, in poenam peccati massae tuae. Dura est sors mea, o summum bonum meum, dum me toties a te recedere video; sed millies durior ignorantia, in qua vivo, num te non offendam in illis quoque, quae bene agere credo, sed nescio, utrum praestem, prout deberem. O quam foedus sum, dum me respicio, nec aliud bonum reperitur in me, nisi quod sim creatura tua et quod participem ab esse tuo; sed quia nec hoc meum est, ideo nihil sum in conspectu tuo, nec alius debeo videri mihimet ipsi. Tu tamen infinita bona, et tot spirituales consolationes quotidie praestas mihi, qui de me, cum nihil sim, nihil mereri possum; das tamen, quia sic placet tibi. O nihilum meum, egestas, nuditas et foeditas mea, quid retribues Domino pro omnibus, quae retribuit tibi? da id, quod dedit, cum nulla sit dignior ipso retributio, quam dona sua, quae dedit tibi; sic erit enim, ut ego omnia, quae egero, agam propter te, tum dona tua convertam ad te, et utar illis in finem, in quem dare

mihi dignaris illa, ut redeant ad fontem ex quo emanarunt. Sic eris tamen ipse tibi laus et retributio Deus; utere me Domine, sicut vis et decrevisti, et ignosce fragilitatibus meis, quae ebulliunt ex corde illo diligente quidem te, sed tamen carnes et qua tali impuro. Noli me tradere desideriis humanis, quae de natura sua afflictiones, cruces et contradictiones abhorent, honores porro et elevationes ambiunt; non ideo sum enim super terram, ut meam voluntatem, sed ut tuam operer, et cum hoc a te, prout oportet, desideravero, omnia convertentur mihi in bonum; haec est enim justitia, quam esurire et sitire debeo, nec saturari me oportet, nisi cum pervenero ad te, centrum animae meae. Nescio ego quo me vertam inter has vias, quas status meus repraesentat mihi; solitudinem quam te jubente deserui, anhelo, hic morari inter gentes metuo; ad Czarum et Aulam ejus transire horreo, bella et effusionem sanguinis humani abominor, Principatum tamen meum e servitute eliberare velle obligationis meae esse duco; sed propter pericula vitae mundanae, et per consequens animae meae, non desidero. Edoce me vias tuas, in quibus vis, ut ambulem; omnes enim hae, quas refero, plenae sunt periculis. Expecto in patientia quae jusseris, sed et in eo quoque timeo ne ea quae vocationis meae sunt negligam, si nihil agens segnis evasero. Tu scis solus, quam dura sint haec timenti offendere te et volenti sequi mandata tua; sed ecce in hac quoque imminet mihi periculum, si tu non moderaberis eum, et excedere contingeret mihi mensuram, in qua vis ut velim aliquid; ne voluntas illa a te bonum volens convertatur in meam voluntatem, quae vel plus vel minus quam oportet desideret. Quo quo me converto igitur reperio nihilum meum, debilitatem, egestatem et tenebras ignorantiae meae. Statui ego te adjuvante, in his sacris diebus, in quibus adventus tui recolimus memoriam per frequentiorem participationem corporis et sanguinis tui conjungi tibi; auxiliare mihi, ut hoc praestem modo tibi placito. Confortet me hoc sacramentum, panis hic coelestis et viatorum cibus, ne deficiam in discernenda via, in qua vis ut ambulem, et firmet in illa gressus meos, ut tecum ambulans semper, te quaeram indesinenter et perveniam ad te dum placuerit tibi.

Ecce Domine, sisto me denuo in conspectu tuo; non ut

a tempore, quo haec scripsi, quae evenerunt mihi referam, sed ut de praeterito, quod a biennio latuit in me, gemam. Dixi Domine tibi status ignorantiam, qua vivo respectu tui causam esse debere continui gemitus et timoris mei, et hanc veritatem ecce quam clare demonstras denuo mihi. Credideram conveniens esse, ut Legatum Gallicum convenirem, ut ab illo quaedam quae ad Aulam suam. quae ad Portam et Caesareum legatum spectant rescirem et in hunc finem ut colloquiam nostrum occultum maneat in vicino quodam prato convenimus, et inter caeteram discursus nostri materiam retulit mihi, scriptum fuisse illi ante biennium a me, tam celeriter et absque ulla apparenti causa revocatum ablegatum Hispanicum tanquam collusionis et nocivae correspondentiae cum inimicis Regis reum publico supplicio affectum fuisse. Unde illa, quae intra me et ipsum acta fuere domi in mentem revocans, tu nosti Domine, quam violento remorsu conscientiae tactus fuere indiscreta cujusdam secreti revelatione, ipsi per me facta; commiseram ego illam ex usu illo mundano, propter quem credidi in certis circumstantiis politicis secretum, quod tantummodo respectu determinatae personae celandum est, prudenti praecautione adhibita, pro utilitate illius, qui secretum confidit, illi, quem concernit, absque injuria cujuspiam revelari posse, quin imo verae amicitiae esse opus, ut rem mihi in summa confidentia revelatam, in utile amici (adhibita omni cautela secreti respectu illius, a quo celari debuit) converterem. faciens secundum legem naturae quod mihi fieri vere voluissem, et in similibus, prout a me factum est, circumstantiis fieri vellem. Placuit tamen Domine misericordiae tuae turbare tranquillitatem conscientiae meae, et de imprudenter, involuntarie ac inscienter patrato hoc peccato compungere; credidi te o summum bonum meum, offendere potuisse; horrui ad considerationem peccati, tanto tempore in me latentis; volvebam in mente mea pro et contra circumstantias casus, accusabam et excusabam me in foro illo meo interiori, in quo tu o Justitia aeterna praesides, et hominem de malo arguere soles. Prout primus homo Adam cognovi nuditatem meam et timui te; consui foliae ficus, id est diversas excusationes, argumenta, in favorem mei ad tegendam nuditatem meam; sed

tu Domine deambulabas circa me, et vocabas; oportuit respondere tibi, et ecce cum in simplici humilitate petiissem a te, ut illuminare dignareris me, num in peccatum statueris hunc actum meum, illico consolari dignatus es me, et sedasti fluctus agitatae conscientiae meae. Sed quia haec tranquillitas ab alio quoque spiritu, quam a tuo procedere potuit, impatiens morae consului confessarium, et quia recensitis circumstantiis me venialiter in te peccasse pronunciavit, submitto me Domine in omni humilitate cordis jam jam accessurus tribunal illud tuum, in quo Christus judex meus, filius tuus unigenitus, salvator meus praesidet in persona sacerdotis. Quid dicam tibi o Pater creator meus, aeterna veritas, summa justitia, inscienter, involuntarie, vere malum quod nolui, et non bonum, quod intendi, feci; peccavi tamen contra sanctam illam simplicitatem veritatis tuae, contra quam mentem proximi absque praevia investigatione interpretari praesumpsi; simpliciter mihi datum quamvis a me secundum usum communem mundi (prout retuli) jam tunc in mente mea receptum depositum non servavi, et sic fidem absque vocali interpretatione sensus mei interni datam, vere fregi. Sed o Domine per haec tamen insipientiae, ignorantiae et inconsiderationis meae facta non recessi a charitate tua et proximi; nolui enim fallere illum, quia (quamvis fors erronee) praesupposui tamen illius fuisse illum intentionis, ut agerem, prout egi; sed incautus, imprudens fui, quod secundum dictamen rectitudinis simplicitatis legis tuae haec non interrogaverim, sed de mente ejus praesumpserim; et hinc vere confido Domine, in misericordia tua non te recordaturum peccati mei, quod si cognovissem, profecto mori maluissem, quam committere. Fateor Domine omnia haec, te inconsulto, in spiritu mundi et proprio facta fuisse; tales sunt enim partus prudentiae humanae, dum per se, absque invocato lumine tuo agit; sic imperfectiones quotidianae fragilitatis nostrae, quae causant neglectum, omnia cum renovata ad te intentione agere, producunt venialia peccata, maculas illas et foeditates, quas ego in absconditis plicis cordis mei nunquam videbo absque lumine tuo; sed propterea tamen purus non sum in conspectu tuo; sordes sunt hae, quas si negligerem cangrenae ad instar serpentes despurcarent ac debilitarent

animam meam et propterea, ut his praecaveam, effectus est infinitae misericordiae tuae, quod mihi revelas turpitudinem meam. Lauderis o Domine propter haec opera tua tam mirabilia, quae ecce quam admirabili modo procedunt. Causasti mihi violentum remorsum conscientiae, ut investigem et examinem me; minuisti anxietatem postquam recurri ad te, sed dubium non abstulisti, ut monstrem me sacerdoti et interrogem, qui me judicavit, sed de malo non plene convicit, quamvis me sententiae ejus subjecerim, ut amplius meditarer cognoscerem veritatem. Non mea sunt haec opera, sed bonitatis tuae gratia fuit remorsus sensibilitas, quae produxit dolorem, dolor anxietatem, anxietas porro promeruit consolationem, timore relicto, timor autem genuit dubium, hoc diffidentiam, diffidentia desiderium instructionis et hujus donum fuit docilitas, quae produxit humilem confessionem peccati, et haec demum agnitionem veritatis, quam te inspirante credo me referre tibi. O quam admirabili ordine procedunt opera gratiae tuae, quarum una trahit alteram, dum quis bene utitur illis; sed hoc quoque donum tuum est; potuissem ego haec nolle sic agere; sed quid exinde meriti me habere imaginari possum, quod haec voluerim aut me duci permiserim, cum sic agere bonum, secus vero malum apparuerit; quis autem est, qui illud bonum, hoc autem malum esse indicavit et persuasit, nisi tu o aeterna misericordia, dulcedo cordis mei, quae ut haec taliter fierent disposuisti. O coelum et terra et quidquid creatum est, confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia ejus. O quam suavis es Domine gestantibus te, quanta dulcedine allicis sequentes ductum tuum, sed homo insipiens non cognoscit haec et in his sibi partem quoque vindicat superbia ejus et jactat se inanimatis plus posse in cooperando quia voluntatis libertatem habet. Sed o massa pulveris, quid et in hoc habes, quod non accepisti, aut quid facis, quo non teneris, cum postquam omnia feceris, adhuc servus inutilis es? Non cogit te misericordia Dei ad beneficiendum. Sed si de natura sua voluntas tua captiva est, cupiditatis, et illa legem tibi imponit, quam saepe invitus sequeris, cur hunc agendi modum in Deo super te miserente non agnoscis, dum solutis víncalis cupiditatis tuae, suave jugum

amoris sui imponit tibi, et sic in bonum tuum invitum quoque saepe trahit te. Vis hic gloriari dicens, quod libere eas, non ageris, et quodam modo pudet te in humilitate a misericordi manu sub levi onere in suavi jugo duci et in bonum trahi invitum, dicere quem non pudet in servitute peccati et captivitate diaboli a contraria voluntatis suae lege trahi posse agnoscere ita ut, si quis peccatum non habere dicat, mendax sit, dilecto apostolo dicente. Unde ergo libertas tua in non semper peccando, cum sine peccato esse nequis? Nisi per gratiam, sed non per libertatem tuam. Sed noli lector quisquis fueris, horum mihi impingere, velle me per haec prolata asserere hominem in malo, sed nec in bono libere agere, hinc nec mereri nec demereri posse; peccabis enim contra charitatem, cum meam super haec opinionem antecedentia et subsequentia abunde demonstrent, sed valeant ad demonstrandum: habere gratias suos gradus et paccatum mensuram, in quibus cum quis perseverat, ita per charitatis aut cupiditatis trahitur pondera, ut quamvis resistere posset, non tamen nunquam resistat, et voluntas ejus ita adhaeret huic vel illi, ut nonnisi tractus agat, et hinc prout vera beatitudo in servitute Dei consistit, ita in servitute peccati omnis infelicitas comprehenditur. Prima servitus est vera libertatis perfectio, in qua gaudere debemus, quia nihil perfectio quam velle bonum, sed quid bonum praeter te Domine? Secunda servitus est libertatis defectus, de quo gemere debemus, nihil enim defectuosius et imperfectius quam elongari a bono et declinare ad malum. Possemne ergo Domine inter hos status tertium invenire in quo homo in alium finem praeter haec agit in integra libertate? Scio esse multos, qui mihi actiones illas philosophicas et morales humanae sicophantiae objecta tanquam indifferentiam allegabunt, sed o Domine quis dicet ipsam bonam indolem, honestatis et magnanimitatis amantem animum, quae illas exclusa cupiditate agunt (ut non sint peccaminosae), non esse gratias illas praeparantes, quarum bono usu gradus illos charitatis, de quibus ante dixi conscendimus, aut illas a fine omnium creatorum deflectentes ad creaturas et ad nosmet ipsos infeliciter liberi convertimus. Quid ergo ex his concludam praeter, quod bonus esse nequeam sine te, malus vero

et pejor semper devenio ex me; de hacne ergo libertate gloriandum est homini Christiano? Absit Domine, sed ergo solum rogabo ego a te, ut tollas a me quidquid liberum esse potest in me, per quod ego recedere vellem a te, ut glorier in nihilo meo, et libertas mea consistat in suavi jugo et levi onere, quod imposuit mihi Salvator meus, cujus SScti corporis particeps factus sum O sacrum convivium, ad quod me quamvis indignum admittere dignatus es, et cui ego quidquid sum, debeo, quam inconmprehensibile documentum es amoris salvatoris mei, haec esca me nutrit et confortat in peregrinatione mea: per gratiam tuam, Jesu mi, sum, quidquid: esse dici potest in me; hic porro fons et scaturigo gratiarum est. Quis mihi dabit indesinenter sitire hanc aquam salientem in vitam aeternam, esurire hanc escam, per quam vivere cupio? cum nec sitire nec esurire me infelix in tantum sentio, prout desidero, sed nec prout oporteret. Age haec igitur in me, Jesu mi, confirma quod operatus es, perfice opus tuum, adjuva me, ut velim et possim, quae jubes et vis, ut praestem.

Inter haec rerum humanarum et particularis vitae meae discrimina evoluto anni solaris circulo, appropinguat festiva solemnitas mysterii nativitatis filii tui, o pater coelestis, quem e sinu tuo descendere et incarnari voluisti ad redimendum genus humanum. Memorandus est mihi hic dies ex plurimis religionis incitamentis, sed et dies doloris est propter commissam scelestam quondam profanationem sacrae noctis hujus, de qua quia satis dolere nequeo, justum est, ut impressus cordi meo dolor renovetur. Da igitur Domine lacrymas oculis meis et gemitus cordi meo, ut defleam praeterita vitae meae; sed ea fuit bonitas tua, Domine, erga me, ut non obstantibus sceleribus meis hunc quoque ipsum diem subsequentibus annis diem laetitiae quoque spiritualis esse volueris. Unde ordiar ergo debitum pietatis cultum, et quomodo imbecillitas mea digne celebrare poterit doloris, cujus causa a me processit, et laetitiae, quae a te provenit, argumenta; hac die ego te, Jesu mi, qui ad salvandum me veneras in mundum, quondam occidi in corde meo, et hac ipsa die tu mihi intrinsecam pacem annunciare dignatus es confessione mea generali vitae meae peracta, et ausum inspirasti, ut ad annuncianda et patefacienda

magnalia et mirabilia tua hanc confessionem meam conscriberem; revocasti in mentem meam turpitudines et ingratitudines meas, ut ex illis pateret magnitudo miserationum tuarum; enarravi tibi infidelitates meas, ut manifestaretur malitia mea, et intrinseca putredo corruptionis meae prodiret in apricum. Quis fui o Domine, quis fui, et heu iterum repeto: quis fui, dum excusso freno legis tuae currebam per avia et devia mundanae vitae profanans sacramenta tua, contemnens mandata, et rejiciens escam salutarem verbi tui. Idola mea, creaturae meae, ipsemet ego fueram; velut escam panis vorabam iniquitatem; mundi, carnis et daemonis fueram mancipium. Sic currebam effrenis in viis perditionis tam late patentibus, omnes illae planae apparebant, quae tantis tamen praecipitiis refertae erant. Quis sum ego, quod memor fueris mei, et volueris me reducere ad te, et hoc opus misericordiae tuae tam mirabilibus modis operatus es; quid est mundanarum deliciarum et illecebrarum, quod gustare non permisisti, quod amarum quod non potasti tam admirande miscendo haec illis, ut nunquam illecebris defuere amara; sed nec ab horum tentationibus abfuere consolationes, ut non adhaererem primis et non deficerem in adversis; jam depressisti, jam exaltasti statum meum mundanum, persecutionibus tradidisti; sed et de amicis et protectoribus providisti, repraesentatione eventuum conturbasti, sed mutatione illorum in bonum consolatus es; et hoc est compendium totius vitae meae, quam hactenus in conspectu tuo recensui; tu illam contexuisti et visitationibus et consolationibus, ego ex peccatis et infidelitatibus. Opus tuum fuit et quodammodo continuus labor misericordiae tuae, ut me reduceres ad semitas rectas; opus meum, ut deflecterem et elongarer a te; tu tamen videbas non in interitu, sed in dementia mea; scivisti quippe terminum, quem praefixisti mihi, ut currerem in viis mundi, sed retraxisti habenas et substiti; locutus es, et audire fecisti me vocem tuam; audivi et intelligere dedisti; intellexi et diligere me fecisti. Ecce hactenus quo tendebant consilia et decreta misericordiae tuae de me. Quam pronus esset spiritus meus in consideratione horum, quae fecisti mecum, pro me, dicere non movebor in aeternum; sed sapientiae tuae consilio factum est, ut quotidianae imper-

fictiones et delicta mea speculi ad instar repraesentent mihi vultum nativitatis seu conditionis meae. Ex illis video, quae sunt, quae mea propria sunt, et adjacent mihi; quam pronus sim ad lapsum, qui omni die toties cespito, illidor et cado; sed si ex his manifestatur mihi mea fragilitas, in eo: quod omnia peccata, quae quondam feci, et illis infinite majora non patrem, et sic labens non confringar, sed resurgens recurram ad te, et perseverem delectari in viis arctis mandatorum tuorum, patet bonitas et paterna cura tua. Quid porro ex his concludendnm est mihi, nisi quod sine te non sim, nisi aberratio et tenebrae respectu tui, qui finis meus esse debes, sed respectu mei (secundum approbatum loquendi modum) sum tamen aliquid, sed quid? cum anima mea, cujus tu te viam et vitam dicis esse, nequit vivere diu respectu finis tui sine te? animal, massa carnis, putredo, cinis et pulvis. Ecce gloria mea, quae ex me est; sed quomodo censeri potest mors animae pro gloria hominis? Quid porro mihi inest praeter hoc, cum bonum sine gratia tua facere nequeam? An de malo gloriabor, et propterea, quod morales actus faciam, nonne non aberrabo? Habet haec locutio aliquid, quod superat simplicitatem meam, quae fac, ut pro erroneis reputet omnes vias, quae non tendunt ad te. Sed si sine te nihil possum Domine, quid possum tecum? Omnia cum confortaveris me; si enim tu pro me, quis contra me? haec est igitur vera gloria mea: esse tecum, et gloriari oportet me in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo. Si porro mundo crucifixus esse debeo, quomodo non operibus etiam, quae nonnisi illum respiciunt? O Domine, insonant quaedam auribus meis, sed non ut lex tua; adjuva quaeso et duc me; quidquid enim dicatur mihi de me, semper ego timebo mihi sine te, cum totius retroactae vitae meae examine demonstrare dignatus fueris mihi omnes actiones meas morales, quarum tam studiosus fui, vel abominabiles fuisse cupiditates, vel inanes ictus aëri inpactos, ex quibus nihil mihi remansit, nisi dolor de male aut ociose dispenso tempore, quod ad operandam salutem dederas mihi. Quanta haec cum caeteris, quae memoravi doloris est materia, et quantum laudis, exultationis, gloriationis et magnificationis tuae non suppeditatur argumen-

tum ex omnibus, quae nota fecisti mihi. O Deus bone, Lus misericors, Deus justus, zelosus, indica mihi: num dolere a meis, num exultare debeam de tuis! Sed si dolere, quod te, summum bonum, offenderim, amare est, cum magnificat anima mea Dominum, exultabit spiritus meus in Deo salutari meo, et sic dolebo laudans et exultans, et exultabo dolens cum dolor et exultatio mea ex communi charitatis incendio processerint. Sed haec unde nisi a te, qui charitas es; et ecce recurrit egestas et nihilum meum, cum sine te nec dolere, nec exultare valeo; unum tamen et alterum me praestare sentio, in quantum te sentire facis in corde meo, in quo tuum tabernaculum fixisti, a quo illud a peccato liberasti; sed adhuc lutea, conspurcata, foeda est haec habitatio tua, quamvis illam tot adversitatibus scopare non cesses. Ita est profecto; et hinc novum succedit doloris et exultationis incitamentum, quod ego alius esse nequeam, nisi vas fictile et impurum respectu puritatis tuae. Tu tamen tam bonus es, quod in me habitare non dedignaris. O beata circulatio doloris et laetitae amantis animae, emitte lacrymas ex oculis meis, sic enim dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam. Non sunt loquelae neque sermones eorum, quorum non exaudiantur voces. O vere felices dies, in quibus laetamur in amore, beatae noctes in quibus plangimus, et stratum nostrum irrigamus in dolore; horum quippe voces, loquelae et sermones exaudiuntur omnes a te, o charitatis fons, origo et incendium. Quoties objecta sensualia provocavere lacrymas teneritudinis in me; et ecce tanta et tam sublimia charitatis incitamenta hoc praestare nequeunt. Meritus sum millies omnes inferni cruciatus, et tu Deus, pepercisti mihi; dignus fui omnibus temporalibus poenis et afflictionibus, contradictionibus et egestate ac miseriis, et tu, Domine, nec millesima parte horum visitasti me; justum ergo est, ut gaudeam in misericordiis tuis, non ut conquerar de illis, quae patior. Quid offeram tibi pro his omnibus, quod tuum non est; omnia enim, quae mea sunt, mala sunt; nec aliquid boni reperitur in me, quod tuum non est. Ecce magna et mirabilia, in quorum recordationem ducit me haec sancta solemnitas; et quanta sunt, et quantarum meditationum ansam non suppeditat mysterium, quod Ecclesia singula-

riter recolendum proponit. Deus incarnatus nascitur ubi? in stabulo, non habens locum in diversorio. O Coelum! o terra! o elementa omnia, stupete; mundi oculus sol subsiste, et creaturae omnes, attonitae miramini hoc prodigium. O si vos inanimata et sensibilia sciretis creatorem vestrum esse infantem hunc, qui alget et vagit in praesepio, fors dolore tangeremini, et miserias tenerae aetatis ejus defleretis; sed non propterea se humiliavit, exinanivit et omnibus aëris et persequentium injuriis se exposuit, ut dolorem exciat, sed ut ad amorem provocet; ignem charitatis venit mittere super terram, quid vult nisi ut ardeat? et quia propter hominem, propter quem vos omnes creatae estis venit, in illo totam naturam e statu innocentiae suae delapsam reparare statuit. Publicatur pax in nativitate ejus hominibus bonae voluntatis; séd per illos et finis vester restituitur; homo enim, donec sub jugo peccati ipsemet captivus diaboli substitit, nequivit vobis uti in gloriam creatoris; et hinc vosmet ipsa creata omnia inimici ejus facta estis. Ille mortem induxit super se et super vos, quam hic infans, quem tam debilem cernitis, debellaturus et victurus est. Ille enim est sapientia patris, virtus altissimi, verbum, per quod dixit et facta sunt omnia, quidquid decretum est ab aeterno et factum est in tempore, ad hoc inenarrabile et incomprehensibile mysterium charitatis refertur; facilius est enim quodammodo concipere Deum omnipotentem omnia potuisse creare ex nihilo, quam ipsum hominem, creaturam fieri, exinaniri, pati et mori voluisse propter creaturam. O Domine, quis est homo, quod magnificas eum? pretiosus apparuit in paradiso, cum eum dominum et dominatorem omnium creaturarum constituisti; sed pretiosior videtur mihi, a quo eum humilitate, passione, sanguine et morte unigeniti filii tui redemptum esse voluisti; et procul dubio ex hac ratione divino spiritu et quadam extasi animata exclamat Ecclesia; o foelix culpa, quae tantum ac talem meruit habere redemptorem. Magnum omnipotentiae signum fuit creare, et sapientiae opus magnum ordinare omnia; sed fors audeo dicere: majora fuisse, quae in hocce adorando reparationis nostrae mysterio patefacta sunt. quod Deus humiliari, exinaniri et homo fieri potuerit, et hoc stupendo sed adorando modo hominis natu-

ram reparaverit. Sed quid dico Domine, parce insipientiae meae, omnia enim perfecta, omnia aequaliter adoranda sunt te; sed tamen lumine quoque naturae te fuisse creatorem omnium, multi Philosophorum assecuti sunt, sed crux et passio filii tui ipsimet populo tuo electo, legis et prophetiarum in hoc tendentium custodi, scandalum, gentibus stultitia effecta est; nec quis unquam illam absque gratia tua credere potuit; hinc creatio omnipotentiae, redemptio, quia bonitatis quodammodo et charitatis proprium opus fuit, quamvis unum et alterum et omnipotentiam et charitatem complectatur; non decrevisses enim ab aeterno creare, nisi ab aeterno amasses hominem; sed nec redemisses si non creasses; propterea omnipotentia semper conjuncta est in te charitati, et haec illi. Quomodo enim non amasses ea, quae ab esse tuo participant, tu, qui, ipsa bonitas es et temet ipsum amas in omnibus? Non tamen in homine esse tuum, sed hoc, quod in ipso creatum fuit, redemisti: animam et corpus; hinc apparet error illorum, qui animam hominis propriam divinitatis tuae portionem asserunt; quodsi enim hoc ita esset, tumet ipse peccases, et semet ipsum filius, qua Deus, redemisset. Amasti igitur hominem qua creaturam tuam, sed singulariter amasti, quia voluisti, ut esset creatus ad imaginem et similitudinem tuam, ut praeponeretur omnibus creaturis, et esset administrator oeconomiae tuae sublunaris. Mirabile et sibimet ipsi incomprehensibile opus tuum est hoc rationale amimal, prototypon tuum; vere enim quidquid tibi competit modo infinito et summe perfecto, reperitur in ipso limitate et imperfecte respectu perfectionis tuae, quamvis perfecte secundum qualitatem creaturae. Repraesentat igitur anima ejus vere imaginem tuam, et hinc potentia et essentia ejus est nobis inconmprehensibilis; et hoc ipsum est mirabile et adorandum secretum tuum, ut esset talis, ut per ejus considerationem roboraretur fides creatoris; ne te Deus propterea, quod non capit existere dubitet, cum et propriam animam existere absque dubio noscat, quamvis quid sit et quomodo operetur, ignoret, et sic in ignorantia sua simplici subjiciat se tibi et incaptivet intellectum in obsequium fidei: reperit igitur in se similitudinem tui, stupet ad aspectum imaginis tuae, et quo plus con-

siderat eam, in ipsa imperfecta cognitione sui quodammodo concipit perfectionem tuam, modo infinite perfectiori, attribuens tibi ea, quae in se reperit. Quid dicam tibi Domine, de unione illa animae cum corpore ejus, per quam tu temet ipsum communicas illi; tu enim vivificas animam, et vivit per te sicut corpus illius vivit per animam. Quapropter intellectum meum considerans, per quem ideas concipio, et de illis ratiocinor, per incompraehensibilitatem ejus ascendo ad cognitionem essentiae tuae, quae continet omnia et inest omnibus. Considero memoriam meam, in qua continentur omnia, quae vidi, quae audivi et his quammodo infinita plura, cum mihi plurima repraesentantur, quae nec vidi nec audivi, seu praeterita, seu praesentia, seu futura, et haec consideratio ducit me ad cognitionem immensitatis tuae; respicio voluntatem meam amplissimam et repraesento mihi omnipotentiam tuam; imaginor mihi quomodo feror ad illa, quae volo, et haec imaginatio charitatem tuam figurat mihi. Sed non audeo, fateor Domine, me extendere in consideratione horum, ne ambulem in mirabilibus super me, et ne me aliquid proferre contingat, quod sanae doctrinae repugnet: tu scis tamen Domine, quod haec quoque non ex sciendi cupiditate connotem, sed ut haec meditando adorem magnalia tua. Possem umbram hanc similitudinis et imaginis tuae amplissime extendere; occurrunt enim plurima ad hoc propositum, sed suscipe in sacrificium agnitionem debilitatis et ignorantiae meae, cum per haec non ad docendum, sed ad confitendum credo quod vocaveris me. Sufficiat simplicitati fidei meae te credere et adorare, voluisti enim, haec, quae retuli, hominem de existentia tua convincant, sed non, ut ad perfectam intelligentiam tui elevent; sunt enim ipsismet umbris inferiora, et quammodo umbra umbrarum, similitudines; hae tamen et similes notiones potuerunt philosophos et sapientes illos saeculi deducere in agnitionem tuam Deus; sed quo plus consideratae fuere, eo magis obscurabant incarnationis et redemptionis mysterium, quod sapientibus absconditum esse voluisti et revelasti parvulis, seu illis, qui in simplicitate parvulorum credunt illud. In hoc tamen etiam respectum humanae conditionis habens bonitas tua tot miraculis voluit stabilire et propagare fidem crucis, quae in tan-

tum repugnat et contrariatur ideae, quam naturaliter homo potest habere de natura divina, sed SSto hoc mysterio praesupposito per fidem, omnino agnosco ego contra apolinaristas et alios haereticos : requisitam fuisse animam rationalem in Christo, etiam ad unionem divinitatis cum humanitate; quodsi enim non capio, quomodo uniatur anima mea, creatura spiritualis, cum corpore meo, adhuc imperfectius meditabor de unione divinae naturae cum corpore absque anima rationali, cum qua et per quam unionem naturae divinae facilius credam, quamvis non capiam; cum et aliunde, si tu, Deus, vita es animae, haec unio requiratur; sed modo longe differenti; in Christo enim, apostolo dicente, personaliter residebat divinitas et omnis virtus altissimi. Dixi Domine, iterumque in humili simplicitate cordis dicam adorans, hoc opus magnum sapientiae tuae esse, cujus causam non investigo. Quare tamen illud sic prout factum, fuerit, jam de his in praecedentibus meditationibus meis quaedam imbecillitati meae proportionata retuli; quo residium est, in beata illa unione et fruitione divinitatis tuae, quam per gratiam tuam me assecuturum spero, intelligere in humili et voluntati tuae conformata patientia exspectans exspecto. Redeo igitur ad nihilum meum, unde me elevaveram, te adjuvante; timeo enim ulterius mensurare hanc abyssum, ne me perdam in profunditate secretorum tuorum, quae credere et adorare, non scire proposuisti et praecepisti mihi. Redeo inquam ad depraedicanda magnalia tua ex me quoque, cum aliunde coelum et terra et quidquid creasti illa manifestent. Da mihi gratiam igitur Domine, ut pro continuatione humilis confessionis meae revocare possim in memoriam opera misericordiae tuae in me, et infidelitatum mearum erga te, et ex his novo exultationis et doloris argumento assumpto, exciter ad laudandum et amandum te, et vituperandum et odiendum me. His proinde, quae conscripsi perlectis, video ego Domine, in eo ipso statu constitutum, ad finem anni hujus in periodum suam vergentis, in quo me esse voluisti ad initium ejus, in quantum statum meum mundanum considero; uxore et liberis orbatus, illa adhuc in egestate, quam ego nunc ob penitus sublatam cum illa correspondentiam nec in tantum in quantum hactenus sublevare possum, hi

in manibus persequentium quomodo educati subsistunt, tu solus nosti; ego enim tam parum de illis scio, acsi nec viverent. Succurre igitur, quaeso Domine, illis tu, qui pater pauperum et orphanorum es modis, SStae voluntati et decretis tuis aequis et justissimis conformibus; illumina uxorem meam, et conforta illam, ut miserias suas in patientia suscipiat e manu tua; pone custodiam adolescentiae filiorum meorum, fac illos cognoscere te patrem illorum, ut faciant et illi opus tuum, ad quod voluisti ut nascerentur; nihil enim ego pro illis facere possum, nisi in quotidianis, quamvis indignis et tam innumeris distractionibus plenis, orationibus deprecari te pro illis, prout hoc me omisisse non recordor; sufficit enim mihi si gratiam tuam receperint, ut ament te. Quod me de caetero attinet, vides o Domine, quod adhuc in his infidelium regionibus cum illis, quos dedisti mihi, absque ulla ampliori spe revidendi patriam et principatum meum subsistam in illis incertitudinibus, quas tibi his elapsis diebus retuli; fulgebat ad initium anni aliqua spes belli Moscovitici, quae ferme tota evanuit ex considerationibus, ex particulari notitia Aulae illius desumptis; sunt tamen omnia possibilia tibi, et propterea respectu illius Principis ago, quae agenda mihi coram te credo, et caetera committo tibi. Secundum extrinsecam rerum apparentiam bellum quoque Hispanicum, triumphantibus undique regis illius inimicis, ad finem vergere videtur; unde prudentia mea, quamvis debilis et insana, repraesentat mihi plurima metuenda, quodsi Caesar pace conclusa exercitus suos ad confinia Turcarum in Hungariam reduxerit; et circa me Turcis, timidis et segnibus, leges praescribere statuerit, et propterea sanae rationis dictamen secutus postremas meas literas scripsi in Galliam ad petendam et impetrandam permissionem redeundi in solitudinem, pace illa Hispanica conclusa et per illam foedere, Imperatorem inter et Galliam pacto, sublato, cum illud hactenus reditum meum impedivit. Dispone Domine, de his omnibus, prout tibi placitum est; non enim ideo facio, quod evitare aut eludere vellem decreta tua de me, sed ne me periculis per segnitiem aut praesumendo de auxilio tuo (ad quod me indignum agnosco) exponam; quodsi conforme est voluntati tuae, adjuva me in illis, ad quae per humana media

tendo; tu nosti secreta cordis mei, etiamsi non referem tibi, quibus ad hoc solum a te petendum inclinor, ut ad solitudinem meam te volente redeam; sed ego ignoro num illud a te, num ex amore quietae et tranquillae vitae in vicinia amicorum, in aestimatione Aulae et publica, continuandae proveniant; haec enim sunt pericula, quibus nec hic careo, et ibi in vicina illis solitudine mea adhuc magis exponerer; quodsi tamen proximo per haec prodesse possem, offero me tibi Domine; nec hic, nec ibi, nec ullibi recuso laborare pro gloria tua, sed ex voluntate tua, non mea. Haec fuit dispositio mea anno quoque praeterito, et idem metus ex fine belli Hispanici et adventu legati Caesaris; sed quam inanes fuerunt praevisiones meae, ecce finis anni demonstravit. Potens es Domine, omnia haec imposterum quoque inania reddere et abortus prudentiae meae confundere; de hoc ego non dubito, et ideo repeto, ut in his omnibus fiat mecum, quod placitum est tibi. Est igitur magnum hoc laudis et gratiarum actionis argumentum, quod me cum meis omnibus in sanitate corporis conservatos ab undique crassante contagione conservaveris, de pane quotidiano et amictu providere et ab egestate praeservare dignatus fueris. Haec sunt quae tanquam extrinseca possum tibi referre de illis; sed quanti doloris causa est, si me ad illa consideranda converto, quae te seu in me, seu in illis concernunt. Quot enim peccatis te offendimus, Deus tam bone et misericors; quot ebrietatibus, dissidiis, contentionibus et fors et aliis ignotis mihi sceleribus provocavimus in nos justam vindictam tuam, et ad infideles desciverunt duo ex pusillo hoc grege, qui quamvis aliunde nullius considerationis, vagi sceleratique fuerint, plus dolere debeo de ipsis, a quo a corpore tuo et societate Ecclesiae tuae penitus avulsi sunt. Sunt et alii, qui haeresis tabe adhuc infecti, ovium scabiosarum ad instar manent inter nos; respice illos Domine, oculis misericordiae tuae, et reduc illos ad ovile tuum, ut non tantum in charitate in te omnibus debita, sed et in confessione unius fidei et communione sacramentorum tuorum uniti possimus complere dies exilii nostri e patria, et peregrinationis nostrae super terra. Revela Domine turpitudines nostras nobis, compunge cor nostrum, ut gemamus de omnibus peccatis et de-

lictis, quibus te hoc anno offendimus; dupplica in me has lacrymas et gemitus, ut ego qua pastor illorum gemam et doleam de propriis, et de gregis mei peccatis; in manu tua sunt corda nostra Domine; transfige illa spiculo amoris tui, inflamma tepidos, reduc devios, illumina coecos, emolli induratos, conforta debiles, firma titubantes, instrue ignorantes, confirma bonos, ut omnes in unione cordis dolentes, de praeteritis poeniteamus et pro viribus nostris, pro posse nostro satisfaciamus justitiae tuae per merita Jesu Christi salvatoris nostri, praeparemusque nos ad celebrandam solemnitatem nativitatis ejus modis, secundum statum unius cujusvis vel maxime placitis tibi; auge in nobis fidem, inflamma mutuum amorem, da iterum iterumqne peto, incrementum charitatis tuae, ut haec divina flamma consumat dissidia, stabilias pacem et intrinsecam tranquillitatem, in qua tendamus ad te, centrum animae nostrae, et in hac dispositione uniti tibi recipiamus afflictiones, contradictiones et cruces in gaudio et exultatione, currentes in viis mandatorum tuorum, sub suavi jugo et levi onere, quod imponere venit in mundum infans, cujus nativitatis solemnia celebraturi sumus. Exaudi o Domine, has deprecationes meas; da quod peto, ut praestare valeamus, quod jubes. En me tibi offero pro his omnibus in sacrificium: percute, flagella, puni me, dummodo pareas ipsis, plus enim praestitisti mihi; plus possum per gratiam tuam, plus debeo; percute me pastorem, sed ne disperge gregem a facie tua, statue me in semitis Stae voluntatis tuae, et fac, ut sequantur me; loquere mihi semper ad cor, et fac illos per me intelligere vocem tuam, ut sic ducens illos perducam ad pascua tua, summi et veri pastoris nostri. Ecce Domine, status meus externus; sed da lumen, quaeso, ut et internum quoque referam tibi. Multa praefecto et innumera sunt delicta mea; credo tamen Domine, me per gratiam tuam nunquam recessisse a charitate tua; segnis tamen et tepidus fui in serviendo te; imperfectiones enim et fragilitates meae aggravant me nimis. Statui Domine, jam pridem, te inspirante, in omnibus facere, quod perfectius esse judico, et quotiescunque cum reflexione egi, hoc neglexisse non memini; sed o Domine innumeri sunt actus mei, quos inconsiderate, irrecollecte et

praecipitanter feci; non semper te consului, et quasi semper in his me confundens redarguit me conscientia, et dolui. O Domine, vel hanc solam misericordiam tuam nequeo ego digne recolere; est enim signum paternae bonitatis tuae, quae, quia omnes violentas tentationes carnis a me auferre dignata est, illis, quae adhuc adjacent mihi resistere adjuvit me; tibi tamen solum notum est, num hoc anno melior evaserim per gratiam tuam, quam fuerim antecedente; orationes enim meae vocales, sed et mentales, quas sine adjuvamine calami facio, ita et lectiones spirituales continuis distractionibus repletae fuerunt; vix enim momento absque illis subsistere valeo recollectus in conspectu tuo, quam inania quam impertinentia sunt, quae occurrunt mihi et obfuscant mentem meam. Pudet me Domine, his circumdatum comparere in conspectu tuo, volvitur lingua mea et pronunciat laudes tuas; sed mens in his non correspondet illi, quamvis tu noscas rectitudinem intentionis meae. Semper quasi statuo ruminare; quae pronuncio, sed vix primos versiculos absolvo, pudet meminisse, in quae vana, inutilia et futilia abripior. Si aliquibus licitis et honestis mentis relaxationibus, picturae aut sculpturae vaco, nihil aliud cogito, quam quod facio, et totum me operi illi impendo, ita ut longam post se, opere quoque interrupto, impressionem et desiderium continuandi relinquant; non me avellunt ab horis orationi destinatis quidem, sed se seponi non semper permittunt, et hi sunt inimici mei, qui insultant mihi, et interponunt se inter te et me. Quodsi cor meum illo arderet affectu, quo inflammatum cuperem, consumeret has paleas; sed hunc ignem suscitare non meum est domine, sed tuum; desidero, volo, peto illum a te; sed tu me non dignaris illo, quia nec peto, nec desidero, prout oportet. Permittis proinde, ut haec maneant in me, ut sint causae gemitus, mei et repraesentatio continua infirmitatis meae; quid dicam ad hoc tibi, nisi ut fiat mihi secundum voluntatem tuam; hoc tamen petam, ne me permittas succumbere his ita, ut offendant te; agnosco ego dominium tuum super me, vellem esse et ambulare continue in praesentia et in conspectu tuo, vellem denique omnia agere cum renovata et directa intentione pro te; sed si velle dedisti, necdum posse praestitisti.

O Domine, usquequo haerebo in quisquiliis et sordibus meis, usquequo volutabor in hoc coeno et luto conditionis meae? taedet me hujusce vitae meae; pudet ita conspurcatum praesentare me tibi; sed num alius sum, dum ad participationem Sancti Corporis tui accedo? Aut illo recepto, beneficia tua omni affectu recolere intendo? Non profecto; quomodo ergo audeam dicere tibi quod amem te? Verum est Domine, et si secus haec dicerem, mentirer tibi, quod absit a me; sed quia filius tuus dixit, qui facit mandata mea, ille est qui diligit me, ideo audeo credere et dicere, quod amem te; quia amo mandata et justitiam ejus, et volo voluntatem tuam, et haec gratia tua consolatur me, hoc est: quod volens, cetera nolens volo; tantis enim miseriis repletus sum, ut vere sine speciali auxilio tuo non possim non facere. Sed quis est sensuum meorum, qui delectatur in illis, quae me dissipant, ut expugnem hunc inimicum? Examino gustum, et respondet mihi „non sum;“ haec enim quae te distrahunt, non tangunt palatum tuum; interrogo auditum, et respondet „non sum;“ quae agis enim in silentio fiunt, nec intrant per aures; odoratus idem reponit, tactus sic se excusat; accuso visum, et dicit mihi: „verum est, quod ea, quae pingis et sculpis, per me repraesentantur, quaeris quomodo colores applices, naturam imiteris et placent tibi, dum intentum assequeris; sed in oratione et in lectionibus tuis haec objecta non ego repraesento tibi, cum nec de illis cogitas, quae fecisti, sed quae facturus es; nec te in tantum delectant, quae fecisti; seponis enim illa, nec amplius cogitas de illis; sed illa, quae facere praeconcipis, vix colorem pro placito applicas, de alio aptius applicando cogitas; quae omnia, quae facta necdum sunt, non ego repraesento tibi.“ Et haec est pura veritas, quae cogit me accusare vagam illam, tot imaginibus et rerum seu visis, seu non visis speciebus repletam facultatem animae meae; quae phantasia dicitur, et fors memoriae pars, vel hujus memoria est; nequit illa se excusare, prout sensus, quos retuli; plerumque enim, quae repraesentat mihi, necdum sunt, sed nec fuerunt, me conscio; tam vivas tamen illorum imagines fingit, quod me rapiant ad se, et avellant mentem a te; frustra intellectum, frustra memoriam et voluntatem cur haec permittant, inter-

rogo; dicunt enim mihi hanc facultatis memoriae partem omnis freni insciam esse, nec unquam quiescere, sed caeteris quodammodo sopitis, quoque somnia fingere. O phantasia, quanta felicitatis meae pars esses, si tu mihi Dei majestatem, beatitudinis aeternae delicias, tremendum judicii tribunal ita repraesentares, prout inania illa et pueriles propemodum nugas, quibus me crucias, et a novissimorum meorum meditatione, a verbi Dei lectione avellis; cur me his persequeris; an caro, an mundus, an diabolus te instigat aut regit? ines enim brutis quoque animantibus, prout mihi semper volubilis, semper vaga semper effrenis, dum mihi carni delectabilia producis. Carnem accuso, dum mundana objicis, praeteritae vitae meae aberrationibus adscribam, sed dum talibus, quae nec vidi, nec audivi, nec cogitavi, illudis, quem accusabo? O anima mea responde mihi num propria sit haec tibi facultas, num impropria; quodsi enim propria est, quae imperfectio est, non posse refrenare eam, et minus posse corpore, quod in membra sua absolutam habet potestatem, et ad voluntatem ejus pes et manus moventur! Heu procul dubio dices mihi: esse tibi hanc facultatem quidem propriam, sed in poenam peccati, ab obedientia tibi debita exemptam, et omnibus tribus his inimicis meis: carni nempe et mundo subjectam. Et ego quid respondebo tibi? Justus es Domine, et judicia tua aequitas, sedes est et habitaculum concupiscentiae phantasia; haec enim secundum differentem repraesentationem et impressionem passiones commovet, carnem excitat, et voluntatem impellit; fingit speciem boni, et desiderium producit; repraesentat malum, et odium excitat; et quis potest ex hujus tyrannide liberare animam, nisi gratia tua Deus, per quam illi immutabilem illam veritatem, quae tumet ipse es, communicas, qua illuminante falsas illas boni et mali imagines discernit, et per libertatem voluntatis suae tendit ad id, quod se miserante bonum esse agnovit; nequit enim homo, imago et similitudo tua, nolle bonum, sed nec velle malum, nisi sub illusoria specie boni; propterea in statu innocentiae malum non novit, sed per esum fatalis illius pomi cognitionem mali in poenam acquisivit; sed ad hoc ipsum malum semper tamen sub specie boni inclinat. Remansit enim in illo imago illa divinitatis, concu-

piscentiae et phantasiae illius, de qua retuli, tenebris et vaporibus obfucata. Ecce Domine, vera causa distractionum et dissipationum mearum, cujus revelatione dignaris consolari me; ex his enim clare patet: non imputare mihi justitiam tuam pro peccato illa, quae de his involuntaria sunt; et qua talia amorem tuum ex corde meo non evellunt, quodsi illis non adhaereo; sed cum ego ab his massae meae corruptionibus in hac vita liberari nequeo, praesentabo me tibi semper talem, qualis sum dicens: heu mihi incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. Suscipe Domine sacrificium humilis confessionis et agnitionis nihili mei, quam ego hoc anno conscripsi; tu solus nosti veritatem et simplicitatem ejus, quae quondam quot et quantis hominum censuris subjecta erit, si illam lucem videre contigerit; terminorum enim et expressionum Theologiae conservatorum ignara et simplex loquela cordis mei has praecavere nequit. Reperiet quis condemnatarum propositionum textus quam plurimos, sed non sensus, quos ego in unione Sanctae Ecclesiae matris meae detestor, abominor et condemno; textus tamen et expressiones, quas passim in scripturis, SS. Patribus et pietatis libris reperio, adhibere veritus non sum; non enim homines docui, sed tibi scrutatori cordis et rerum mearum confessus sum; et propterea omnium illarum condemnatarum propositionum farraginem, quarum nec fors centesima, sed nec millesima pars mihi nota est, (quae positivae orthodoxae doctrinae non contrariantur, sed in sensu authorum suspecta sunt, et aliunde in approbatis libris simplicis pietatis loquelae conformes sunt), semper consideravi velut flores, ex quibus apes mel, araneae venenum exsugunt, et propterea veneno rejecto, te Domine adjuvante, ex illis mel extrahere intendi. Sentio ego, o aeterna veritas, haec omnia me in conspectu tuo, te docente et dictante, conscripsisse; si quae tamen mea praeter tua irrepserunt, condemno, et scio, quod tu mihi parces, qui ab omni particulari opinione despoliasti me; sed non parcent mihi homines, in quorum corde non semper charitas tua, sed praeventiones suspiciones excitant, et illis repleti judicant; sed tu parce illis, Domine, humillime rogo te pro illis. Accusabunt me, sed praecipue in soliloquiis, in forma

mediationum hoc anno conscriptis, et hujus anni operi annexis, quaedam et fors plura protulisse, quae in SS. PP. non reperiuntur, et hoc ego quoque ingenue fatebor; ad tam alta dignatus es enim Domine elevare mentem meam quandoque, quae nec legi, nec didici, sed sensu et spiritu illorum examinato, quia scripturarum et sanae doctrinae et pietatis expressionibus conformia reperi, cum scripsi quia (?) et aliunde opus hoc seu Confessio, non copia et textura sententiarum et opinionum aliorum, sed propriorum actorum et peccatorum, ac interni sensus explicatio et coram te Domine effusio debuit esse, ut sit simplex et sincera; et hujus sequelae sunt soliloquia in eodem spiritu conscripta. Arguent alii, quod quandoque de pastoribus ecclesiae ac doctoribus scolarum conquestus fuerim; sed dummodo hi ex numero illorum non sint, qui festucam in alienis vident, trabeas in propriis non vident, de hac veritate quam dico convenient. Tandem vel plurimos censuraturos credo illa, quae de dissidentium religionum civili tolerantia scripsi, et fors proni erunt ad me accusandum illis generalem tolerantiam authorare voluisse, ignorantes juramentalem obligationem vi legum, ad quam qua Transylvaniae princeps me adstrinxi, tolerantiam autem legibus stabilitam ab innovationis tolerantia multum differre; primam enim pax, quies, tranquillitas publica, charitas patiens, benigna etc dictare videtur, secundam ex iisdem motivis impugnare, cum paucorum proscriptione aut poena malum in hoc casu praepediri potest, in praecedenti statu porro millium innocentium saepe persecutione non tollitur sed crescit haeresis. Postremo autem, siquidem quod in corde est, frustra tibi os et calamus celat Deus, dicam ergo tibi Domine, non me capere illorum sententiam, qui Judaeos et publicas peccatrices et cantatrices, histriones et ludos theatrales tolerant, heterodoxos vero bonae vitae persequuntur. Si docti mihi hanc censuram impegerint, qua exempla tolerantiae civilis Judaeorum sub ipso Sancto pastore ecclesiae tuae Domine, Gregorio, et sub aliis sanctis pontificibus haereticorum quoque exstent, melius me scient et facile quaerentes reperient; quodsi porro censores mei haec ignoraverint, instrue, quaeso Domine, et illumina mentem illorum, ne scandalisentur in me, qui in puritate simplici cordis

tibi confessus sum. Tu denique Domine, judica et discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo et doloso erue me, defende veritatem, quae a te est; confunde mendacium, si quod me inscio, corruptio mea parturire potuit. Quisquis horum aliquando lector fueris, spiritum, non literam considera, in charitate explica, magnalia Dei adora, peccata mea detestare, ignorantias excusa, me temere judicare noli, ac pro me, peccatorum maximo, gratiarum Dei indignissimo, Deum deprecare. Sed superest adhuc, ut prolata de gratia memorum, in quibus procul dubio tanquam in materia hodie plurimum agitata, magnas me obtrectandi causas reperient tales lectores, a quibus, ut me defendas, rogavi te Domine; non consideratis enim antecedentibus et subsequentibus, vel textus truncare, vel dubios in malam partem trahere poterunt, sed sufficit mihi nosse te, Domine, cor meum, quod condemnatas Jansenii propositiones detestatur, nec libertatem homini agendi bonum aut malum, nec cooperationem ejus tecum in bonum denegat. sed nec gratiae interiori resisti posse negat. Sed Sancti Augustini et Thomae de praedestinatione et gratia secutus sententiam, libertatem et cooperationem negare absit a me; quidquid porro contra liberum arbitrium tendere in obvio sensu fors videtur, bene ruminatum ad hoc tendit; quamvis secundum orthodoxam sententiam homo in statu naturae lapsae semper tendat in malum, tamen hoc ipsum malum ipsi sub specie boni repraesentat cupiditas; insitum enim esse humanae naturae, ut in bonum naturaliter tendat, et quamvis inter bonum et malum eligere possit, nunquam malum qua malum eliget sed bonum. Omnia peccata et mala respectu legis tuae, o veritas aeterna, sub specie boni, id est vel honesti vel delectabilis vel utilis repraesentat illi concupiscentia, et ideo fertur ad illa, quae mala esse nonnisi per gratiam tuam potest sibi persuadere; cum agnita veritate viva fide credit nullum bonum reperiri praeter legem tuam et justitiam; ét sic per gratias tuas efficaces convictus nunquam resistit illis, quia de bono persuasus semper praefert illud contrario illi illusorio bono, quod malum esse cognovit. Inde formo quaestionem in stricta locutione et sensu, quomodo libera electio dici possit inter objectum, quod amo et objectum, quod odio habeo; con-

cipio enim libertatem in electione, dum inter bonum et malum eligendum est; aequaliter feror enim ad utrumque ejusdem speciei objectum, sed inter duo contraria et sibi opposita, quis potest tam libere agere, ut ex naturali instinctu bonum, quod amat, malo, quod odio habet, non praeferat. E his manifeste apparet 1mo Gratias efficaces non cogere, sed allicere ad bonum; 2do Nunquam resisti illis, quia quodammodo non possum non velle et non appetere bonum, quia potentia mea ad contraria agendum, quamvis insit mihi, semper determinatur ad bonum; in his porro homo quoque cooperatur; persuasionem enim seu ductum gratiae laetanter, gaudens, hilaris et vere libere sequitur. Quamvis autem haec explicatio operationis gratiae efficacis et cooperationis hominis commune forsitan non sit, fundatur in libr. X. cap. 23 Confessionum Scti tui Augustini. Confirma me proinde o veritas aeterna, si haec, quae scripsi, conformia sunt tibi; tolle scandalum a mente lectorum, aut si me clare non explicui, fac, ut compatiantur infirmitati meae in charitate tua, cui sit honor et gloria in saecula saeculorum.

II.

EGY KERESZTYÉN FEJEDELEM

AHÍTÁSAI.

ASPIRATIONES PRINCIPIS CHRISTIANI.

Surgens ex lecto.

Domine Deus, qui me non meis meritis, sed sola dignatione misericordiae tuae imaginem tuam constituisti in terris: effice me conformem decretis tuis in sanctitate, in justitia et in misericordia, ut exequar opus tuum in hac die, in illo gradu perfectionis, quem desideras a me.

Da mihi Domine sedium tuarum assistricem sapientiam, ut regere valeam illos, quos subdidisti mihi in charitate Domini nostri Jesu-Christi.

O verum exemplar principum Jesu-Christe! adjuva me gratia tua, ne oculos cordis mei deflectam a te, cum me tibi conformare debeam ac velim.

O Rex ac Judex vivorum ac mortuorum! da ut in exemplis vitae tuae regere ac judicare discam illos, quos regendos ac judicandos dedisti mihi.

O Jesu mi, qui in charitate patris ab aeterno coaequalis illi Deus, factus obediens illi in tempore ex charitate erga hominem homo factus es, da ut exemplo tuo duplicem charitatem Dei et proximi edoctus, omnia hodie ex charitate et in charitate agam, quae facturus sum.

Inter lavandum et induendum.

Irriga animam meam pretioso sanguine redemptam et dealbatam Domine Jesu : ne sit similis terrae solitudinis, et myricae deserti, quae succo carens arescit.

Deflecte a me Domine torrentem consuetudinis mundanae, ne illo arreptus praecipitetur, aut diffundatur cor meum in campis deliciarum mundi.

ASPIRATIONS D'UN PRINCE CHRÉTIEN.

En se levant.

Seigneur mon Dieu, qui par un pur effet de votre miséricorde, et non pour aucun mérite de ma part, m'avez établi votre image sur la terre : rendez-moi semblable à vos decrets en sainteté, en justice et en miséricorde, afin que j'accomplisse en ce jour votre ouvrage dans le degré de perfection que vous demandez de moi.

Donnez-moi mon Dieu, cette sagesse qui est assise près de votre trône, pour que je sache gouverner ceux que vous m'avez soumis dans la charité de notre Seigneur Jésus-Christ.

O mon Jésus, vrai modèle des Princes, aidez-moi par votre grâce, afin que je ne detourne pas de vous les yeux de mon cœur, puisque je dois et je veux me conformer à vous.

O Roi et Juge des vivants et des morts ! donnez-moi d'apprendre dans les exemples de votre vie à gouverner et à juger ceux que vous m'avez donnés pour les gouverner et les juger.

O mon Jésus, qui dans la charité du père étant Dieu de toute éternité égal à lui, devenu obéissant dans le temps par charité pour l'homme vous êtes fait homme, donnez moi qu'instruit par votre exemple de cette double charité de Dieu et du prochain je fasse aujourd'hui par charité, et dans la charité tout ce que je dois faire.

En se lavant et habillant.

Arrosez mon âme, ô mon Jésus, rachetée et blanchie par votre sang précieux : pour qu'elle ne devienne pas semblable à la terre aride et au tamarin du désert, qui sèche faute de séve.

Détournez de moi, Seigneur, le torrent des coutumes mondaines de peur qu'entraîné par lui je ne sois précipité, ou que mon cœur ne se repande dans les champs des délices du monde

O utinam prout aquae tuae dealbant carnem meam massam hanc corruptionis, et putredinis, ita lacrymae poenitentiae et doloris lavarent animam meam, quae tot ac tantis peccatis despurcata fuit in vita sua!

Nunc byssus et purpura indumentum meum, tandem operimentum meum erunt vermes: da Domine ne his status mei vanitatibus delecter, quarum necessitatem causavit peccatum, superfluitatem induxit cupiditas.

O Domine, quanta fuit insipientia mea, qui stolam immortalitatis, et innocentiae, quam dedisti mihi in baptismate, heu quoties pro his mundanis floccis commutavi. Parce mihi Domine, dementiaeque meae, et miserere mei.

Indue me Domine galeam salutis, et thoracem justitiae, ut illa defendatur mens mea a pravis cogitationibus, hoc praeservetur cor ab amore mundi, qui justitiae tuae in tantum contrariatur.

Ad aspectum confluxus aulicorum.

Non mihi Domine, non mihi, sed nomini tuo da gloriam.

Conserva Domine hos, quos curae meae commisisti, et uni illos mihi in charitate, ut mecum uniantur tibi hoc vinculo amoris, quo trahis ad te electos tuos.

Quis sum ego inanis terrae vermis, peccatorum maximus, quod me super hos exaltare volueris: quorum fors minimus major est in conspectu tuo Deus, et longe dignior imperare mihi.

Ad aspectum Throni.

Ecce Domine, repraesentatio gloriae meae, si tecum unitus ad regnandum tecum pervenero: ecce tribunal justitiae, ex quo me judex judicabis, si a te recessero: fac igitur, ut illi temporaliter insidens aliis praestem, quod tunc mihi a te praestari vellem.

O plût à Dieu que comme ces eaux blanchissent ma chair, cette masse de corruption et de pourriture, de même les larmes salutaires de la pénitence et de la douleur lavassent mon âme qui dans sa vie a été souillée de tant et de si grands péchés!

Maintenant la soie et la pourpre est mon vêtement, et un jour enfin les vers me serviront de couverture : faites moi la grâce, Seigneur, de ne pas me complaire dans les vanités de mon état, dont le péché a causé la nécessité, et la cupidité a introduit la superfluité.

Seigneur! que ma folie a été grande d'avoir combien de fois hélas! souillé pour ces haillons mondains la robe d'immortalité et d'innocence, que vous m'avez donnée dans le baptême. Pardonnez moi et à ma folie ô mon Dieu, ayez pitié de moi.

Revêtez moi, Seigneur, du bouclier du salut, et de la cuirasse de justice afin que le premier defende mon âme des mauvaises pensées, et que la seconde préserve mon cœur de l'amour du monde qui est si fort opposé à votre justice.

A la vue du concours des courtisans.

Ne me donnez pas la gloire, Seigneur, ne me donnez pas la gloire, mais donnons la gloire à votre nom.

Conservez, ô mon Dieu, ceux que vous avez commis à mes soins, et unissez les avec moi dans la charité afin qu'avec moi ils soient unis à vous de ce lien d'amour, par lequel vous attirez à vous vos élus.

Qui suis-je inutile vermisseau de la terre, le plus grand des pécheurs, pour que vous n'ayez voulu élever sur ceux-ci dont peut-être le moindre est plus grand devant vous ô mon Dieu, et plus digne de me commander.

A la vue du Trône.

Voilà, Seigneur, la représentation de ma gloire, si uni avec vous je parviens à régner avec vous ; voilà le tribunal de justice, d'où vous me jugerez comme juge si je m'éloigne de vous: faites donc qu'assis sur ce trône temporel je rende aux autres ce que je voudrais que vous me rendissiez alors.

Ecce, Domine, thronus vicarius justitiae tuae, et misericordiae in terris, in quem me ex misericordia tua ex nihilo creatum, de stercore elevasti : da mihi gratiam tuam, ut in illo sedens sim tuus, ut me regat sapientia et per me agat justitia et misericordia tua.

Hic thronus cuspidi acus superimpositus est, heu quam facili subversioni obnoxius subjacet, nisi tu fulciveris eum Deus, fac ut thronus tuus sit cor meum : sic enim immobiles erunt bases ejus.

In transitu ad Ecclesiam.

Salvum fac populum tuum Domine, et benedic haereditati tuae.

O pastor bone Jesu mi, ecce oves quas tradidisti mihi custodiendas; fac, ne ex illis perdam quampiam.

O pastor pastorum! qui me horum pastorem constituisti, ecce duco gregem tuum ad deliciosa pascua corporis, et sanguinis tui; fac, ut in illis reficiatur et pinguescat anima nostra.

Jesu redemptor meus, ad cujus passionis memoriam recolendam procedo, quantum absum ab imitatione tua; cum tu ducebaris inter opprobria tortorum, ego gradior inter adulantium agmina, sed hi quoque tortores mei erunt, nisi tu mihi gratiam dederis verum a falso discernendi.

In ingressu in Ecclesiam.

O Domine, ecce ante portam ex misericordi institutione tua te repraesentavi coram hominibus, sed hic pulvis et cinis sum coram te : quomodo audeam loqui tibi? fac igitur quaeso ut spiritus tuus loquatur tibi per me : cum indignus et insufficiens sim laudare te.

O Pastor aeterne ad sacrificandum tibi venio, sed nec ligna, nec ignem, nec hostiam dignam reperio in me, quasi lignum quidem sum, sed per se ineptum ad inflammandum, nisi tu

Voilà, mon Dieu, ce trône, le vicaire de votre justice et de votre miséricorde sur la terre, auquel vous m'avez élevé de la boue après m'avoir tiré du néant par une miséricorde toute gratuite, donnez moi votre grâce pour qu'assis sur ce trône je sois tellement à vous, que votre sagesse me gouverne, et que votre justice et miséricorde agissent par moi.

Ce trône est posé sur la pointe d'une aiguille, hélas! qu'il est sujet à être facilement renversé si vous ne le soutenez, ô mon Dieu, faites que mon cœur soit votre trône; et ainsi les fondements en seront immuables.

Dans le passage pour aller à l'Église.

Seigneur, sauvez votre peuple et benissez votre héritage.

O mon Jésus bon pasteur, voilà les ouailles que vous m'avez confié à garder; faites que je n'en perde aucune.

Pasteur des pasteurs! voilà que je conduis votre troupeau aux délicieux pâturages de votre corps et de votre sang, faites que nos âmes s'y rassasient et s'y engraissent.

O Jésus mon redempteur dont je vais voir renouveler la mémoire de la passion douloureuse, que je suis éloigné de vous imiter, puisque vous étiez conduit parmi les opprobres des bourreaux; et moi je marche parmi une multitude qui me flatte et qui me loue, mais ceux-la même seront mes bourreaux, si vous ne me faites la grâce de discerner le vrai d'avec le faux.

En entrant dans l'Église.

Voilà, Seigneur, que devant la porte par votre miséricordieuse institution je vous ai représenté devant les hommes; mais ici je ne suis que cendre et que poussière devant vous, comment oserai-je vous parler? faites donc, je vous prie, que votre esprit vous parle par moi, puisque je suis indigne, et incapable de vous louer.

O Père eternel, je viens vous offrir un sacrifice, mais je ne trouve en moi ni bois, ni feu, ni d'hostie digne; il est vrai que je suis comme un bois, mais incapable par lui-même de brûler

praeparaveris me, ut igne charitatis inflammatus unire me valeam adorandae hostiae, quam Ecclesia tua immolatura est tibi in hoc altari, suscipe me quaeso talem, qualis sum, et adapta me prouti vis, ut possim placere tibi, unitus filio tuo, et immolatus in ipso, cum ipso, et per ipsum.

Respice, quaeso Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium et crucis subire tormentum.

In reditu ex Ecclesia.

Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis per divinissimum templum corporis filii tui.

Memento congregationis tuae, quam possedisti ab initio.

Dirige Domine gressus meos in semitas tuas, ut non moveantur vestigia mea.

Ante consilium tenendum.

Domine Jesu Christe sapientia patris, qui duobus aut tribus in nomine tuo congregatis te in medio eorum futurum promisisti, intende in auxilium nostrum, et ad adjuvandos nos festina.

O spiritus consilii et veritatis adesto consiliis nostris, ne deviemus ad adinventiones nostras, sed in lumine tuo quaeramus lumen.

Amove, Domine, spiritum mundi a labiis et a cordibus nostris, ut consilium detur mihi a charitate tua, et non a cupiditate hominum.

O Deus creator meus, qui hominem insufflando animasti, purifica in nobis spiritum nostrum a puritate creationis suae tam miserande delapsum per peccatum, ne spiritus nequam sectemur suggestiones, sed spiritus tui sequamur inspirationes.

si vous ne le préparez, pour qu'enflammé du feu de votre charité je puisse m'unir à la victime sans tache, que l'Église va vous immoler sur cet autel ; recevez moi, je vous prie, tel que je suis et disposez moi comme vous voudrez afin que je puisse vous plaire uni à votre fils adorable, et immolé en lui, avec lui. et par lui.

Jettez les yeux ô mon Dieu, sur cette famille pour laquelle notre Seigneur J.-C. a bien voulu être livré entre les mains des méchants et subir le supplice de la croix.

Au retour de l'Église.

Confirmez, Seigneur, ce que vous avez opéré en nous par le temple divin du corps de votre fils.

Ressouvenez-vous de votre assemblé que vous avez possedé dès le commencement.

Dirigez mes démarches dans vos sentiers ô mon Dieu, afin que mes pas demeurent fermes.

Avant de tenir conseil.

Seigneur Jésus-Christ, sagesse éternelle du père qui avez promis de vous trouver au milieu de deux ou trois assemblés en votre nom, venez à mon secours, et hâtez vous pour m'aider.

O esprit de conseil et de vérité, assistez à nos conseils de peur que nous ne nous égarions dans nos inventions, et afin que dans votre lumière nous cherchions la lumière.

Ecartez, Seigneur, de nos lèvres, et de nos cœurs l'esprit du monde, pour que ce soit votre charité, et non la cupidité mondaine qui me donne conseil.

O Dieu mon créateur, qui par votre soufle avez animé l'homme, purifiez en nous notre esprit si malheureusement déchu par le péché de la pureté dans laquelle vous l'avez créé, de peur que nous ne suivions les suggestions du méchant esprit, mais plutôt que nous suivions les inspirations de votre esprit saint.

Consilio finito.

Sit tibi honor et gloria o pater caelestis ex omnibus et pro omnibus, quae voluntati tuo conformia egimus.

O Domine Jesu Christe adsis nobis gratia tua, ut quae te inspirante bona decrevimus, te adjuvante secundum beneplacitum tuum perficere opere valeamus.

Mane mecum o Sancte Spiritus! spiritus fortitudinis et timoris Dei, ut in fortitudine bona proposita agam, et judicia Dei semper in charitate timeam.

Ad prandium.

Quanta est bonitas tua, o pater coelestis, a quo solum panem quotidianum petii, et tu mihi tot fercula dare dignatus es, aspice fragilitatem meam, et fac, ne sit gulae coinquinamentum, quod corporis deberet esse alimentum.

O panis vivus, qui de coelo descendisti, sis alimentum animae meae, prout haec, quae apposita sunt, erunt nutrimentum corporis mei, da, ut haec temperanter degustans, te indesinenter esuriam.

Caro mea haec terrena nutrimenta appetit; o utinam spiritus meus te spiritum vivificantem appeteret, refrena pravam cupiditatem carnis meae, o spiritus, et adauge famem spiritus mei, ut dum corpus se reficit : ille te incessanter desideret.

Finito prandio.

O pater! cujus providentia miro ordine creata conservat, utinam me ordinationi tuae ita conformassem, ut plus conservationi meae ad serviendum tibi studuissem, quam dictamini sensuum, qui in tantum refragantur mandatis tuis.

O supreme pastor Jesu mi, noli intrare in judicium meum, ecce ego ovium tantis abundo te largiente, quot sunt oves, quarum custodiam mihi commisisti, quae fors fame pe-

Le conseil fini.

Honneur et glorie à vous père céleste, de tout et pour tout ce que nous avons fait de conforme à votre volonté.

O Seigneur Jésus-Christ, assistez nous par votre grâce pour pouvoir selon votre bon plaisir, et par votre aide accomplir ce que nous avons resolu par votre inspiration.

Restez avec moi ô esprit saint! esprit de force et de crainte de Dieu, afin que dans la force je fasse le bien que je me suis proposé, et que dans la charité je craigne toujours les jugemens de Dieu.

Au dîner.

Que votre bonté est grande ô père céleste, à qui je n'ai demandé que le pain quotidien, et vous avez daigné me donner tant de mets, regardez ma fragilité et faites que ce qui devrait être l'aliment de mon corps, ne soit pas une souillure de gourmandise.

O pain vivant qui êtes descendu du ciel, soiez la nourriture de mon âme, comme ce qui m'est servi sera la nourriture de mon corps, faites que goutant de ceux avec tempérance, j'aye sans cesse faim de vous.

Ma chair désire ces alimens terrestres; ô plût à Dieu que mon esprit vous souhaitât ardemment ô esprit vivifiant; reprimez la cupidité de ma chair, esprit saint, et augmentez la faim de mon esprit afin qu'il vous désire incessamment pendant que le corps prend sa réfection.

Après le dîner.

O père céleste! dont la providence conserve avec un ordre merveilleux ce qu'elle a créé, plût à Dieu que je me fus plus attaché à ma conservation pour vous servir, qu'aux suggestions de mes sens, qui sont si refractaires de vos préceptes.

O Jésus, mon souverain pasteur! n'entrez pas en jugement avec moi; car pendant que par votre bonté je vis dans l'opulence, combien y a-t-il de brebis dont vous m'avez chargé

reunt, provideat, quaeso, tua bonitas illis, quorum necessitatem oculis meis celat ignorantia.

Ante quodlibet opus.

Deus qui me ex nihilo creatum, ad opus oeconomiae tuae exercendum in tam eminentem gradum elevasti in terris, adjuva me, ne quid agam propter me, qui vivere, et operari deberem propter te.

Deus fili descendisti in terram, ut opus patris operareris, operare illud et in me, ut quae te adjuvante egero, per te, et in te referantur ad laudem et gloriam ejus.

Spiritus sancte Deus, incomprehensibilis Trinitatis unio, rege, guberna, illumina me, ut rite peragam in terris, quae in unitate patris et filii decrevisti in coelis.

Inter venandum.

Quis est homo, quod magnificas eum Domine? Omnia subjecisti sub pedibus ejus, et omnia pecora campi subdidisti ei, fac ut me tibi ita subjectum sentiam, prout illa ex bonitate ordinationis tuae subjecta video esse mihi.

Quid retribuam tibi Christe Redemptor meus, quod e laqueo venantium animam meam eliberaveris : sed heu dum ego venor, adhuc me venantur inimici; disrumpe laqueos eorum ne irretiantur pedes mei, et ne illis adhaeream, per quae tendere deberem ad te.

Ad labores natus sum et ecce in labore delectatio mea, refocilla me o Spiritus aura dulcis cordis mei, quidquid enim in hoc mundo ago, labor est et dolor sine te.

In actu publico et pompa.

O Domine, qui per eminentem statum vocationis meae ad fidem, voluisti, ut mundo, ac pompis, et vanitatibus ejus re-

qui peut-être meurent de faim; que votre bonté, Seigneur, je vous prie, pourvoie à ceux dont l'ignorance me cache les nécessités.

Avant chaque ouvrage.

Mon Dieu, qui après m'avoir tiré du néant m'avez élevé sur la terre à une place si eminente pour accomplir l'œuvre de votre économie, aidez moi, crainte que je ne fasse quelque chose pour moi qui ne dois vivre et agir que pour vous.

O Dieu le fils, qui êtes descendu sur la terre pour faire l'ouvrage de votre père, faites-le en moi, afin que ce que je ferais par votre secours se rapporte par vous et en vous à son honneur et gloire.

Esprit saint, lien incompréhensible de l'adorable trinité, regissez, gouvernez, éclairez moi pour que je fasse comme il faut sur la terre ceque vous avez resolu dans le ciel en l'unité du père et du fils.

A la Chasse.

Qu'est ce que l'homme ô mon Dieu, que vous le glorifiez? Vous avez tout mis sous ses pieds et vous lui avez assujeti tous les animaux des champs; faites que je me sente soumis à vous, comme par la bonté de votre providence je les vois soumis à moy.

Que vous rendraije ô Christ mon Redempteur, pour avoir delivré mon âme des filets des veneurs : mais hélas pendant que je chasse, j'ai encore des ennemis qui me poursuivent; rompez leurs rets de peur que mes pieds ne s'y prennent, et que je ne m'attache à ce par quoi je devrais tendre à vous.

Je suis népour les travaux, et voilà que je me plais dans le travail, rechauffez moi ô esprit saint, soufle agréable de mon cœur; car tout ce que je fais dans ce monde, n'est que travail et douleur sans vous.

Dans un acte public et dans la pompe.

O Seigneur, qui par l'état éminent de ma vocation à la foi avez voulu que je renonçasse dans le baptême au monde

nunciarem in Baptismate, me tamen inter tot pompas, et vanitates status mei manere voluisti; conserva me ab illecebris horum, quae me circumdant; bonum est enim mihi adhaerere tibi, cujus bonitati et misericordiae haec omnia debeo.

O Deus, quidquid honoris, gloriae et laudis tribuitur mihi, referatur ad te, omnia enim haec tibi soli debentur, non mihi pulveri terrae, per te sum enim quidquid sum.

Vellem o Domine si possem his omnibus, qui me adspiciunt persuadere, et patefacere indignitatem meam, ut tibi praestarent per me, quod fors plurimi mihi deberi credunt. Illumina Domine illos, ne vas fictile et inane simulacrum honorent, quod nunc oculis illorum exponitur, et cras fors esca vermium erit.

Jesu mi! quem Hierosolyma exclamatione Hosannae jubilans recoepit, et triduo post ad crucifigendum inter sputa, alapas, et opprobria duxit, imprime menti meae inconstantiam hominum, ut illa, quae nunc praestantur mihi, in illo spiritu recipiam, in quo tu acclamationes tunc tibi praestitas recoepisti.

Ante decubitum coram lecto.

Ecce Domine diem hunc vilicationis meae te adjuvante transegi; rationi tibi de me et de illis, quos curae meae commisisti, reddendae obnoxius; non intres, quaeso, in judicium mecum, quoniam non justificabor in conspectu tuo.

Nudus exii ex ventre matris meae, ecce omni ornatu status mei spoliatus, mox omni sensuum usu destituendus similis mortuis efficiar; vigila pro me Christe Redemptor meus, et pro me debitas patri aeterno laudes persolvere dignare.

In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum et omnes, quos curae meae commisisti, custodiat et vigilet oculus providentiae tuae super illos, quos tributum miserae naturae meae debitum, succedente somno, oculis et curae meae subtrahet.

et à ses pompes, et qui cependant avez voulu que je restasse au milieu de tant de pompes et vanités de mon état, préservez moi des charmes séducteurs de tout ce qui m'environne : car il est bon pour moi de m'attacher à vous, à la bonté et à la miséricorde de qui j'en suis redevable.

Mon Dieu, que tout l'honneur, la gloire et les louanges qu'on me donne se rapportent à vous, car tout cela n'est dû qu'à vous et non à moi poussière de la terre, car c'est par vous que je suis tout ce que je suis.

Je voudrois, Seigneur, si je pouvois persuader, et découvrir à tous ceux qui me regardent, mon indignité, afin qu'ils vous rendissent par moi ce que peut-être plusieurs croient m'être dû. Eclairez les, ô mon Dieu, de peur qu'ils n'honorent un vase d'argile, et un vain fantôme, qui est maintenant exposé à leurs yeux et qui peut-étre demain sera la pâture des vers.

O mon Jésus! que Jerusalem reçut en triomphe au milieu des acclamations d'Hosanna, et trois jours après mena au supplice de la croix au milieu des insultes, des soufflets et des opprobres, imprimez dans mon esprit l'inconstance des hommes pour que je reçoive les honneurs, qu'on me rend maintenant, dans le même esprit que vous reçutes ceux qu'on vous fit alors.

Avant le coucher devant le lit.

Voilà, Seigneur, que par votre grâce j'ai passé cette journée de mon administration ; sujet à vous rendre compte de moi et de ceux que vous m'avez confié ; n'entrez pas, je vous prie, en jugement avec moi, parceque je ne serai pas justifié devant vous.

Je suis sorti tout nud du ventre de ma mère, me voilà dépouillé de tous les ornemens de mon état, et bientôt privé de tout usage de mes sens je deviendrai semblable aux morts ; veillez pour moi ô Christ mon Redempteur, et rendez pour moi à votre père éternel les louanges qui lui sont dues.

Je recommande, Seigneur, mon esprit et tous ceux dont vous m'avez chargé, entre vos mains ; que l'œil de votre providence veille sur ceux que le tribut dû à ma misérable nature va soustraire par le sommeil à mes yeux et à mes soins.

In tentatione vanitatis et superbiae.

O pater, creator meus, recordare creaturae tuae, quae nec se fecit, nec inter has tentationum proximas occasiones se sponte sua ingessit, sed ad utrumque statum per decreta providentiae tuae pervenit, conserva igitur opus manuum tuarum, et si vis ut tenter, adjuva, ne succumbam.

Recedite a me bullae pueriles, et vigilantis hominis somnia; num pretium sanguinis Christi Domini mei pro vobis commutabo? num pro vobis momentaneis animam meam aeternam in aeternum damnabo? Jesu fili David miserere mei.

O splendidae nugae et sensuum meorum delectamenta, in poenam peccati data estis mihi; quod si autem poena in tantum delectat, quidni magis delectabit praemium? cujus contemptio vestra pretium est. Domine fac ut videam.

Angele sancte Dei, qui custos es mei, apprehende arma et scutum, ecce spiritus, qui similis altissimo fieri volebat, junge me tibi, et proeliemur cum eo, quis enim est ut Deus?

In tentatione irae.

Domine ad adjuvandum me festina, ne quid agam sine te, spiritus quidem promptus est, sed caro infirma, quae exagitatur et incenditur per spiritum humanum, da frenum, ut constringam maxillas ejus.

Homo est, qui mihi irae et impatientiae occasionem suppeditat, sed tu Deus, quamvis non causa, cum tamen ordinator sis malorum, a manu tua suscipio hanc patientiae occasionem, seda, quaeso, motus meos, et da gratiam ut in charitate et puniam et parcam.

O Judex supreme, qui me judicem constituisti in terris, separa me tantisper a memet ipso, ut melius discernere possim, et judicare, ac sic vindicare puniendo illa, quae te concernunt, parcere vero et oblivisci illorum, quae me respiciunt.

Dans la tentation de vanité et de superbe.

O père mon créateur, ressouvenez vous de votre créature, qui ne s'est pas faite elle-même, et qui n'est pas mise de son gré au milieu de ces occasions prochaines de tentation, mais qui est arrivé à ces deux états par les decrets éternels de votre providence; conservez donc l'ouvrage de vos mains, et si vous voulez que je sois tenté, soutenez moi crainte que je ne succombe.

Éloignez vous de moi pueriles amusemens, songes d'un homme qui veille : est ce que je changerai pour vous le prix du sang de J.-C.? est-ce que pour vous qui passez en un moment je damnerai pour toujours mon âme qui est immortelle? Jésus fils de David, ayez pitié de moi.

O bagatelles éclatantes, qui faites le plaisir de mes sens, vous m'avez été données en punition du péché : que si la peine même est si agréable, combien plus le sera la recompense, dont le mépris qu'on fait de vous sera le prix? Seigneur faites que je voie.

Mon ange gardien, prenez les armes et le bouclier, voilà l'esprit d'orgueil qui voulait être semblable au très-haut, joignez moi à vous, est combattons contre lui : car qui et comme Dieu?

Dans la tentation de colère.

Seigneur, hâtez vous de me secourir, crainte que je ne fasse quelquechose sans vous, car l'esprit et prompt et la chair est faible, parcequ'elle est poussée et enflammée par l'esprit humain, donnez lui un frein pour que je reprime ses machoires.

C'est l'homme qui me fournit des occasions d'impatience, et de colère; mais vous mon Dieu qui, n'étant pas la cause du mal, en êtes cependant l'ordonnateur, je reçois de votre main cette occasion de patience; calmez, je vous prie, mes mouvemens, et donnez moi votre grâce pour punir et pardonner dans la charité.

O Juge suprême, qui m'avez établi juge sur la terre, séparez moi pour un peu de temps de moi-même, afin que je puisse mieux discerner et juger, et ainsi vous venger en punissant dans ce qui vous concerne, et pardonner et oublier ce qui me regarde.

In tentatione invidae.

Justus es Domine, et justa sunt judicia tua, prout laudaris in sanctis et in omnibus creaturis tuis, ita lauderis et in hominibus, quibus plura dedisti talenta, quam mihi; fac, ut et illi et ego illorum, quae dare dignatus es, fideles oeconomi reperiantur.

O Domine! si charitatem haberem in corde, non aemularer, sed tibi pro donis tuis proximo quoque datis gratias agerem; parce igitur defectibus meis, et da augmentum charitatis, ut te amans in proximo, amem et dona tua in illo, et gratuler illa exaltari ab aliis in homine.

O bona transitoria vitae hujus, aestimatio, honor, et approbatio hominum, fumus estis, et nihilum, non invidia sed contemptu digna, quae cupiditas facit appetibilia; extirpa Domine hanc radicem mali ex corde meo, et sanabor ex hoc morbo conditionis meae.

In tentatione avaritiae.

O radix cupiditatis! utinam sensibiliter sentirem omnem amaritudinem tuam, ut te saepe evomerem ex corde, tu es enim, quae per spiritum avaritiae me saepe pauperiorem repraesentas, et persuades mihimet ipsi, quam sim, si charitatem haberem, nunquam proximo bene faciendi negligerem occasionem; Domine respice miseriam meam, et adjuva, ne decipiar.

Egestatem timeo, quia in providentia tua diffido. Domine auge fidem, auge spem per charitatem, nihil enim deerit mihi, cum amavero te.

Quantae insipientiae est amare, quod semper possidere nequeo, quodsi enim totius mundi haberem thesauros, mors separaret ab illis. Diligam ergo te solum, Deus, summum bonum meum et non dona tua, ut non cupiam haec possidere, sed temetipsum.

In tentatione gulae.

Sunt dona tua, Domine, quae palato meo placent, pro quibus ego teneor eo plus amare te; fac igitur, ut in mensura

Dans la tentation de l'envie.

Vous êtes juste, Seigneur, et vos jugemens sont équitables comme vous êtes glorifié dans vos saints, et dans toutes vos créatures, soyez de même glorifié dans les hommes à qui vous avez donné plus de talens qu'à moi, faites qu'eux et moi soyons trouvés de fidèles économes de vos dons.

Mon Dieu! si j'avais la charité dans le cœur, je n'aurais point d'émulation, mais je vous rendrais grâce des dons même dont vous avez favorisé mon prochain; pardonnez mes défauts, et donnez moi un accroissement de charité pour qu'en vous aimant dans le prochain, j'aime en lui vos dons, et que je sois bien-aise qu'ils soient exaltés par les autres dans l'homme.

O biens passagers de cette vie, éstime, honneur, et approbation des hommes, vous n'êtes que fumée et néant, plus dignes de mépris, que d'envie, que la cupidité fait convoiter. Arrachez, Seigneur, cette racine du mal de mon cœur, et je serai gueri de cette maladie de ma condition.

Dans la tentation d'avarice.

O racine de cupidité! plût à Dieu que je ressentisse sensiblement votre amertume afin de vous rejeter souvent de mon cœur, car c'est vous qui par l'esprit d'avarice me représentez à moii même plus pauvre que je ne suis; si j'avais la charité je ne negligerais aucune occasion de faire du bien à mon prochain. Seigneur regardez ma misère et aidez moi pour que je ne sois pas trompé.

Je crains la pauvreté, parce que je me défie de votre providence, Seigneur: augmentez ma foi, augmentez mon espérance par la charité, car rien ne me manquera quand je vous aimerai.

Qu'il y a de la folie d'aimer ce que je ne puis toujours posséder, car quand j'aurais les trésors de tout le monde, la mort m'en séparerait: je vous aimerai donc seul ô mon Dieu mon souverain bien, et non vos dons, afin que je ne souhaite pas de les posséder, mais vous même.

Dans la tentation de gourmandise.

Ce sont vos dons, ô mon Dieu, qui flattent, pour lesquels je suis obligé de vous aimer davantage; faites donc que dans

dispositionis tuae utar illis, quae dedisti, ne excedam limites, quos praescripsisti mihi.

Satiabor Domine, dum apparuerit gloria tua, sed non his, quae degustata nauseantur; auge proinde in me gustum eorum, quae semper sunt appetibilia, ut nauseam transitoria·

Utinam illa, quae spiritualia sunt, ita saperent animae, prout corpori sapiunt corporalia, sed quia corpus est in patria, anima autem in peregrinatione, huic semper praedominabitur illud, nisi gratia tua, Deus, adjuveris me. Da proinde hanc, quam peto : ut praestare valeam, quae debeo.

In tentatione luxuriae.

O ergastulum! o lutea habitatio animae meae! quae insania esset spiritui ad imaginem et similitudinem Dei creato assentire tibi, cuius omnis gloria tanquam foenum, quod heri floruit et hodie mittitur in clybanum! elevare o anima mea ad centrum tuum, tu quippe sponsa Dei es, quamvis vinculis carnis tenearis. Qui plasmasti me, miserere mei.

Quam momentanea sunt, quibus illudis mihi o pulvis, qui in pulverem reverteris, ergone pro illis aeternitatem commutabo? Noli fornicari o anima mea, quae in sanguine Christi desponsata es, exurge Deus et dissipentur inimici tui.

Tu me nosti melius me, Domine, quodsi proinde me tentationibus expositum vivere voluisti, defende me in proelio, ne peream in judicio.

In tentatione acediae.

Tot servientium et adstantium mihi, Dominus, segnitiem, tepiditatem et pigritiam illorum in serviendo me detestor, an ipse talis ero in conspectu tuo, qui Dominus es dominantium? ergone non praestabo tibi alacritatem in serviendo, quam ab

la mesure de votre volonté je me serve de ce que vous m'avez donné, et que je n'excède pas les limites que vous m'avez préscrits.

Je serai rassasié, Seigneur, lorsque votre gloire se manifestera à moi, et non de ce qui dégoute quand on en a joui: augmentez donc en moi le goût de ce qui est toujours désirable, et dégoutez moi de ce qui ne fait que passer.

Plût à Dieu que les choses spirituelles plussent autant à mon âme comme les corporelles plaisent à mon corps, mais parceque le corps est dans sa patrie, et l'âme dans son pèlerinage, le premier dominera toujours celleci, si vous ne m'aidez de votre grâce ô mon Dieu. Donnez moi donc celle que je demande pour pouvoir accomplir ce que je dois.

Dans la tentation de luxure.

Ô prison! ô habitation de boue de mon âme! quel folie ce serait à un esprit créé à l'image de Dieu de vous flatter, vous dont toute la gloire est comme le foin qui fleurissait hier, et qui aujourd'hui sera mis dans le four. Elevez vous, ô mon âme vers votre centre, car vous êtes l'epouse de Dieu quoique vous soyez détenue dans les liens de la chair. Ô vous qui m'avez formé, ayez pitié de moi.

Combien passagères sont les choses dont vous me tentez ô poussière qui retournerez en poussière; est ce donc que je changerai pour elles l'éternité? ô mon âme, ne vous souillez pas, vous qui avez été épousée dans le sang de J. C. levez vous Seigneur, et que mes ennemis s'évanouissent.

Vous me connaissez mieux que moi même Seigneur, que si donc vous avez voulu je vécus exposé aux tentations, défendez moi dans le combat, de peur que je ne périsse dans le jugement.

Dans la tentation de paresse.

J'ai en horreur la lenteur, la tiédeur et la paresse dans le service de tant de gens qui me servent, et qui sont prez de moi, serai-je moi-même comme eux devant vous, mon Dieu qui êtes le Seigneur des Seigneurs? n'aurai-je donc pas à vous

aliis exigo? adjuva me Domine, ne me tibi in hoc nefario ausu praeferam.

Quis est Dominus sicut tu Deus? quis tam fidelis in promissis, tam munificus in proemiis? ecce ego servus tuus sum, da, ut me talem, non solum ore profitear, sed et opere demonstrem.

O Dominator, Domine! insurgunt contra me cupiditates meae, et volunt dominari mihi, et heu, quam saepe servio illis alacrius, quam tibi; auge charitatem, minue cupiditatem, ut illa praedominante sim fidelis et prudens in serviendo tibi.

In tentatione visus.

Quam pulchra sunt, quae video, sed quis fecit, ut videam, nonne tu Deus, cujus bonitatis donum est visus meus; det igitur hic sensus meus tibi gloriam, et te omnis boni et pulchritudinis authorem esse meminerit, fac, ut te amem Domine, qui haec fecisti, non illa, quae fecisti praeter te.

O si tam clare videret anima mea Deus, prout corpus haec objecta discernit, quam turpia viderentur, quae nunc pulchra apparent; auge fidem meam, ut plus delecter in illis, quae credo, quam in his, quae video.

Dedisti mihi Domine creaturas, ut per illas tanquam per scalas perveniam ad te, da proinde vires, ut ascendam per pulchritudinem objecti, quod video, ad contemplandam pulchritudinem domus tuae.

In tentatione auditus.

Domine, tu vides, quantis periculis est obnoxius status meus, quibus illum humanae consuetudinis gravitas subjecit: sed cum omnia bona esse possunt cum gratia tua, da, ne ego per oblivionem illorum, quae tibi debentur, reddam mala illa, quae per se mala non sunt.

servir, le même empressement que je demande dans les autres ? aidez-moi Seigneur, crainte que dans ce téméraire sentiment je ne me préfère à vous.

Quel maître y a-t-il comme vous, mon Dieu ? quel maître si fidèle dans ses promesses, si magnifique dans ses recompenses ? Voilà que je suis votre serviteur, faites que je ne me montre pas tel seulement par les paroles, mais encore par les actions.

Ô dominateur souverain, mes passions s'élèvent contre moi et veulent me dominer, et combien de fois hélas ! je les sers avec plus de plaisir que vous : augmentezma charité, diminuez ma cupidité, afin que la première étant la plus forte, je sois fidèle et prudent en vous servant.

Dans la tentation de la vue.

Combien beaux sont les objets que je vois, mais qui estce qui a fait que je les voie, sinon vous mon Dieu, à la bonté duquel je dois ma vue : que ce sens donc vous rende gloire, et se souvienne que vous êtes l'auteur de tout bien et de toute beauté : faites Seigneur, que je vous aime, vous qui avez fait tout cela, et non hors de vous les choses que vous avez faites.

Ô si mon âme vous voyait aussi clairement, ô mon Dieu, comme mon corps discerne ces objets, combien me paraîtrait laid ce qui me paraît maintenant si beau ; augmentez ma foi afin que je me plaise plus dans ce que je crois, que dans ce que je vois.

Vous m'avez donné, Seigneur, les créatures pour me servir de degrés à monter jusqu'à vous, donnez-moi donc les forces pour monter par la beauté de l'objet que je vois jusqu'à contempler la beauté de votre demeure céleste.

Dans la tentation de l'ouïe.

Vous voyez, Seigneur, à combien de périls mon état est exposé, auxquels la mauvaise maxime et coutume du monde l'a assujeti ; mais comme toutes choses peuvent être bonnes avec votre grâce, donnez la moi crainte que par l'oubli de ce que je vous dois, je ne rende mauvais ce qui ne l'est par par soi-même.

Obscoena, vaniloquia et detractoria fac abesse ab auribus meis Domine, et redde me surdum ad loquelam adulantium et laudantium me, cum, siquid boni est in me, non meum est, sed tuum.

Custodi Domine aures meas, ne ex auditu praeceps et temerarium proferam judicium, labiis enim mendacibus nimium me exponit status meus, da proinde mihi spiritum discretionis, ut vera a falsis discernere possim.

In tentatione odoratus.

Si tantus esset virtutis odor in me, quantum meus odoratus sentit, sed putredo et corruptio corporis mei nihil simile producere potest, nisi tu producas in me Deus odorem illum suavitatis.

Concede Domine, ut utar sensu odoratus in finem, quem dedisti mihi, cum enim hunc sensum mihi dederis, vis procul dubio, ut utar illo in mensura et ordine, in quo creasti omnia, et agis in omnibus.

Deus, qui odore orationis SSm. delectaris, occasione odoris, qui olfactum meum allicit, offero tibi illas, cum in me nihil suave olens reperiam te dignum.

Inter dolores corporis.

Justus es Domine, et rectum judicium tuum, poenas pro peccato primi hominis debitas patitur hoc corpus peccati, quamvis enim deleverit misericordia culpam, hanc justitia tua infligit poenam.

Qui passus es pro me, fac, ut ego patiar pro te, cum enim ordinationi tuae me lubens subjecero, pro te, pati : credere potero.

Auge Domine fidem, ut plus credam et noscam illa, quae moereor, tunc videbo, quam levia sunt, quae patior.

Quot et quanta sunt saepe tormenta, quibus se homines

Eloignez de mes oreilles les choses obscènes, les vains discours, et les médisances, et rendez-moi sourd aux paroles de ceux qui me flattent en me louant, puisque s'il y a quelque bien en moi, il est à vous et non à moi.

Gardez, Seigneur, mes oreilles de peur que par l'ouïe je ne porte de jugement téméraire et précipité; car mon état ne m'expose que trop aux langues menteuses; donnez-moi l'esprit de discernement, pour que je sache reconnaître le vrai d'avec le faux.

Dans la tentation de l'odorat.

Hélas! s'il y avait en moi une aussi grande odeur de vertu que mon odorat en ressent, mais la pourriture et la corruption de mon corps ne peut rien produire de semblable si vous ne produisez en moi, ô mon Dieu, cette odeur de suavité.

Faites moi la grâce, Seigneur, de me servir du sens de l'odorat pour la fin que vous me l'avez donné, car puisque vous m'avez donné ce sens là, vous voulez sans doute que je m'en serve dans la mesure et l'ordre dans lequel vous avez tout créé et agissez en toute choses.

Ô mon Dieu, qui vous plaisez dans la bonne odeur des prières des Saints, à l'occasion de l'agréable odeur qui charme mon odorat je vous les offre, puisque je ne trouverai rien en moi qui sente bon et qui soit digne de vous.

Dans les douleurs du corps.

Vous êtes juste, Seigneur, et vos jugements sont équitables; ce corps souffre les peines dues au pêché du premier homme, car quoique votre miséricorde ait effacé la faute, votre justice impose ce châtiment.

Ô vous qui avez souffert pour moi, faites que je souffre pour vous, car lorsque de bon gré je me serai soumis à votre volonté, je pourrai croire que je souffre pour vous.

Augmentez, Seigneur, ma foi, afin que je croie et connaisse davantage ce que je mérite, je verrai alors combien mes souffrances sont légères.

Combien, et combien grands sont souvent les tourments.

pro principibus exponunt, et suscoepta patiuntur: quis sum ego, ut illa pro Deo creatore et Domino meo pati recusem, quibus se homines pro homine objicere gloriae ducunt?

Per sensus carnis, cujus operibus consensi, peccavi; quid justius, quam, ut instrumenta peccati sint instrumenta poenae, ut unde oriebatur delectatio, inde procederet et afflictio?

Offero tibi Domine dolores, quos patior, nam et hi dona tua sunt, quae si non dedisses, tibi offerre non possem, sed nisi his donis tuis patientiae donum superaddideris, non erit te digna oblatio mea; da proinde, ut recipias, et ut passionis tuae Jesu mi! vel aliqualis sit in me repraesentatio: fac, ne quod patior, videatur afflictio.

In ariditate.

Durum mihi videtur carere solatio, sed et hoc superbiae meae est effectus et suggestio, quae dona tua sibi deberi putat; nam si antea data gratuita fuisse firmiter crederem, quomodo de recoeptis conqueri auderem?

Bonum est Domine quandoque sentire mihi, quid et quis sim sine solatii gratia, ut noscam, quid mea mereatur malicia; cum enim ablato solatio me nihil posse sciam: ad te eo velocius recurram.

Laudet te, creatorem meum ipsa ariditas cordis mei, vix enim majus possum praestare tibi adorationis obsequium, quam dum meum coram te agnovero nihilum.

Inter conversandum.

Christe, Redemptor meus, qui cum hominibus conversatus fuisti pro salute illorum, da gratiam, ut virtus conversationis tuae conversationem meam sanctificet.

Fac me sentire praesentiam tuam Deus, ut dum cum

auxquels les hommes s'exposent pour les Princes, et les souffrent quand ils l'ont entrepris : Qui suis-je pour refuser de souffrir pour Dieu mon créateur et souverain, Seigneur, ce à quoi les hommes se font une gloire de s'exposer pour un homme ?

J'ai pêché par les sens de la chair aux œuvres de laquelle j'ai consenti : quoi de plus juste que les instruments du pêché soient aussi les instruments de la peine, et que l'affliction vienne d'où venait le plaisir.

Je vous offre, Seigneur, les douleurs que je souffre ; car c'est là même un de vos dons ; que si vous ne me les aviez pas donné, je ne pourrais pas vous les offrir ; mais si à ces dons vous n'ajoutez celui de la patience, mon offrande ne sera pas digne de vous : donnez donc pour recevoir, et afin qu'il y ait en moi quelque représentation de votre passion faites que ce que je souffre ne paraisse pas affliction.

Dans l'aridité.

Il me paraît dur d'être privé de consolation, mais cela même est un effet et une suggestion de mon orgueil qui croit que vos dons lui sont dûs ; car si je croyais fermement que ce qui m'a été donné auparavant a été purement gratuit, comment oserais-je me plaindre des dons que vous avez retiré.

Il est bon pour moi de ressentir quelquefois ce que, et qui je suis quand la douceur des consolations célestes me manque, afin que je reconnaisse ce que mérite ma malice ; car quand je saurai que sans ce secours je ne puis rien, j'en recourrai plus vite à vous.

Que l'aridité même de mon cœur vous rende gloire ô mon créaetur, car à peine puis-je vous rendre un plus grand hommage d'adoration que quand je reconnaitrai devant vous mon néant.

En conversant.

Ô Christ, mon redempteur, qui avez conversé avec les hommes pour leur salut, donnez-moi votre grâce, afin que la vertu de votre conversation sanctifie les miennes.

Faites-moi sentir votre présence ô mon Dieu ! pour qu'en

hominibus agam in terris, conversatio mea sit tecum in coelis.

O lumen cordium charitas, noli derelinquere me, nisi enim tua mihi adfuerit illuminatio, ociosa et inutilis erit mea conversatio.

Aspirationes occasione belli.

Ad aspectum castrorum.

Det tibi Deus gloriam omnis haec hominum multitudo, cui misericordia tua me indignum praeesse voluit, tua est mihi data super hos potestas, fac igitur, ut per me in omnibus tua illos regat voluntas.

Da Domine, ut omnia, quae ab his mihi praestari volo, per me referantur ad te, et a me quoque praestentur tibi, ut mihi a te data potestas sit respectu tui vera cordis mei humilitas.

Infunde Domine cordibus omnium beneplaciti tui desiderium, ut omnes actus nostri sint coram te debiti obsequii sacrificium.

In motu castrorum.

Exurge Domine protegere et ducere dignare nos, ut omnes passus nostri, quibus ad finem temporalem tendimus, ducant nos ad te finem nostrum ultimum, ad quem ordinati sumus.

O Dominator Domine, qui me horum ducem constituisti, mitte sanctum angelum tuum, ut illo custoditi inimicorum evitemus insidias, da spiritum tuum, ut isto illuminati mundanae vitae transeamus tenebras.

Ecce, Domine, te per me ordinante tota haec hominum multitudo eandem viam sequitur, quam ego praefixi illi, sed unumquemque nostrum sua ducit cupiditas, quae nos deviare facit a viis mandatorum tuorum, dirige proinde gressus nostros, ut sic procedamus, ne unquam timore peccatorum nostrorum correpti a facie tua fugere cupiamus.

agissant avec les hommes sur la terre, ma conversation soit avec vous.

Ô Charité, lumière des cœurs, ne m'abandonnez pas; car si votre lumière ne m'éclaire, ma conversation sera oiseuse et inutile.

Aspirations par rapport à la guerre.

A la vue du camp.

Que toute cette multitude d'hommes à qui tout indigne que j'en suis, vous avez voulu que je commandasse, vous rende gloire, ô mon Dieu! vous m'avez donné votre puissance sur ceux-ci, faites donc que par moi votre volonté les gouverne en toutes choses.

Faites, Seigneur, que tout ce que je veux qu'ils fassent pour moi, se rapporte à vous par moi et que je vous le rende aussi moi-même, afin que le pouvoir que vous m'avez laissé, soit par rapport à vous une vraie humiliation de mon cœur.

Repandez dans le cœur de tous, Seigneur, le désir de vous plaire, afin que toutes nos actions soient devant vous le sacrifice de l'hommage que nous vous devons.

Quand on décampe.

Levez-vous ô mon Dieu! daignez nous protéger et nous conduire, afin que tous nos pas par lesquels nous tendons à une fin temporelle, nous conduisent à vous notre dernière fin, pour laquelle nous sommes destinés dans votre ordre.

Ô Seigneur Dominateur souverain, qui m'avez établi le chef et conducteur de ceux-ci, envoyez votre saint ange, afin que sous sa garde nous évitions les embûches de nos ennemis; donnez-vous votre esprit saint pour passer à la faveur de sa lumière à travers les ténèbres de la vie mondaine.

Voilà mon Dieu, que vous l'ayant ainsi disposé par moi, toute cette multitude d'hommes suit la même voie que je lui ai marquée, mais un chacun de nous est guidé par sa cupidité qui nous fait égarer des voies de vos commandemens: dirigez donc nos démarches afin que nous nous conduisions de telle sorte que jamais nous ne souhaitions de fuir devant vous frappés de la crainte de nos pêchés.

In metatione castrorum.

Pervenimus, Domine, te adjuvante, et misericorditer ducente ad locum quieti nostrae corporali destinatum, sed quia sine te esse non possumus, fac, ut corpora nostra ita curemus, ne illa, quae te respiciunt, omittamus.

Nisi tu custodiveris nos, Domine, frustra vigilabunt, qui custodient nos, respiciat igitur super nos oculi tui immensa extensio, ut nostra sit secura statio.

Domine, qui me tantae multitudinis custodem esse voluisti, nec tamen me propter hoc a communibus corporis infirmitatibus exemisti, ecce ego quoque tributum miserae naturae meae debitum praestaturus, quieti indulgere obligor, parce mihi illa, quae mea negliget fragilitas, et fac, ut in illis suppleat, quam dedisti obligationi meae satisfaciendi voluntas.

In instruenda acie.

Quanta timoris et tremoris haec mihi esset occasio, si me tibi debita ad haec non duceret obligatio, fac igitur, ne huic obsit mea imbecillitas, sed in omnibus me regat tua SSma. voluntas.

Ecce, Domine, me et tot millia victimarum statuo coram te, submitto me ordinationi tuae, suscipio in omni humilitate decretorum tuorum de nobis latam sententiam, fac, ut in hoc spiritu omnes uniantur mecum tibi. Instrue, rege, conforta nos, prout placitum est tibi, da, ut in exequendis obligationibus status nostri non deficiat virtus nostra, et ut in his sperandis non desit mihi humana, quam dedisti prudentia.

Fac me et hos agere Domine, quae nostra sunt in ordine vocationis nostrae, ut dum illa, ad quae nos misericorditer destinasti, te adiuvante rite adimpleverimus, mercedem, quam promisisti, te miserante recipere valeamus.

Quand on campe.

Nous sommes arrivés, Seigneur, par votre aide et miséricordieuse conduite au lieu déstiné à notre repos corporel ; mais parceque nous ne pouvons être sans vous, faites que nous ayons soin de nos corps de telle manière que nous n'omettions pas ce qui vous regarde.

Si vous ne nous gardez, ô mon Dieu, c'est en vain que veillent ceux qui nous gardent : que l'immense extension de l'œil de votre providence veille donc sur nous, pour que notre demeure soit dans la sûreté.

Seigneur, qui m'avez établi le gardien d'une si grande multitude, et qui pour cela ne m'avez cependant exempté des infirmités communes ; voilà que moi-même pour payer le tribut dû à ma misérable nature suis obligé de donner quelque temps au repos, pardonnez moi ce que ma fragilité me fera négliger et faites qu'à cela supplée la volonté que vous m'avez donné de remplir mes devoirs.

En rangeant l'armée en bataille.

Quelle occasion de crainte et de tremblement ne me serait pas ceci, si mon devoir envers vous, Seigneur, ne m'y engageait? faites que ma faiblesse ne m'empêche pas de le remplir, mais que votre sainte volonté me gouverne en toutes choses.

Me voilà, Seigneur, je me présente et tant de milliers de victimes devant vous, je me soumets à votre ordre, je reçois en toute humilité la sentence que vos décrets éternels ont porté sur nous ; faites que dans cet esprit tous s'unissent à vous avec moi, instruisez, régissez, fortifiez nous comme il vous est agréable : donnez-nous que notre courage ne défaille point dans l'accomplissement de nos obligations, et que dans l'exécution la prudence humaine que vous m'avez donné ne me manque pas.

Faites qu'eux et moi, ô mon Dieu! accomplissions ce que nous devons dans l'ordre de notre vocation, afin qu'ayant heureusement achevé par votre secours ce à quoi votre miséricordieuse providence nous a déstinés, nous puissions recevoir de cette même miséricorde la recompense que vous avez promise.

Ad conspectum inimicorum.

Parce Domine, parce populo tuo, et ne des in destructionem haereditatem tuam, hos enim, quos mihi dedisti, et quos adversum me insurgere video, tu Christe Salvator meus praecioso sanguine tuo redemptos diligere jussisti. Da pacem Domine in diebus nostris, ut quae pro peccatis nostris juste promeriti sumus, in mutua charitate viventes expiemus.

O Domine, si me et populum meum per insurgentes adversum me flagellare decrevisti, suscipe me in victimam, percute me et parce his, quos subdidisti mihi. Quod si porro illos per nos punire statuisti, fac, ut simus instrumenta misericordis justitiae tuae, non cupiditatis et vindictae.

Suggere mihi, Domine, quae placita sunt tibi, ut in quantum in me est, ea suscipiam alacriter et agam perseveranter; da spiritum ad discernendum, da cor ad exequendum, da vires ad perficiendum.

Ad sonitum classici.

Sancte Deus, sancte fortis, sancte immortalis, miserere nobis, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth, tibi laus, tibi honor, tibi gloria in saecula saeculorum, amen.

Hi clangores tubarum vocant me, et tot hominum millia ad judicium tuum, fac Domine, ut illius memoriam tam sane timentes memoremus, ne illa, quae nostra dictat obligatio, agere negligamus.

Sors et vita nostra in manu tua sunt, Domine, suscipe morientium spiritum. Respice viventium et ex voluntate tua se exponentium sacrificium, ne memineris peccatorum, quae fecimus, sed da, ut in charitate tua seu moriamur, seu vivamus.

Obtenta victoria.

Sancte Deus, Sancte fortis etc. prout in praecedenti.

Procul estote a me omnes humani applausus et adulan-

A la vue de l'ennemi.

Pardonnez, Seigneur, pardonnez votre peuple, et ne livrez pas à la déstruction votre héritage, car vous m'avez commandé d'aimer et ceux que vous m'avez donné, et ceux que je vois s'élever contre moi, les uns et les autres ayant été également rachetés de votre sang précieux; ô Christ mon Rédempteur, donnez-moi la paix dans nos jours, Seigneur, afin que vivant dans une mutuelle charité nous expiions les peines que nous avous méritées pour nos pêchés.

Ô Seigneur, si vous avez resolu de me châtier avec ce peuple par ceux qui s'élèvent contre moi, recevez-moi comme une victime, frappez-moi et pardonnez à ceux que vous m'avez assujeti; que si enfin vous avez déterminé de les punir par nous, faites que nous soyons des instruments de votre justice miséricordieuse, et non de notre passion et de notre vengeance.

Suggérez moi, Seigneur, ce qui vous est agréable, afin qu'autant qu'il est en moi je l'entreprenne avec empressement, et que je l'achève avec persévérance; donnez-moi l'esprit pour discerner, le cœur pour exécuter, et les forces pour achever.

Au bruit de la charge.

Ô Dieu saint, fort et immortel, ayez pitié de nous, saint, saint, saint le Dieu des armées; à vous louange, à vous honneur, à vous gloire dans les siècles des siècles, ainsi soit-il.

Le bruit des trompettes m'appelle et tant de milliers d'hommes à votre jugement: faites, Seigneur, que nous en conservions le souvenir par une crainte si salutaire que nous ne négligions pas de faire ce que notre devoir nous préscrit.

Notre destin et notre vie sont entre vos mains ô mon Dieu! recevez l'âme des mourants, regardez le sacrifice des vivants, et qui par votre volonté s'exposent à tant de perils: ne vous souvenez pas des pêchés que nous avons commis, mais donnez-nous que, soit que nous vivions ou que nous mourions, que ce soit dans votre charité.

Après la victoire gagnée.

Ô Dieu saint etc. comme dans le précédent.

Loin de moi, applaudissements mondains, cris de joie des

tium jubila, quod potest enim esse gaudii mei argumentum, an, quod tot proximi, quot homines (quos diligere debui) occisi sunt? tot animarum millia perierunt : tot oves ex grege meo perdidi? Non, non Domine, absit mihi de his gaudere, sed de eo, quod SS. voluntas tua adimpleta est, et quod populum meum ab his temporalibus inimicis liberaveris, fac igitur Domine, ut ita utamur tuis gratiis, ne novis mereamur subjici poenis.

Liberasti me Domine a persequentibus me, virgas, quibus me percussisti, dilacerasti, fabricantes super dorsum meum dejecisti, da gloriam nomini tuo, quam ego sine te praestare nequeo, et ut quam dedisti sit integra victoria, fac, ut compleatur tua in me gloria.

Temporaliter proderit mihi victoria temporalis, si mihi defuerit victoria spiritualis; liberasti me Deus ab inimicis externis, sed donec vixero semper impugnabor ab internis: ut ergo prosint temporalia, fac ne amittam aeterna, nihil enim mihi externos imicos vicisse proderit, si internis succumbere contigerit.

Ad aspectum cadaverum.

O ferale spectaculum, quo mundanum confunditur gaudium, quam triste est in conspectu tuo omne tripudium! quomodo potest esse laetitia, ubi tanta conspicitur miseria.

Gauderem Domine, si horum cadaverum animas tecum unitas esse scirem, sed dum humanae conditionis recordor, horreo, et de victoria, quam dedisti gemo, maluissem enim illa caruisse, quam unicae animae perditionem causasse.

Fiat, Domine, misericordia tua super hos mortuos, cujus nos viventes participes fecisti, et da gratiam tuam, ut praestitis beneficiis tuis illi te laudent in coelis, et in unione spiritus, nos te collaudemus in terris.

flatteurs : car qu'est ce qui peut m'être un sujet de joie ? est ce que d'autant d'hommes qui ont été tués chacun était ce prochain (que j'ai dû aimer ?) ou que tant de milliers d'âmes ont péri, et que j'ai perdu tant de brebis de mon troupeau ? Non, non. Seigneur, à Dieu ne plaise que je me réjouisse de cela, mais de ce que votre sainte volonté a été accomplie et de ce que vous avez délivré mon peuple de ces ennemis temporels : faites donc. Seigneur, que nous mettions de telle sorte vos grâces à profit, que nous ne méritions pas de nouvelles peines.

Vous m'avez délivré. ô mon Dieu, de ceux qui me poursuivaient, vous avez lacéré les verges dont vous m'avez frappé. vous avez réprimé ceux qui travaillaient sur mon dos : rendez la gloire à votre nom, que je ne puis lui rendre sans vous, et pour que la victoire dont vous m'avez favorisé soit entière, faites que votre gloire soit accomplie en moi.

La victoire temporelle me sera temporellement utile, si la victoire spirituelle me manque : vous m'avez délivré. Seigneur, des ennemis du dehors, mais tandis que je vivrai j'aurai à faire à des ennemis intérieurs : afin donc que les biens temporels me soient utiles, faites que je ne perde pas les éternels. car il ne me servira de rien d'avoir vaincu les ennemis extérieurs si j'ai le malheur d'être vaincu par les intérieurs.

A la vue des cadavres.

Ô funeste spectacle qui confond la joie mondaine ! que toute réjouissance est triste devant vous ! comment peut-il y avoir de la joie où l'on voit tant de misère ?

Je me rejouirais, Seigneur, si je savais que les âmes de ces cadavres sont unies avec vous, mais lorsque je me ressouviens de la condition humaine, j'ai horreur et je gémis même de la victoire que vous m'avez donnée, car j'aimerais mieux ne l'avoir pas gagnée, que d'avoir causé la perdition d'une seule âme.

Que votre miséricorde, Seigneur, dont vous nous avez fait participans dans la vie, s'étende aussi sur ces morts, et donnez votre grâce afin qu'ils vous louent dans le ciel des bienfaits que nous avons reçus de vous, et que dans l'union d'esprit nous vous glorifions sur la terre.

Proelio perdito, in fuga.

Justus es Domine et judicia tua aequitas, da, ut prout bona e manibus tuis recepi, et mala suscipiam, nec enim haec, quae mecum fecisti mala esse credam, dum dederis patentiam.

Fecisti me petere, ut tua SS. voluntas adimpleatur in me, da posse tolerare, quam in me voluisti adimplere, ne tuum beneplacitum sit mihi tristitiae argumentum.

Obtuli me tibi, Domine, pro salute populi mei, en tibi hoc sacrificium reitero, quod, si necdum tibi placuit acceptare, placeat, quaeso, tibi me pro illo conservare, fac tamen, ne desiderium meae salutis excedat unquam mensuram tuae voluntatis.

Aspirationes contemplativae ante et post sacram communionem.

Caput I.

Quidquid fecisti ab aeterno et in tempore Jesu mi, in charitate Patris, ex charitate hominis fecisti et quia tamen ipse charitas es, propterea Charitatem desideras, da proinde, quod nequeo habere nisi a te, ut reddam tibi dona tua.

Agnosco quippe nihilum, inanitatem meam et vacuum meum, quod tamen semper repleri vellet, et propterea heu quot obviis sordibus et quisquiliis mundi repletur quotidie, et tanquam ovis scabiosa circumporto scabiem meam.

Quis est aulicorum aut subditorum mihi, quem paterer in tali statu comparere coram me, vel quis vellet se hominibus monstrare in statu, in quo ego me exhibeo et repraesento tibi? ulceribus, pustulis, scabie, tabe, livoribus a planta pedis usque ad verticem capitis plenus.

Après la bataille perdue, dans la fuite.

Vous êtes juste, Seigneur, et vos jugemens sont l'équité même, faites que comme j'ai reçu les biens de vos mains, j'en reçoive aussi les maux, car je ne croirai pas que ce que vous avez fait avec moi soit un mal, lorsque vous me donnerez la patience.

Vous m'avez fait demander que votre sainte volonté s'accomplisse en moi : donnez-moi de pouvoir soutenir celle que vous avez voulu accomplir en moi crainte que votre bon plaisir ne me soit un sujet de tristesse.

Je me suis offert à vous, Seigneur, pour le salut de mon peuple ; voilà que je vous réitère ce sacrifice ; que s'il ne vous a pas encore plu de l'accepter, qu'il vous plaise je vous prie, ô mon Dieu ! de me conserver pour lui : faites cependant que le désir de ma conservation n'excède jamais la mesure de votre sainte volonté.

Aspirations contemplatives avant et après la sainte communion.

Chapitre I.

Tout ce que vous avez fait dans le temps et dans l'éternité, ô mon Jésus, vous l'avez fait dans la charité du Père, par la charité de l'homme, et parceque vous êtes la charité même vous désirez aussi la charité ; donnez-moi donc, Seigneur, ce que je ne peux avoir que de vous, afin que je vous rende vos propres dons.

Car je reconnais mon néant, et le vide immense qui est en moi; qui cependant toujours cherche à se remplir, et c'est pour cela hélas ! qu'il ramasse tous les jours les ordures mondaines qui se présentent, et que comme une brebis galeuse je porte toujours avec moi ma corruption.

Qui est-ce de mes courtisans ou de mes sujets, que je souffrirais qui parut devant moi dans un tel état ? ou qui est-ce qui voudrait se montrer aux hommes dans l'état dans lequel je me montre et me présente à vous ? couvert depuis la tête jusqu'aux pieds d'ulcères, de gale, de tâches et d'immondices.

Toties me sanas et mundas, toties venis ad me invisendum, consolaris, reficis me, sanas vulnera mea, et ego promitto tibi velle me mundam tenere habitationem tuam, et stola candida ornatus, recipere te in domum cordis mei.

Sed vix te recipio, o salus animae meae, jam intellectus divagatur per inania, repraesentat terrestria, quaerit denique mendacium et vanitatem, quia diligit eam.

O intellectus, potentia animae meae tam nobilis, tam sublimis, et tam excelsa, tu es Deitatis imago in homine, sed quia foedata es per peccatum, tu vel maxime rebellis es voluntati! tu divagaris, nec unquam quiescis, nec nisi circa objecta corporea, et phantasmata versaris, nec te contineri permittis.

Quoties, et ecce actu, dum haec recogito, vellet te coercere voluntas, retinendo in contemplatione mysterii, ad cujus participationem me praeparo, sed tu non obtemperas mihi.

Memoria quoque est potentia constitutiva animam, sed haec quodammodo obedientior est, rei enim, cuius volo, facile recordatur; contrariatur tamen mihi in eo, quod facilius recordetur inanium, ociosorum et terrestrium, quam illorum, quae te respiciunt O Domine! quoties propono mihi indesinenter aspirare velle ad te, sed aspirationum et tui, heu quam raro recordor per diem!

Solam voluntatem reperio igitur in me, quae impressione gratiae tuae conservata, vellet esse semper tecum, talis, qualem me esse jubes.

O Deus, creator meus, quam excellens creatura fuit primus ille homo, cujus voluntati subditae fuerunt reliquae potentiae! sed hoc ipsum imperium, haec sublimitas status sui forsitan fuit occasio superbiae, et perditionis ejus.

Vicissim quanta est miseria mea, quod ea, quae vellem

Vous me guérissez et me purifiez si souvent; vous venez si souvent me visiter, vous me consolez, vous me soulagez, vous guérissez mes plaies, et je vous promets de vouloir conserver votre demeure dans la pureté et la netteté, et de vous recevoir dans l'habitation de mon cœur, revêtu de la robe de candeur et d'innocence.

Mais à peine vous ai-je reçu ô salut de mon âme, que mon esprit s'égare dans des frivoles pensées, se représente les choses de la terre et recherche enfin le mensonge et la vanité parcequ'il l'aime.

Ô entendement, puissance de mon âme. si noble, si sublime et si élevée. vous êtes l'image de la divinité dans l'homme, mais parceque vous avez été souillée par le péché, vous êtes devenue très-rebelle à la volonté. Vous vous égarez sans avoir jamais de repos, vous ne vous portez qu'à des objets et des fantômes corporels, sans vouloir jamais vous laisser contenir ni fixer.

Combien de fois, et même à présent que je repasse tout cela, ma volonté voudrait vous arrêter et vous retenir dans la contemplation du mystère à la participation duquel je me prépare, mais indocile à mes efforts, vous refusez de m'obéir.

La mémoire est aussi une des puissances constitutives de l'âme, mais elle est en quelque façon plus obeissante. Car elle se souvient facilement de ce que je veux; elle me contrarie cependant en ce qu'elle se rappelle plus aisément des choses vaines, oiseuses et terrestres. que celles qui vous regardent ô Seigneur! Combien de fois me proposai-je de vouloir aspirer à vous sans cesse; mais hélas, combien rarement par jour je me souviens de vous et des aspirations!

Je ne trouve donc en moi que la seule volonté qui conservant les favorables impressions de votre grâce. voudrait toujours être avec vous, tel que vous voulez que je sois.

Ô Dieu mon créateur! que ce premier homme sorti de vos mains fut une excellente créature à la volonté duquel toutes ses autres puissances furent soumises. Mais ce même empire, cette sublimité de son état fut peut-être l'occasion de son orgueil et de sa perte.

Au contraire quelle est ma misère de ne pouvoir achever

perficere nequeam, et quae nollem saepe agam, sed haec cognitio miseriae meae producit humilitatem et agnitionem me nihil posse sine te Deus, quae erit occasio salutis meae, si illa bene usus fuero.

Sic punivisti Deus hominem superbum, dominum passionum suarum, sic exaltas hominem depressum, peccatorem, cupiditatis carnisque suae mancipium effectum ex natura sua, s humilis fuerit.

Sic primus homo ex bono fecit se malum, sapientia porro tua ex malo eduxit bonum.

Haec sunt mirabilia tua, quae operaris in me Domine, unde ego sum subjectum, in quo semper demonstras omnipotentiam, sapientiam, justitiam, misericordiam, charitatem et gloriam tuam, et propterea gratulabor me esse talem, qualis sum, quia me sic esse voluisti.

Durum est mihi nimis esse in statu oppositionis tibi et contrarium mihimetipsi, durum est et grave rebelles habere potentias animae, intellectum et memoriam; displicet non posse semper cogitare de te, aut sensibili amore prosequi te, sed quia haec ipsa oppositio facit me objectum justitiae, et misericordiae tuae, sim talis, prout voluisti, ut sit gloria tua ex me.

Tu enim Domine totus agis in me, et qui miser sum, ideo exerces charitatem erga me; quia peccator sum, ideo parcendo manifestas misericordiam tuam, quodsi enim boni principium esset in me, ego ipse salvarem me, et fors non indigerem misericordia tua, et sic non totus ageres in me.

Sed absit hoc velle a voluntate miserae creaturae, sic enim vellem similis esse tibi, qui solus es principium omnis justitiae, et omnis boni.

Ex his ego convincor et consolor, quod non reputes mihi in peccatum ea, quae nolens facio, sed illa, quae bona esse agnoscens aut nolo, aut quae facere possum, volens omitto; a

ce que je voudrais et de faire souvent ce que je ne voudrais pas. Mais cette vue de ma misère produit en moi l'humilité, et une connaissance que je ne peux rien sans vous, ô mon Dieu, qui me sera une occasion de salut si je la mets à profit.

C'est ainsi, Seigneur, que vous avez puni l'homme superbe, le maître de ses passions; c'est ainsi que vous élevez l'homme humilié, pécheur qui était devenu par sa nature l'esclave de ses passions et de sa chair, s'il est humble.

C'est ainsi que le premier homme, de bon devint méchant, mais votre sagesse toute puissante a su tirer le bien du mal même.

Ce sont là les merveilles que vous opérez en moi, Seigneur, et par là je suis un sujet dans lequel vous faites toujours éclater votre toute-puissance, votre sagesse, votre justice, votre miséricorde, votre charité et votre gloire, et c'est pour cela que je me réjouirai d'être tel que je suis, parceque telle a été votre volonté.

Il m'est fort dur d'être dans un état d'opposition avec vous, et d'être contraire à moi-même, il m'est dur et onéreux de voir rebelles les puissances de mon âme, l'entendement et la mémoire; je suis faché de ne pouvoir pas toujours penser à vous, ou de n'avoir pas pour vous un amour sensible : mais puisque cette même opposition me rend l'objet de votre justice et de votre miséricorde, que je sois tel que vous avez voulu à la bonne heure, pour que vous puissiez tirer de moi quelque gloire.

Car Seigneur, vous agissez tout entier en moi et parceque je suis misérable, vous exercez votre charité envers moi; parceque je suis pécheur, vous faites paraître votre miséricorde en me pardonnant; car si le principe du bien était en moi, je me sauverais moi-même et peut-être je n'aurais pas besoin de votre miséricorde et ainsi vous n'agiriez pas tout entier en moi.

Mais à Dieu ne plaise qu'une misérable créature conçoive un pareil désir, car ainsi je voudrais être semblable à vous qui seul êtes le principe de toute justice et de tout bien.

Par tout cela je suis convaincu et consolé que vous ne m'imputez pas au péché ce que je fais malgré moi, mais ce que je ne veux pas faire connaissant cependant qu'il est bon, ou

malo enim cognito et volito abstiuet charitas, quam dare dignatus es mihi.

Voluntas igitur hominis est sedes charitatis tuae, in hac resides tu Deus, qui charitas es, et haec est mansio tua et thronus regni tui, hinc charitas tua in me est mensura boni, quod est in me, per hanc solum possum placere tibi. Haec est, quae puritatem et simplicitatem voluntatis desiderat a me, et per conservationem hujus simplicitatis, in quantum dependet a me, ego cooperor tecum per charitatem, quam dare dignaris mihi.

Illa proinde, quae, me nolente, agit intellectus et memoria, ducunt me in agnitionem paupertatis meae, et quae bona, te adjuvante, volo, dant tibi gloriam Deus, qui principium es omnis bonae voluntatis.

Propterea nec mori, nec vivere, nec immunis esse volo a miseriis conditionis meae, sed volo, quod vis, ut impleatur in me voluntas tua, et haec volens, volo amare te.

Ecce Domine Jesu mi refecisti me participatione corporis et sanguinis tui, et quia hanc escam dat charitas tua charitati tuae, quae est in nobis, operabitur in me incrementum bonae voluntatis, si illam recepi in dispositione digna, quae provenit a te.

Resigno proinde tibi hospes animae meae, qui dignatus es venire ad me, quidquid est in me, fac igitur, ut semper magis ac magis moriar mihi, ut tu vivas in me, tuus enim esse non potero, nisi cum non amplius fuero meus.

Caput II.

O Pater, qui me creasti, fili, qui me redemisti, Spiritus, qui me sanctificasti, sancta et individua Trinitas! scio te velle animam meam, propterea enim creasti et tanta fecisti pro me, et anima quoque mea desiderat te, haec vita mortalis, caro, indumentum animae meae, impedit fecilitatem meam.

ce que j'omets de propos délibéré le pouvant faire ; car Seigneur, la charité que vous avez daigné me donner, s'abstient de vouloir le mal qu'elle connaît.

La volonté de l'homme est donc le siège de votre charité, vous résidez en elle, ô mon Dieu, qui êtes la charité même, c'est là votre demeure et votre trône ; c'est par là que votre charité en moi est la mesure du bien qui est en moi, c'est par elle seule que je peux vous plaire. C'est elle qui demande de moi la pureté et la simplicité de la volonté, et par la conservation de cette simplicité autant qu'il dépend de moi, je coopère avec vous par la charité que vous daignez me donner.

Ainsi ce que mon entendement et ma mémoire font sans la participation de ma volonté, me conduit dans la connaissance de ma pauvreté, et le bien que je fais par votre grâce vous rend gloire, Seigneur, qui êtes le principe de toute bonne volonté.

C'est pour cela que je ne veux ni vivre ni mourir ni être exempt des misères de ma condition, mais je veux ce que vous voulez, afin que votre volonté soit accomplie en moi, et voulant cela je veux vous aimer.

Voilà, ô mon Jésus, que vous m'avez fortifié par la participation de votre corps et de votre sang, et parceque c'est votre charité qui donne cette céleste nourriture à votre charité qui est en nous, elle opérera en moi un accroissement de bonne volonté, si je l'ai reçue dans la digne disposition qui vient de vous.

Je remets donc entre vos mains tout ce qui est en moi, ô divin hôte de mon âme qui n'avez pas dédaigné de venir chez moi ; faites donc que je meurs de plus en plus à moi-même, afin que vous viviez en moi, car je ne peux être à vous que quand je ne serai plus à moi.

Chapître II.

Ô Père éternel qui m'avez créé, ô fils qui m'avez racheté, ô esprit saint qui m'avez sanctifié, sainte et indivisible Trinité! Je sais que vous demandez mon âme, car c'est pour cela que vous m'avez créé et que vous avez tant fait pour moi ; et mon âme aussi vous désire, mais cette vie mortelle, cette chair qui est le vêtement de mon âme, empêche ma felicité.

Quam saepe conqueror tibi contra hanc massam terrae, ex qua finxisti me; sed ad hoc sum in terra hac miseriarum, et lacrymarum valle, ut gemam, ut lugeam, et ut clamem ad te.

Sentio nuditatem, sentio paupertatem meam, et ideo tanquam mendicus pulso ad ostia tua, et elevo vocem meam ad te: Jesu fili David, miserere mei! fili David, miserere mei!

Prout mendicus accepta eleemosyna iterum redit, et denuo petit, quia indigens est, ita et ego facio tecum Domine; ecce me denuo praeparare desidero, ut me praesentem ad altare tuum particeps esse volens infiniti thesauri, quem tu Deus misericordiarum et pater pauperum exponis egentibus et mendicis tuis.

Tu Domine toties reddis participem hujus thesauri tui, sed ego semper egens permanebo usque dum perveniam ad possessionem et fruitionem ejus plenariam.

Odio habent importunitatem homines, et maxime Principes terrae, quia ipsimet egentes sunt, nec petentes repleri possunt, sed tu, qui Dominus es infinitorum thesaurorum, vis, ut petam a te, et haec est proprietas quoque donorum tuorum, ut nunquam satient, sed quo plus quis participat, plus desiderat illa.

Quid proferam aut quid conquerar tibi de paupertate mea, cum hic sit status, in quem posuisti me, nec vis ut diter in hoc mundo, et propterea audacius me praesento, quia paupertas est proprietas conditionis meae.

Sed o Domine! qui mihi toties tantum thesaurum largiri dignaris, si quaesieris a me, quomodo sum usus illo, quem dedisti, quid respondebo tibi? ecce enim talis sum qualis fui, tuum est scire, quid boni est in me, qui illud dedisti mihi.

Dum ego me examino, Domine, nihil nisi indignum tantis gratiis tuis reperio in me, condemnabilis videtur mihi effroenis audacia mea, quod me coram altari tuo praesentare audeam coopertus floccis mendicitatis meae, tu enim me stola candida

Combien de fois me plains-je à vous contre cette masse de terre, dont vous m'avez formé ; mais c'est pour cela que je suis dans cette terre de misère et dans cette vallée de larmes, afin que je gémisse, que je pleure et que je crie à vous.

Je sens ma nudité, je sens ma pauvreté et c'est pourquoi comme un mendiant je frappe à la porte et j'élève ma voix vers vous. Ô Jésus fils de David ayez pitié de moi, fils de David ayez pitié de moi.

Comme un mendiant qui a reçu l'aumône revient encore et demande derechef parcequ'il est pauvre, je fais de même avec vous, Seigneur; je désire me préparer de nouveau à me présenter à votre autel, voulant participer à ce trésor infini que vous exposez aux pauvres et aux mendiants ô Dieu de miséricorde et père des pauvres.

Vous me rendez, Seigneur, si souvent participant de ce trésor, mais je resterai toujours indigent jusqu'à ce que je parvienne à l'entière possession et jouissance de vous-même.

Les hommes haissent l'importunité, et surtout les princes de la terre, parcequ'ils sont eux-mêmes pauvres et qu'ils ne peuvent rassassier ceux qui demandent, mais vous qui êtes le maître de trésors infinis, vous voulez que je vous demande, et c'est là même une propriété de vos dons, de ne jamais rassassier, plus on les possède, plus on les désire.

Que dirai-je ou quelles plaintes vous porterai-je de ma pauvreté puisque c'est là l'état où vous m'avez mis, vous ne voulez pas que je m'enrichisse en ce monde, et par là même je me présente plus hardiment à vous parceque la pauvreté est une propriété de ma condition.

Mais vous, Seigneur, qui avez si souvent daigné me faire part d'un si grand trésor, si vous me demandez comment j'ai usé de celui que vous m'avez donné, que pourrai-je vous répondre? car voilà que je suis le même que j'ai été; c'est à vous, Seigneur, de savoir ce qu'il y a de bien en moi, puisque c'est de vous que je le tiens.

Quand je m'examine ô mon Dieu, je ne trouve rien en moi que d'indigne de tant de grâces. Mon audace effrenée me paraît condamnable de me présenter devant votre autel couvert des haillons de ma pauvreté, car vous daignez me revêtir

exornare dignaris, quam ego semper laceram refero ad conspectum tuum, sed prout jam dixi, haec est sors mendicitatis meae, quod si enim talis non essem, mendicus non essem.

Amabo ergo paupertatem meam propter te, amabo nuditatem meam, ut saepe vestias me. Sed absit a voluntate mea, ideo malum esse, quia tu bonus es, sed tu vides Domine, quod ideo sim malus, quia bonus esse nequeo sine te.

Quanta sunt haec incitamenta gemituum, clamorum et desideriorum uniri tecum, sed quis sum ego, ut audeam conqueri de statu meo aut de crucibus et afflictionibus meis, cum sim posteritas illius, qui peccatum et hos fructus ejus amaros valde fecit intrare in mundum: an ego limitabo tibi tempus ut uniar tecum? procul sit hoc, Domine, a voluntate mea, cum ipsimet voluntati meae renunciaverim.

Uniar ego tecum o vita mea! dum tibi placuerit, castiga, afflige, percute, ure, seca super me, donec libuerit tibi: fac solummodo, ut ego semper, et omnia agam propter voluntatem tuam, et modo placito tibi.

Tu solus es Dominus dignus, ut serviam tibi, qui me malum, indignum, pauperem, abjectum, et inutilem non tantum non deseris, sed et infinita bona largiris mihi, et trahere dignaris me ad te.

Mundi, carnis, diaboli fueram mancipium et inimicus tuus, fingebam mihi Deos alienos in cupiditatibus meis, jam hoc, jam aliud objectum proprii amoris adorans, et ex tot ac tantis captivitatibus liberasti me, et loco catenarum captivitatis meae, imposuisti mihi suave jugum tuum, o Jesu mi, quod consistit ex amore, portatur in amore, et propter amorem.

Quid petam igitur accedens ad altare tuum o amor, nisi amorem, ut possim esse tecum victima amoris.

Cum vivere et mori paratus fuero, non amplius de hujus vitae miseriis conquerar, sed gloriabor in infirmitatibus meis.

Ecce Domine introibo ad altare tuum, respice bonitatem

d'une robe blanche que je vous rapporte toujours déchirée, mais comme j'ai déjà dit c'est là le malheureux sort de ma pauvreté, car si je n'étais pas tel, je ne serais pas mendiant.

J'aimerai donc ma pauvreté à cause de vous, j'aimerai ma nudité afin que vous me revêtiez. Loin de moi la pensée d'être mauvais parceque vous êtes bon, mais vous voyez, Seigneur, que je ne suis mauvais que parceque je ne peux être bon sans vous.

Que ce sont là de grands motifs de gémissement, de cris, et de désirs d'être uni à vous ; mais qui suis-je pour oser me plaindre de mon état, ou de mes croix et de mes afflictions, puisque je suis de la postérité de celui qui a fait entrer le péché dans le monde et ses fruits si amers : est-ce que je vous limiterai un temps pour m'unir avec vous ! éloignez de ma volonté cette pensée, puisque j'ai renoncé à cette même volonté.

Que je sois donc uni avec vous ô ma vie ! lorsqu'il vous plaira châtiez, affligez-moi, frappez-moi, brûlez, coupez sur moi tant qu'il vous plaira : faites seulement que toujours je fasse à tout à cause de votre volonté et de la manière qui vous sera agréable.

Vous êtes seul digne, Seigneur, que je vous serve, puisque tout mauvais, indigne, pauvre, abjet et inutile que je suis, nonseulement vous ne m'abandonnez pas, mais vous me faites par de biens infinis, et vous daignez m'attirer à vous.

J'avais été l'esclave du monde, de la chair et du diable, et votre ennemi, je me faisais des Dieux étrangers dans mes passions, adorant tantôt un objet de mon amour-propre, et tantôt un autre, et vous m'avez délivré de tant et de si forts liens, et au lieu des chaînes de ma captivité vous m'avez imposé votre joug aimable, ô mon Jésus, qui consiste dans l'amour, que l'on porte dans l'amour et pour l'amour.

Que demanderai-je donc autre chose que l'amour en approchant de votre autel ô amour, afin que je puisse être avec vous victime de l'amour.

Lorsque je serai prêt à vivre et à mourir je ne me plaindrai plus des misères de cette vie, mais je me glorifiérai dans mes infirmités.

Voilà, Seigneur, que je m'approcherai de votre autel, re-

tuam, et miseriam meam, da, quod te dignum est, indigno, qui nihil vult, nisi quod tu vis.

Dulcedo cordis mei Jesu mi, vere dulcedo tua est super mel et favum diligentibus te, suscepi corpus et sanguinem tuum, fac me ambulare in fortitudine cibi hujus.

O misericordia aeterna! quid non teneor facere pro te, cum tanta dignaris facere pro me? silete labia mundana, quae, quid debeatis vi praecepti, et quonam teneamini, continue inquiritis, et cum Deo tam bono et tam liberali de debito contestamini.

Quid habes o pulvis, terra, quod a Deo non habes, et pro quo illi non debes; o Domine reduc ad te hos frigidos amatores tui, et plus quam ardentes sectatores mundi.

Reddant tibi gloriam et honorem creaturae tuae, Deus, quas siquidem pro homine et hominem pro te creasti, extende misericordiam tuam super omnes, qui suavitatem jugi tui, et levitatem oneris tui non noscunt: ut, si possibile est, magis ac magis augeatur numerus electorum tuorum, et te in aeternum laudantium.

Ego autem indignissima creaturarum tuarum ecce denuo me praesento tibi, laudet te, pater, filius tuus in visceribus meis existens, cujus ego dignum et perpetuum habitaculum esse vellem, sed sine te Deus nequeo: Adjuva me, o hospes animae meae, cum nihil velim, nisi quod tu vis.

Si millia millium linguarum haberem, decies centies millenis amplius vellem te laudare, et gratias agere tibi pro misericordia, quam fecisti pauperi tuo, qui tamen ecce non desinit adhuc clamare ad te, cum nec momento possit subsistere sine donis tuis.

Si nihil volo, quid petam? hinc nec volo, nec peto, sed vult in me spiritus tuus amare te Deus, et petit pro me posse exequi, quod jubes.

gardez votre bonté et ma misère, donnez ce qui est digne de vous à un indigne qui ne veut que ce que vous voulez.

Ô Jésus, douceur de mon cœur que véritablement votre douceur est au-dessus de celle du miel pour ceux qui vous aiment, j'ai reçu votre corps et votre sang, faites moi marcher dans la force de cette nourriture divine.

Ô miséricorde éternelle! que ne suis-je pas obligé de faire pour vous, puisque vous daignez tant faire pour moi? taisez-vous bouches mondaines qui recherchez continuellement ce à quoi vous êtes obligées par la force du précepte et à quoi non, et qui disputez de vos devoirs avec un Dieu si bon et si libéral.

Qu'avez-vous ô poussière de la terre que vous n'ayez pas reçu de Dieu et dont vous ne lui soyez redevable. Ô Seigneur rappelez à vous ces froids amateurs de vous-même qui sont si ardemment attachés au monde.

Que vos créatures vous rendent gloire et honneur ô mon Dieu, et puisque vous les avez créées pour l'homme et l'homme pour vous, étendez votre miséricorde sur tous ceux qui ne connaissent pas la suavité de votre joug et la légèreté de votre fardeau, afin que s'il est possible, le nombre de vos élus et de ceux qui vous louent éternellement, soit augmenté de plus en plus.

Pour moi, la plus indigne de vos créatures je me présente derechef à vous ô Père céleste, soyez loué par ce fils adorable que je porte au-dedans de moi-même, dont je voudrais être la digne et perpétuelle demeure, mais je ne le peux sans vous ô mon Dieu, aidez moi divin hôte de mon âme puisque je ne veux que ce que vous voulez.

Si j'avais mille et mille langues je voudrais encore vous louer par un million de langues et vous rendre grâce de la miséricorde que vous m'avez faite à moi votre pauvre, qui cependant ne cesse de crier à vous puisqu'il ne peut un seul moment subsister sans vos dons.

Si je ne veux rien, que demanderai-je? c'est pour cela que je ne veux et ne demande rien, mais votre esprit qui est en moi veut vous aimer, Seigneur, et vous demande pour moi de pouvoir faire ce que vous commandez.

Deus, qui mihi propinguior es memet ipso, remove, si placitum est tibi, illa, quae me in tantum elongant a te.

Jubes Domine Jesu, ut mihi moriar, et hoc est, quod, te volente, peto, occide proinde tu me mihi, ut, me moriente, tu vivas in me.

O Domine, etiamsi aliquid boni possem, sine tua gratia nollem, ne aliquid sit in me, quod bonum a te non est.

Ecce Domine, tu vides, quomodo vellem esse solus tecum, sed tu vis, vocatione mea exigente, ut sim etiam cum hominibus: adjuva me proinde, ut tecum manens interne, cum illis agam externe ea, quibus adhaerere non debeo.

Caput III.

Magnae sunt miserationes tuae Deus, et quo plus me nosco, eo magis admirandae sunt mihi, sed cum tu sis fons et origo omnium misericordiarum et pater totius clementiae, miserere mei, non quia mereor, sed quia te dignum est.

Laboro Domine in hac misera vita, sed adhuc plus sum oneratus quam laboro, ideo praesumo accedere ad altare tuum, quia invitas, Jesu mi, laborantes et oneratos, et promittis reficere eos; si placitum est igitur tibi, libera me a sarcina peccatorum et quotidianarum imperfectionum mearum.

Labor et dolor est omnis vita mea, sed utinam hic labor deserviret gloriae tuae, tunc enim illum non comitaretur dolor, sed heu! quia labor meus plerumque inanis est, ideo dolori jungitur, aut potius jungi deberet.

Labuntur dies mei, nec ideo doleo, quod aeternitati appropinguo, sed quia melior non fio; consolor tamen, quia tu vides cor meum, scis, quid velim, quid possim.

Mundus esse nequeo in conspectu tuo, qui ab immundo

Ô mon Dieu qui êtes plus près de moi que moi-même, levez s'il vous plaît tous les obstacles qui m'éloignent si fort de vous.

Vous me commandez ô mon Jésus de mourir à moi-même et c'est ce que je vous demande puisque vous les voulez, faites moi donc, Seigneur, mourir à moi-même afin que moi mort, vous seul viviez en moi.

Ô mon Dieu, quand même je pourrais quelquechose de bon sans votre grâce je ne le voudrais pas, de peur qu'il n'y eut en moi quelquechose qui ne fut pas bon par vous.

Vous voyez, Seigneur, comment je voudrais être seul avec vous, mais vous voulez mon état l'exigeant ainsi que je sois aussi avec les hommes, aidez moi donc afin que restant intérieurement avec vous, je fasse au dehors avec eux les choses à quoi je ne dois pas m'attacher.

Chapitre III.

Vos miséricordes sont grandes ô mon Dieu, et plus je me connais plus je les trouve admirables, mais comme vous êtes la source féconde et la fontaine de toute miséricorde et le père de toute clémence, ayez pitié de moi, non parceque je le mérite, mais parceque cela est digne de vous.

Je travaille, Seigneur, dans cette malheureuse vie, mais je suis encore plus chargé que je ne travaille, c'est pourquoi j'ai la hardiesse de m'approcher de votre autel, parceque, ô mon Jésus, vous y invitez ceux qui travaillent et qui sont chargés, et vous promettez de les soulager; s'il vous est donc agréable délivrez moi du fardeau de mes péchés et de mes imperfections journalières.

Toute ma vie se passe dans le travail et la douleur, mais plût à Dieu que ce travail servit à votre gloire, car alors il ne serait pas accompagné de douleur, mais hélas! parceque mon travail est la plupart du temps inutile, c'est pour cela qu'il est joint à la douleur, ou plutôt qu'il devrait y être joint.

Mes jours s'écoulent, je n'en suis pas fâché à cause que j'approche de l'éternité, mais parceque je ne deviens pas meilleur, je suis pourtant consolé parceque vous voyez mon cœur, vous savez ce que je veux et ce que je peux.

Je ne saurais être pur en votre présence, conçu comme

conceptus sum semine, propterea nec alius esse cupio, quam tu vis, ut sim, tu ordinasti mihi gradum puritatis, hunc volo, hunc peto, quia ad illum sine te pervenire nequeo.

Debilis, infirmus, insipiens, coecus sum, et propterea desidero participare de altari tuo, ut fortitudinem, sanitatem, sapientiam, lumen acquiram, et haec omnia ad agendum opus tuum, non meum convertam; da Domine, quod peto, ut faciam, quod jubes.

Tu me aliorum ductorem constituisti, tu me veluti lucernam exposuisti, tuum est dare mihi notionem viarum, per quas temporaliter curae meae commissos ducere debeo, et lumen largiri, ut in tam tenebrosis viis mundi luceam eis.

Jubes, Domine, ut lux nostra luceat coram hominibus, ut glorificent patrem nostrum, qui in coelis est, sed nisi tu lumen dederis, quomodo lucebunt tenebrae? Da ergo Jesu mi, ut tuum fiat meum, et sic evadam cohaeres tuus.

O Domine! haec peto a te, tu vides, quo affectu petere vellem, et qua tepiditate ago, noli proinde imputare mihi, quae nolo, et quae detestor, hi sunt enim fructus miserae conditionis meae.

O charitas, lux et flamma cordium! ecce quam aridus, quam segnis, quam hebes sum, te desidero, ad te accedere statui, et de mensa tua participare, quin imo temetipsum summere, nutri me et transforma in te.

O vita animae meae, Jesu mi! ecce me denuo praesentia tua vivificare dignatus es, operare in me, per me, et mecum opus, ad quod me vocasti in terris, ut ego tibi in aeternum conjungi merear in coelis.

Tecum sum Domine, quis me separabit a te? nihil profecto, quidquid sub coelo est, nisi ego ipsemet, si me momento

je suis d'une semence impure : c'est pourquoi je ne souhaite pas être autre que vous ne voulez que je sois, vous m'avez marqué un degré de pureté, c'est celui là que je veux, que je demande, parceque je ne puis y parvenir sans vous.

Je suis faible, infirme, insensé et aveugle, et par cette raison je désire de participer à votre autel, pour y puiser la force, la santé, la sagesse et la lumière, et tout cela pour que je m'en serve à faire vos oeuvres et non les miennes ; donnez moi, Seigneur, ce que je demande, afin que je fasse ce que vous commandez.

Vous m'avez établi le conducteur des autres, vous m'avez exposé comme une lampe ; c'est à vous à me donner la connaissance des voies par lesquelles je dois conduire ceux que vous avez commis temporellement à mes soins : c'est à vous à me donner la lumière afin que je les éclaire dans les voies ténébreuses de ce monde.

Vous commandez, Seigneur, que notre lumière luise devant les hommes afin qu'ils glorifient notre père qui est dans les cieux, mais si vous ne donnez la lumière, comment est-ce que les ténèbres pourront luire ? Faites donc, ô mon Jésus, que ce qui est à vous, devienne à moi, et qu'ainsi je sois votre cohéritier.

Ô mon Dieu je vous demande toutes ces choses, et vous voyez avec quelle ardeur je voudrais vous les demander, et avec quelle tiédeur j'agis, ne m'imputez donc pas ce qui est contraire à ma volonté et que je déteste, car ce sont là les funestes fruits de ma misérable condition.

Ô charité, lumière et flamme des cœurs ! que je suis paresseux et hébété, je vous désire, j'ai résolu de m'approcher de vous et de participer à votre table, ou plutôt de vous prendre vous même, nourrissez-moi et transformez-moi en vous.

Ô Jésus, vie de mon âme ! voilà que vous avez daigné derechef me vivifier par votre présence, opérez en moi, par moi et avec moi l'œuvre à laquelle vous m'avez appelé sur la terre afin que je mérite d'être uni éternellement avec vous dans le ciel.

Je suis avec vous, Seigneur, qui me séparera de vous ? certainement rien de ce qui est sous le ciel, si ce n'est moi, si

mihimetipsi tradideris; defende igitur me, o Salvator animae meae, a memetipso, quo majorem inimicum non habeo.

Omnia possum tecum, Domine, hinc lubens me ad omnia offero, dirige gressus meos, illumina mentem meam, fac, ut quae petii a te, obtinere possim.

Petii Domine, posse regere alios, et ducere ad te. Da mihi proinde spiritum consilii, ut hoc praestare valeam.

Amor tuus erga me te descendere fecit ad me: tolle amorem meum a me, ut me ascendere facias ad te.

Dum ego te amo Deus, tu es, qui te amas in me, ecce quam pauper sum et quam indignus beneficiis, quae praestare dignaris mihi.

Ita est Domine, sed sicut me non salvabis sine me, ita nec te amas in me sine me, gratulor ergo esse aliquid in me, quod, te adjuvante, tibi dare possum, et ecce dedi, et denuo do.

O homo, quam incomprehensibile opus Dei es, Deus te creavit ex limo, redemit te per filium suum, qui te alit corpore suo, ut secum regnare faciat in aeternum, et pro his omnibus beneficiis solum amorem desiderat, et hunc ipsum dat, ut recipiat.

Hinc est, ut illa, quae tu agis erga me Domine, Deo digna sunt, quae porro ego sine te facio, limum terrae, pulverem, nihilum meum praese ferunt: in hoc vase fictili tamen inclusisti imaginem tuam Deus, in hanc luteam habitationem descendere dignatur corporaliter et realiter Deus filius tuus. Est ergo in me aliquid, quod tibi placet Domine, anima nempe mea, quam captivam et corporis sensibus alligatam visitare dignatur, qui illam sanguine suo redemit. Luge ergo o anima mea, quae Deo tam pretiosa es, consolare in captivitate tua: fac, quae potes pro eo, qui omnia fecit pro te.

vous m'abandonnez un seul moment à moi-même ; défendez-moi donc de moi-même ô sauveur de mon âme, puisque je ne puis avoir un plus grand ennemi.

Je puis tout avec vous, ô mon Dieu, et je m'offre volontiers à tout, dirigez mes pas, élevez mon entendement et faites que je puisse obtenir de vous ce que je demande.

Je vous ai demandé, Seigneur, de pouvoir gouverner les autres et les conduire à vous; donnez moi donc un esprit de conseil afin que je puisse m'acquitter de ce devoir.

Votre amour envers moi vous a fait déscendre jusqu'à moi, enlevez mon amour de moi, afin que vous me fassiez monter jusqu'à vous.

Quand je vous aime ô mon Dieu, c'est vous qui vous aimez en moi, que je suis pauvre et indigne des bienfaits dont vous daignez me combler.

Cela est ainsi, Seigneur, mais comme vous ne me sauverez pas sans moi, de même vous ne vous aimez pas en moi sans moi. Je me rejouis donc qu'il y ait quelquechose en moi que je puis vous donner avec votre aide, je vous l'ai donné et derechef je vous le donne.

Ô homme que vous êtes un ouvrage incompréhensible de Dieu, s'il vous a créé du limon de la terre, vous a racheté par son fils, qui vous nourrit de son corps afin de vous faire regner éternellement avec lui, et pour tant de bienfaits il ne demande que votre amour, et c'est lui-même qui le donne pour le rependre.

De là vient que ce que vous faites à mon égard, Seigneur, est digne de Dieu, et que ce que je fais sans vous ne porte avec soi que le limon, la poussière et mon néant : c'est cependant dans ce vase d'argile que vous avez renfermé votre image ô mon Dieu, c'est dans cette demeure formée de la boue que Dieu votre fils daigne descendre corporellement et réellement. Il y a donc en moi quelquechose qui vous est agréable, Seigneur, c'est-à-dire, mon âme, que celui qui l'a rachetée de son sang daigne visiter captive et enchaînée par les sens corporels. Courage donc, ô mon âme, qui êtes précieuse à Dieu, consolez vous dans votre captivité: faites tous ce que vous pourrez pour celui qui a tout fait pour vous.

O Deus, plasmator meus, tu scis, quid sim, quid possim, solum velle inest mihi, et hoc tibi lubens dedi et tradam, cum adjuvare dignatus fueris me.

Cor meum desideras Jesu mi, sed non cor illud carneum, quod esca vermium est; est ergo cor cordis in me, quod est objectum amoris tui, recipe ergo voluntatem, per quam, quia anima agit, cor ejus est. Vivifica illud, et fac tibi mansionem in illo, ut cor animae meae per te vivificatum, vivificet cor meum carneum.

O Deus, vere prout anima mea captiva est in corpore, ita voluntas mea coarctata est per intellectum et memoriam. Vellet anima saepe bonum te adiuvante, sed corpus recalcitrat. Vult quodammodo saepe voluntas, renuit intellectus et memoria, et prout aegritudo corporis in propriis organis existit, ita aegritudo animae potentiis ejus inest, hic est morbus conditionis meae, si voluntatem non inficit, sanitas appellatur, morbus est tamen, qui semper pungit et laedit.

Ecce Domine, hoc morbo laboro, dum haec tibi profero, vellem enim semper esse tecum, et semper sentire praesentiam tuam, sed ecce crucior per intellectus et memoriae divagationes, quae ariditatem aut potius stupiditatem meam causant, quae me meditationis jam jam incapacem reddet, non me tamen a te avellet.

O celestis medicina! quam recepi, operare sanitatem animae meae tot morbis aggravatae, tota spes sanitatis et salutis meae a te, et in te est. Repara vires, auge amorem, vitam cordis animae meae.

Caput IV.

Melius me nosti memetipso Deus, quid tibi possum dicere de me, quod non vides in me, vermis sum et pulvis terrae, sed nec hoc quoque sum ex me, sed hoc, quod sum, per misericordiam tuam sum.

Ô Dieu, mon créateur, vous savez ce que je suis, ce que je puis, il n'y a en moi que le vouloir et je vous l'ai déjà donné volontiers, et je vous le livrerai quand vous daignerez m'aider pour cela.

Vous désirez mon cœur ô mon Jésus, non ce cœur charnel qui sera la pâture des vers ; il y a donc en moi un cœur du cœur, qui est l'objet de votre amour, recevez donc la volonté, par laquelle, parceque l'âme agit, c'est son cœur. Vivifiez le, faites vous y une demeure, afin que le cœur de mon âme vivifié par vous, vivifi aussi mon cœur de chair.

Ô Dieu ! véritablement comme mon âme est captive dans mon corps, de même ma volonté est genée par mon entendement et ma mémoire. Mon âme voudrait souvent le bien par votre grâce, mais le corps regimbe. En quelque manière souvent la volonté veut, l'entendement et la mémoire refusent et comme la maladie du corps est dans ses propres organes, de même la maladie de l'âme est dans ses puissances et c'est là la maladie de ma condition ; que si elle n'attaque pas la volonté, on l'appelle santé ; c'est toujours cependant une maladie parceque toujours elle pique et elle blesse.

Voilà, Seigneur, la maladie dont je suis attaqué tandis que je vous dis ceci; car je voudrais toujours être avec vous et toujours sentir votre présence, mais voilà que je suis tourmenté par les égarements de mon entendement et de ma mémoire qui sont la cause de mon aridité, ou plutôt de ma stupidité qui me rendra incapable de méditer, mais qui cependant ne m'arrachera pas de vous.

Ô céleste médecine ! que j'ai reçue après la guérison de mon âme accablée de tant de maux, toute l'espérance de ma santé et de mon salut est de vous et en vous. Retablissez mes forces, augmentez mon amour et la vie du cœur de mon âme.

Chapitre IV.

Vous me connaissez mieux ô mon Dieu que je ne me connais moi-même. que puis-je vous dire de moi que vous ne voyez en moi ; je suis un vermisseau et la poussière de la terre, et je ne suis pas même cela par moi-même. mais ce que je suis, je ne le suis que par votre miséricorde.

Fecisti me pro te, sed ego semper ago pro me, dum tu non dignaris agere pro me ea, quae vis, ut faciam pro te.

Statuo me in conspectum tuum, qui semper ambulo quidem coram te, sed heu! quam facile et quam saepe obliviscor, quod tu vides me, et propterea titubo, cespito, cado in viis, in quibus ambulo, tu tamen non deseris opus manuum tuarum.

Quoties cespito, et tu me sustines: quoties cado et tu me relevare dignaris? et inter has vicissitudines praeterlabuntur dies mei.

Quanta sunt, o dulcedo cordis mei, opera misericordiae tuae erga me, et quam magna est ingratitudo mea erga te, tu semper facis, quod te dignum est, et ego agere non cesso, quod me creatura indignum est.

Quid faciam, o Deus, et quo fugiam a facie tua, sed cur fugiam, cum me talem, qualis sum, quaerere dignaris per filium tuum, qui manus suas extendit in cruce, ut apprehendat me.

Tu pastor meus es, Jesu mi! ego ovis tua sum scabiosa nimis, et toties devians a viis gregis tui, quamvis me toties degustare facias deliciosa pascua tua.

O Domine! quam incomprehensibilis sum mihimet ipsi, agnosco enim bonitatem tuam, te velle sequi, vellem nunquam avelli a te, nihil sentio amare praeter te: nec tamen ambulo, qua volo, sed eo, quo me ducunt fragilitates meae.

Interrogo cor meum, num aliquid amet praeter te, et respondet, se nolle nisi te, examino actiones meas, et reperio, quam tepide, quam frigide ago pro te; unde concludo, quod mentior, dum dico, quod amem te, qui non cessas amare me, et ideo me sinis vivere, ut amem te.

Nec his satiatur bonitas tua erga me, tot enim ac tantas gratias largiris mihi creaturarum tuarum indignissimo, ut in recordatione illarum merito dissolvi deberet compago ossium

Vous m'avez fait pour vous, mais j'agis toujours pour moi-même lorsque vous ne daignez pas faire par moi ce que vous voulez que je fasse pour vous.

Je me mets en votre présence, moi qui y marche toujours, mais hélas, combien souvent et facilement j'oublie que vous me voyez, et c'est pour cela que je chancelle, que je bronche et que je tombe dans le chemin où je marche; vous n'abandonnez cependant pas l'ouvrage de vos mains.

Combien de fois je bronche, et vous me soutenez, combien de fois je tombe et vous daignez me relever, et c'est dans ces facheuses vicissitudes que mes jours s'écoulent.

Que les œuvres de votre miséricorde envers moi sont grandes, donneur de mon cœur, et que mon ingratitude est grande à votre égard, vous faites toujours ce qui est digne de vous, et je ne cesse de faire ce qui est indigne d'une créature.

Que ferai-je ô mon Dieu, et où fuirai-je devant votre face; mais pourquoi fuirai-je, puisque tel que je suis vous daignez me chercher par votre fils qui étend ses mains sur la croix pour me recevoir.

Vous êtes mon pasteur, ô mon Jésus! Je suis votre brebis galeuse qui s'est si souvent égarée des voies de votre troupeau, quoique vous me fassiez goûter si souvent vos délicieux pâturages.

Ô Seigneur, que je suis incompréhensible à moi-même, car je reconnais votre bonté de vouloir vous suivre, je voudrais n'être jamais éloigné de vous, je sens que je n'aime rien que vous, et cependant je ne vaîs pas où je veux, mais où me conduit ma fragilité.

J'interroge mon cœur s'il aime quelque autre chose que vous, et il me répond qu'il ne veut que vous. j'examine mes actions, et je trouve avec combien de tiédeur et de froideur j'agis pour vous, d'où je conclus que je mens quand je dis que je vous aime vous qui ne cessez de m'aimer et qui me laissez vivre pour que je vous aime.

Votre bonté ne se contente pas de cela, ô mon Dieu, vous me faites tant et de si grandes grâces à moi, la plus indigne de vos créatures, que leur souvenir devrait à juste titre dis-

meorum prae timore judiciorum tuorum, si me non consolaretur misericordia tua.

Miserere igitur mei Deus, qui plasmasti me, et cum te dignus non sum, fac, ut sim talis, qualem me esse oporteret secundum ordinationem bonitatis tuae, siquidem velle, talem esse, dignatus es dare mihi.

Projicio me proinde in abyssum misericordiae tuae et providentiae tuae, scio enim, quod non permittes cadere me, dum me totum commisero tibi, tu vides enim, quod nolens offendam te, nec sciens recedam a te, nec tamen propterea sic, prout vellem, amo te.

O fons amoris Jesu mi, ecce propterea accedo ad te, ut hauriam amorem ex te, tu, qui dedisti noscere me, da, ut in charitate unitus tibi, noscam te in me, ut sic omnia agam in te et pro te.

Sumpsi te, Jesu mi, in me, fac igitur, ut amor tuus me transformet in novam creaturam et evacuet in me omne, quod amori tuo conforme non est.

Stupete coeli et terra, stupete creaturae omnes, quae Deum in viscera hominis peccatoris descendere voluisse agnoscitis, Deus enim se in tantum humiliare volens, est potentum humilitatio, sed quod potest esse dignius objectum amoris.

Quanto labore per tantas humilitationes quaesivisti me Jesu mi, venisti in me, quid amplius oberit, quin possideas me? Nullus est profecto, qui me avellere poterit a te, nisi egomet ipse, si recessero a te.

Non fui dignus, Domine, te recipere, sed adhuc longe indignior possidere te, sed nec ideo dedisti sumendum te, quia misericordem et bonum esse te decet, et quia Deus es, decet te esse infinite talem, et hinc possum desiderare, retinere et possidere te.

soudre la liaison de mes os par la crainte de vos jugements, si je n'étais consolé par votre miséricorde.

Ayez donc pitié de moi Seigneur, qui m'avez formé, et puisque je ne suis pas digne de vous, faites que je sois tel, qu'il faudrait que je fus selon l'ordre de votre bonté, puisque vous avez daigné de me donner la volonté d'être tel.

Je me jette donc avec confiance dans l'abîme de votre miséricorde et de votre providence, car je sais que vous ne permettrez pas que je tombe quand je m'abandonnerai tout entier à vous, vous voyez que je vous offense sans le vouloir, que je m'éloigne de vous sans le savoir, mais pour cela je ne vous aime pas comme je voudrais.

Ô mon Jésus, intarissable fontaine d'amour, voilà que je m'approche de vous pour puiser l'amour en vous, vous qui m'avez fait la grâce de me connaître, faites moi celle qu'uni avec vous dans la charité, je vous connaisse en moi afin que je fasse tout en vous et pour vous.

Je vous ai reçu en moi, ô mon Jésus, faites donc que votre amour me transforme en une nouvelle créature, et anéantisse en moi tout ce qui n'est pas conforme à votre amour.

Soyez dans l'étonnement, ô ciel, ô terre; soyez dans l'étonnement, ô vous toutes créatures qui reconnaissez, qu'un Dieu a voulu descendre dans les entrailles de l'homme pécheur; car Dieu voulant s'humilier jusqu'à ce point, est un prodige d'humilité, mais qui peut être un plus digne objet de notre amour.

Vous m'avez cherché, ô mon Jésus, par tant de travaux, par tant d'humiliations, vous êtes venu en moi: qu'est-ce donc qui empêchera que vous ne me possediez dorénavant? Il n'y a certainement rien qui puisse m'arracher de vous que moi-même, si je m'éloigne de vous.

Je n'ai pas été digne, Seigneur, de vous recevoir, je ne suis pas digne de vous retenir, moins digne encore de vous posséder, mais aussi vous ne vous êtes pas donné à moi parceque j'en ai été digne, mais parcequ'il vous convient, ô mon Dieu, d'être bon et miséricordieux, et parceque vous êtes Dieu, il vous convient d'être tel dans un degré infini, et c'est pour cela que je puis désirer de vous retenir, et de vous posséder.

Diligam te proinde, dulcis hospes animae meae, sed fac, ut te plus opere, quam verbis diligam. Nuda verba enim nonnisi aërem movebunt, quodsi neglexero facere, quod praecipis.

O Jesu mi, respice in me, super me judica ac discerne causam meam inter me, te semper amare volentem, et a te volenter tam saepe recedentem, jam jam enim sentio me defectui proximum, et inclinari animum ad exeundum extra se, et tamen ego vellem persistere in meditatione magnalium tuorum, ut ex illis quo plus agnosco, eo plus diligam te.

Ignoro proinde, quid ultro petam a te, cum necdum voluisti adesse tempus finalis mutationis meae, tu, qui venisti in me ex misericordia, scis, me melius, quid desit mihi, et quid prosit mihi, denique tibi soli notum est, quid decreveris de me.

Age proinde in me, mecum et per me voluntatem patris, ex qua fecisti omnia, et fac, ut in hoc velle semper unitus permaneam tibi, volem autem indesinenter, cum te dilexero, et te diligam, cum hoc semper praestare voluero.

Millies me taederet vitae meae, si tua voluntas non esset, ut vivam, sed cum vivere propter hanc non taedet, cur talem esse, qualis sum, taedebit? Tolerabo ergo me propter te, tu justificeris in sermonibus tuis.

Onus sum proinde mihimet ipsi, sed hoc onus necdum sentio in tantum, prout sentire vellem, non, ut hoc onere caream, sed, ut sub onere plus humilier.

Ecce Domine onus meum contrapondium illius charitatis tuae, trahit me ad extra, evocat me a meditationibus meis. Jesu mi, miserere mei, et defende me ab omnibus per quae possem recedere a te, ut manens in te, perveniam ad te.

Je vous aimerai donc, aimable hôte de mon âme, mais faites que je vous aime plus par œuvres que par paroles. Les paroles seules ne feront, que frapper en l'air, si je néglige de faire ce que vous me commandez.

Ô mon Jésus, regardez en moi, jugez et discernez ma cause entre moi qui veut toujours vous aimer, et qui m'éloigne si souvent de vous sans le vouloir, car voilà que je me sens déjà prêt à défaillir et que mon esprit penche à sortir hors de lui-même, et je voudrais cependant persister dans la méditation de vos merveilles, afin que plus je les connaîtrai plus je vous aime.

J'ignore ce que je dois vous demander davantage, puisque vous ne voulez pas que le temps soit encore arrivé de mon entier changement, vous qui êtes venu en moi par votre miséricorde, vous savez mieux que moi ce qui me manque et ce qui peut m'être utile, enfin vous seul connaissez ce que vous avez resolu sur moi.

Faites donc en moi, avec moi, et par moi la volonté de votre père céleste, par laquelle vous avez fait toutes choses, accordez moi la grâce, que je reste toujours uni avec vous dans cette volonté, je le voudrai sans cesse quand je vous aimerai, et je vous aimerai quand je voudrai toujours le faire.

Je m'ennuyerais mille fois de ma vie, si votre volonté n'était pas que je vive, mais puisque à cause d'elle je ne m'ennuie pas de vivre, pourquoi m'ennuierais-je d'être tel que je suis? Je me souffrirai donc moi-même pour l'amour de vous, afin que je sois confondu, et que vous soyez trouvé juste dans vos paroles.

Je me suis donc un fardeau à moi-même, mais je ne le sens pas autant que je voudrais le sentir, non pour en être dechargé, mais pour en être plus humilié sous son poids.

Voilà, Seigneur, que mon fardeau le contrepoids de votre charité m'entraîne au dehors, et me détourne de mes méditations. Ô mon Jésus, ayez pitié de moi, et défendez moi de tout ce qui peut m'éloigner de vous, afin que restant en vous, je parvienne à vous.

Caput V.

O sacro sancta nox, in qua tu Christe Redemptor, devicta morte, contrito capite serpentis victor resurgis, non nox, sed dies es, qui humano generi lumen oriri fecisti.

Pelle, o Salvator meus, tenebras cordis mei, et illumina illud, ut ad esum agni paschalis me praeparare valeam.

In hunc finem, et ad recolenda sanctae crucis mysteria me hoc quadragesimali jejunio praeparare volueram, sed ecce defeci in fine, a quo me languore corporis et tanta siccitate et ariditate cordis visitare dignatus es, ipsi enim dolores, quos inmisisti mihi, occasio fuisset recolere memoriam dolorum tuorum, o Jesu mi, si illis recte usus fuissem.

Quid tibi dicam, Jesu mi, de defectibus, de peccatis, et fragilitatibus meis, quae ita adhaerent mihi, ut illis carere nequeam, quorum oblivisci nec possum, nec debeo, quia amo te.

His carere velle, ad quae toleranda juste condemnasti me, non esset velle sequi voluntatem, et ordinationem tuam, de his tamen non gemere, quae me elongant a te, non convenit cordi, quod te diligit.

Solatio esset mihi, quod sordes, quibus coinquinatus sum, non me separent ab amore tuo, sed heu! quomodo placere possum tibi in statu ita conspurcato, in quo me semper reperio.

Justum objectum odii sum mihimetipsi, et doloris ac gemitus argumentum, sed dum me considero, quis sum, et quid mereor: bonitatem, misericordiam et longanimitatem tuam agnosco.

Reparasti naturam humanam, Christe resurgens, sed quia haec reparatio cupiditatem meam non abstulit, adhuc fomes peccati, lex carnis residet in me, et sum talis, qualis esse nollem, si tua non esset ordinatio, ut talis sim.

Chapitre V.

Ô sacrée nuit dans laquelle ô Christ, mon redempteur ayant vaincu la mort et écrasé la tête du serpent, vous resuscitez victorieux et triomphant, vous n'êtes pas une nuit, mais un jour bien lumineux, puisque vous avez donné la lumière au genre humain.

Chassez, ô mon Sauveur, les ténèbres de mon cœur, et éclairez-le, afin que je puisse me préparer à manger l'agneau paschal.

C'est pour ce dessein et pour me rappeler et honorer les misères de votre sainte croix que j'avais voulu me préparer par ce jeûn du carême; mais voilà que j'ai défailli à la fin dans laquelle vous avez daigné me visiter par la langueur du corps, et une si grande sécheresse et aridité du cœur; car les douleurs que vous m'avez envoyés auraient été une occasion favorable pour rappeler la mémoire des vôtres, ô mon Jésus, si j'avais bien su en user.

Que vous dirai-je, ô mon Sauveur, de mes défauts, de mes péchés et de mes fragilités qui sont si attachées à moi que je ne puis en être délivré et je ne peux ni ne dois les oublier parceque je vous aime.

Vouloir être délivré de ce que vous m'avez justement condamné de souffrir, ce ne serait pas vouloir suivre votre volonté et votre ordre. Il ne convient cependant pas à un cœur qui vous aime de ne pas gémir de ce qui l'éloigne de vous.

Ce me serait une consolation que les ordures dont je suis souillé ne me séparassent pas de votre amour, mais hélas comment peux-je vous plaire dans un état aussi impur que celui où je me trouve.

Je suis à moi-même un juste objet de haine, et un sujet de douleur et de gémissement, mais lorsque je considère, qui je suis et ce que je mérite, je reconnais votre bonté, votre miséricorde, et votre longanimité.

Vous avez réparé la nature humaine en resuscitant, ô mon Sauveur Jésus-Christ, mais parceque cette réparation n'a pas détruit ma concupiscense, il y a encore en moi cette loi de la chair, principe du péché, et je suis tel que je ne voudrais pas être si ce n'était pas votre disposition que je fus tel.

Sit igitur tibi gloria, Domine, ex ipsa debilitate, fragilitate, et infirmitate figmenti tui, ut exaltetur misericordia tua in me, sine qua nihil sum, nihil possum.

Hinc omne argumentum fiduciae meae tu es Christe resurgens, qui pro me tanta passus es, ut pro me justitiae patris satisfaceres; fac, ne pereat creatura tua, quam tibi adhaerere velle dedisti.

Adhuc quodammodo sum plus tuus ex ratione redemptionis, quam creationis, nisi enim me redemisses, creari quid profuisset?

Continua est infirmitas mea, et propterea continuum remedium poenitentiae, et humilem agnitionem miseriarum mearum requirit; charitas porro tua dulcorat amaritudines vitae hujus, quia sunt sequelae justae ordinationis tuae.

Ecce Domine defuit mihi multum, sed te recipiens, omnia bona recepi; in te confidens, te accesi; tibi resignans me, suscepi te, tu quidem es in me, fac ut ego quoque semper permaneam in te.

Gratuita sunt dona tua, nec illa unquam mereri possum sine te: da proinde amare te, ut possim mereri te.

Quis est homo, vas fictile, ut Deum mereatur? Sed si charitatem dederis, temet dabis, et sic filius patrem, Deus Deum merebitur.

Tu es in me Jesu mi, sed te non possidebo, si non adjuveris me: quamvis ergo sis in me, fac ne cessem te petere a te, et per te.

Promitamne tibi, me meliorem futurum? vellem Domine, sed promittere non audeo, nisi in spe gratiae tuae: quod si enim aliter promitterem, vere haec promissio esset ex me, et esset mendacium, quod mihi est proprium.

Sed tu passus fuisti pro me, resurrexisti pro me, venisti in me, et hinc agnosco longe majora esse remedia, quae fecisti pro me, quam illa, quae ego ex me facere possum contra me. Quid proinde requiram, nisi ut in pace dormiam, et requiescam.

Tirez donc, Seigneur, de la faiblesse même, de la fragilité, de l'infirmité de votre ouvrage d'argile ce tribut de gloire qui vous est dû, afin que votre miséricorde soit exaltée en moi sans laquelle je ne suis rien, je ne peux rien.

Vous êtes donc tout le sujet de ma confiance, ô Christ resuscité, qui avez tant souffert pour moi, afin de satisfaire pour moi à la justice de votre père; empêchez de périr votre créature à qui vous avez donné le vouloir d'être attaché à vous.

Je suis encore en quelque façon plus à vous par le titre de ma rédemption, que par celui de ma création, car si vous ne m'aviez racheté, que m'aurait-il servi d'avoir été créé?

Mon infirmité est continuelle, et c'est pour cela qu'elle demande un continuel remède de la pénitence, et une humble connaissance de mes misères, votre charité enfin adoucit les amertumes de cette vie, parcequ'elles sont la suite de vos justes decrets.

Il me manquait beaucoup, Seigneur, mais en vous recevant, j'ai reçu tous les biens. Je me suis approché de vous avec confiance; je vous ai reçu en me livrant à vous, vous êtes en moi, faites aussi que je demeure toujours en vous.

Vos dons sont gratuits et je n'en puis mériter le moindre sans vous, faites moi donc la grâce de vous aimer, afin que je puisse vous mériter.

Qu'est l'homme, ce vase d'argile pour mériter un Dieu? mais si vous donnez la charité, vous vous donnerez vous-même, et ainsi le fils méritera le père, un Dieu méritera un Dieu!

Vous êtes en moi, ô mon Jésus, mais je ne vous possederait pas si vous ne m'aidez: quoique vous soyez donc en moi, faites que je ne cesse de vous demander, à vous et par vous.

Vous promettrai-je que je serai meilleur? je le voudrais Seigneur, mais je n'ose le faire sans l'espérance de votre grâce: car si je le promettais autrement, cette promesse serait de moi, et ne serait que le mensonge qui m'est propre.

Mais vous avez souffert pour moi, vous êtes resuscité pour moi, vous êtes venu en moi, et par là je connais que les remèdes que vous avez employés pour moi sont beaucoup plus grands que ceux que je pourrais faire par moi contre moi. Que demanderai-je donc si ce n'est de dormir et de reposer en paix.

Sed haec pax et requies nonnisi amor tuus esse potest, secus enim memoria conditionis meae, recordatio illorum, quae juste mereor, ignorarent pacem et requiem.

Amoris carnalis est proprietas amare, ut quis ametur, sed tuae charitatis est fundamentum te amare propter te, et cum hoc, te adjuvante, opus complevero, supportabo me in patientia, cum vixero pro te.

Haec consideratio conciliabit in me gemitus et lacrymas cordis cum pace, consolatione et gaudio, quae quamvis apparenter sibi opposita videantur, sunt fructus charitatis tuae.

Justus est gemitus meus ex statu oppositionis meae tibi; justus dolor, justae sunt lacrymae, quod te offenderim et offendam, quia amo te, sed et consolatio et gaudium ex hoc fonte emanat, quia quem amo, Deus misericors et infinite bonus es.

O homo, quam prodigiosum opus sapientiae Dei es, quae cum omnia in ordine et mensura statuit, hanc bilancem doloris et gaudii in ipso amore constituit, quae charitatis vera proba est.

Fac igitur, amor meus, Jesu mi in me, ne unquam plus doleam, quam gaudeam, sed nec plus gaudeam, quam doleam, ut dolor patientiam, haec autem integram abrenunciationem producens in me, consoletur me in omnibus adversitatibus meis sacrosancta voluntas tua.

Caput VI.

Vellem te purgare cor meum, ut mundum posses recipere Salvatorem tuum, qui solus mederi potest malis tuis, et confortat te, ne succumbas tot et tantis inimicis, qui te circumdant in diebus peregrinationis tuae.

Interrogabo te, responde mihi, quomodo usus fueris gratia, quam nuper sumpto Salvatore tuo recepisti? et quomodo voluntati, Deum unice amare volenti, correspondisti?

Inimicum meum sisto in judicium, abyssum tenebrosum

Mais cette paix et ce repos ne peut être que votre amour, car autrement la mémoire de ma condition, le souvenir de ce que je mérite m'empêcherait de trouver la paix et le repos.

C'est une propriété de l'amour charnel d'aimer pour être aimé, mais c'est le fondement de votre charité de vous aimer pour vous-même, et lorsque j'y serai parvenu par votre aide, je me supporterai en patience lorsque je vivrai pour vous.

Cette considération conciliera en moi les gémissements et les larmes du cœur avec la paix, la consolation, et la joie intérieure, et quoique tout cela paraisse incompatible, ce sont pourtant les fruits de votre charité.

C'est à bon droit que je gémis de mon état d'opposition avec vous; c'est à bon droit que j'ai de la douleur, que je pleure parceque je vous aime de ce que je vous ai offensé, mais ma consolation et ma joie émanent de cette même source, parceque celui que j'aime, est un Dieu infiniment bon et miséricordieux.

Ô homme, que vous êtes un prodigieux ouvrage de la sagesse de Dieu, qui, ayant tout fait dans l'ordre et la mesure, a mis dans l'amour même cette balance de douleur et de joie, qui est la véritable preuve de la charité.

Faites donc en moi, ô Jésus, mon amour, que je n'aie jamais plus de douleur que de joie, ni plus de joie que de douleur, afin que la douleur, produisant en moi la patience, et celle-ci l'entier renoncement à moi-même, votre sainte volonté me console dans toutes mes adversités.

Chapitre VI.

Je voudrais vous purifier, ô mon cœur, afin que devenu pur vous puissiez recevoir votre Sauveur qui seul peut remédier à vos maux, et vous fortifier, de peur que vous ne succombiez à tant et de si puissans ennemis qui vous environnent dans les jours de votre pélerinage.

Je vous interrogerai, repondez moi, comment avez vous usé de la grâce que vous avez reçue dernièrement en recevant votre Sauveur? et comment avez vous correspondu à la volonté de n'aimer que Dieu?

Je cite en jugement mon ennemi, j'entreprends de sonder

scrutari aggredior, adjuva et illumina me Domine, nihil enim possum contra me sine te, ecce enim iniquitas mea mentietur tibi, si veritas tua abfuerit a me.

Seu illa inquiram, quae feci, seu de illis me examinem, quae neglexi, quid respondebis mihi o cor meum, durum ad amandum Deum tuum, molle nimis in sequendis inclinationibus tuis.

Duritas tua in amando causavit segnitiem, tepiditatem, dissipationes, distractiones tuas in serviendo Deo, mollities tua in sequendis inclinationibus tuis, dic mihi num plus mali peccando fecerit, vel plus boni facere omiserit?

Dicis mihi, te non recordari Deum scienter et volenter offendisse, sed si secus fecisses, quomodo Deum te amare dicere praesumeres.

Totum te Dei amori debes, quomodo amori sufficiet volenter non offendisse, sed placere non studuisse?

Heu Domine, quam tepida est voluntas mea, cor tardum, amor frigidus, quam deformis sum in conspectu tuo, qui tam tepidus, tardus et frigidus videor mihimetipsi: quodsi enim talis sum in oculis meis, qualis sum in conspectu tuo, qui in me illa quoque vides, quae me latent.

Scio Domine, quod miseria conditionis meae in multis me excusat coram te, et tuam in me provocat misericordiam, sed eo non obstante, quomodo te diligerem, si de his coram te in omni humilitate et patientia non gemerem?

Doleo igitur de omnibus, quae secundum beneplacitum tuum non egi, et de illis, quibus te vel levissime offendisse contigit, et his omnibus in abyssum miserationum tuarum projectis, volo denuo suscipere te, ut semper magis ac magis amem te.

Respice in me voluntatem, quam dare dignatus es mihi te super omnia diligendi, et redde illam fervidam in serviendo tibi.

Cor meum aridum et tardum recipe salvatorem tuum,

un abîme ténébreux, aidez et éclairez-moi Seigneur, car je ne peux rien contre moi sans vous, et voilà que mon iniquité mentira à elle-même, si votre vérité s'éloigne de moi.

Soit que je recherche ce que j'ai fait, soit que je m'examine sur ce que j'ai négligé, que me répondrez vous ô mon cœur qui êtes si dur à aimer votre Dieu, si mou pour suivre vos inclinations.

Votre dureté à aimer a causé votre paresse, votre tiédeur, vos dissipations, vos distractions dans le service de Dieu; dites moi si votre mollesse à suivre vos inclinations vous a fait faire plus de mal, ou plus omettre de bien?

Vous me dites que vous ne vous souvenez pas d'avoir offensé Dieu le sachant et le voulant, mais si vous aviez fait autrement, comment pourriez présumer dire d'aimer Dieu?

Vous vous devez tout entier à l'amour de Dieu: comment suffira-t-il à l'amour de n'avoir pas offensé de propos délibéré, mais aussi de n'avoir pas recherché de plaire?

Hélas, Seigneur, que ma volonté est tiède, que mon cœur est tardif, que mon amour est froid, que je suis difforme devant vous puisque je me parais si tiède, si lent, et si froid à moi-même : que si je suis tel à mes yeux, que dois-je être en votre présence, Seigneur, qui pénétrez en moi ce qui m'est caché à moi-même.

Je sais, ô mon Dieu, que la misère de ma condition m'excuse en beaucoup de choses devant vous, et excite votre miséricorde envers moi, mais nonobstant cela, comment pourrais-je vous aimer si je ne gémissais pas de tout cela devant vous dans toute l'humilité, et la patience possible?

J'ai donc de la douleur de tout ce que je n'ai pas fait selon votre bon plaisir, et de toutes les fautes, même les plus légères, par lesquelles j'ai eu le malheur de vous offenser, et jetant tout cela dans l'abîme de vos miséricordes, je veux vous recevoir afin de vous aimer de plus en plus.

Regardez en moi la volonté que vous avez daigné me donner de vous aimer par dessus toutes choses, et rendez-la fervente dans votre service.

Ô mon cœur aride et tardif, recevez votre Sauveur, comme

prout terra arida recipit rorem coeli, ut germinent in te semina virtutum, et praecipue charitatis, sine qua eris similis terrae solitudinis spinas et tribulos producentis.

Veni, veni, divine agricola, in vineam tuam, amputa pululantes concupiscentiae palmites, qui sunt genimina cordis mei, ut vitis et charitatis plus fructus afferat.

In hunc finem te suscipere statui, ecce me tibi trado: planta, seca, irriga, ut tibi placita sumant incrementum in me.

Descendisti in hortum tuum o dilecte mi, sed non flores, verum obvia olera campi et myricam solitudinis deprehendisti in illo, accende charitatis tuae clybanum in me, ut consummantur omnia, quae a te plantata non fuerunt.

Dilata sepes horti tui, dispone florum areolas, fode terram tuam, mane mecum, et delectare in operibus manuum tuarum.

Operare in me, ut ego operer tecum, quodsi enim operari cessaveris, erunt novissima pejora primis, et urentes cupiditatis urticae operient hortum, in quem ingressus es, et suffocabunt plantas tuas.

Deflecte torrentem voluptatis, et consuetudinis mundi procul abhinc, tu illum irriga fons aquae salientis in vitam aeternam.

O fons sitientis animae, tu solus satiare, tu solus foecundare, et lavare potes me, o utinam te plus avidius hauriens, foecundaretur ariditas mea!

Eia anima mea, accurre ad has aquas salutares, similis viatori in longinquo itinere fesso, absterge sudorem, requiesce, nec bibere desine.

Longa est peregrinatio tua nimis, per vias asperas et periculosas gradiendum est tibi, inebriare deliciis cibi et potus, quem sumpsisti.

O castae deliciae te amantis animae Jesu mi, nihil praeter te cupio, sed necdum te satis degusto, sed nec peto sen-

une terre sèche reçoit la rosée du ciel, pour faire germer en vous les semences des vertus, et surtout de la charité, sans laquelle vous serez semblable à une terre déserte qui ne produit que des ronces et des épines.

Venez, venez, céleste vigneron, coupez les sarments de ma concupiscence qui poussent, qui sont les rejetons de mon cœur, afin que cette vigne porte plus de fruit de charité.

C'est pour cette fin que j'ai résolu de vous recevoir, voilà que je me livre à vous : plantez, coupez, arrosez, afin que ce qui vous sera agréable prenne de l'accroissement en moi.

Vous êtes déscendu dans votre jardin, ô mon bien aimé, mais au lieu de fleurs, vous n'avez trouvé en lui que des herbes champêtres et des tamarins du désert : allumez en moi le four de votre charité pour consommer tout ce qui n'a pas été planté par vous.

Étendez les haies de votre jardin, arrangez les compartiments de fleurs, cultivez votre terre, restez avec moi, plaisez vous dans les ouvrages de vos mains.

Travaillez en moi afin que je travaille avec vous, car si vous cessez d'opérer la fin sera pire que le commencement, et les brûlantes orties de la cupidité couvriront le jardin, dans lequel vous êtes entré, et étoufferont vos plantes.

Détournez loin de lui le torrent impétueux de la volupté et des coûtumes du siècle. Arrosez le vous-même source d'eau jaillissante dans la vie éternelle.

Ô fontaine de mon âme altérée, vous seule pouvez étancher ma soif, vous seule pouvez me purifier et me rendre fertile, ô plût à Dieu que je fus encore plus altéré de vous, afin que vous puisant avec avidité, mon aridité devint féconde!

Courage mon âme, courez à ses eaux salutaires, semblable à un voyageur fatigué d'un long chemin, essuyez votre sueur, reposez vous et ne cessez de boire.

Votre pélerinage est long, il vous faut marcher par des voies difficiles et périlleuses, enivrez vous des délices de la nourriture, et de la boisson céleste que vous venez de prendre.

Ô chastes délices de l'âme qui vous aime ô mon Jésus, je ne souhaite rien hors de vous, mais je ne vous goute pas en-

tire amoris tui effectus, sed praesentiae tuae nunquam vellem amittere memoriam.

Fac me nunc amare te, sicut tu Deus homo amasti me, caetera longe supernaturalia amoris ad extra producta signa non meum est optare et petere. Quodsi enim aequaliter convenit gloriae tuae, malo absque omni sensibili affectu devotionis cursum vitae meae transigere, dummodo a viis mandatorum tuorum non deviem.

Sed o Salus animae, omnes petitiones, omnia desideria mea beneplacito tuo relicta sunto; sis mecum et sufficit mihi, mane in me et poside me. Duc et rege me, ut perveniam ad te.

Caput VII.

Nimis stabilis sum in instabilitate mea, Domine, quid tibi dicere possum, nisi quae jam toties protuli, tu qui in immutabilitate tua immutabilis es, quia me vocas, ecce ad te accedere praesumo.

Hoc solum possum proferre, quod velim accedere, caetera omnia languent in me, et ecce tot annis gemo in infirmitate mea, nec nisi tu solus, si vis, potes curare me.

Scio Domine, quod virtus in infirmitate perficitur, hinc non audeo importune instare tibi, ut me sanes, sed, ut mihi parcas.

Similis est Ecclesia tua militans piscinae illi probaticae, in cujus circuitu tanta infirmorum multitudo jacere solebat, quis enim est in hac vita mortali, qui a morbo conditionis suae exemptus ac sanus dici potest? descendit in piscinam, dum conscientiam turbari sentit, sanatur, sed donec in corpore manet, ipsa sanitas ejus infirmitas est.

Tua gratia reperit me ad hanc piscinam et interrogat, num sanari velim; quid possum respondere, nisi, quod homi-

core assez, je ne vous demande pas de sentir les effets de votre amour, mais je voudrais ne jamais perdre le souvenir de votre présence.

Faites que je vous aime comme vous, ô homme Dieu, m'avez aimé, ce n'est pas à moi à souhaiter et à demander des autres signes extérieurs et plus surnaturels de votre amour. Car s'il convient également à votre gloire j'aime mieux passer toute ma vie sans aucune sensible douceur et sentiment de dévotion pourvu que je ne m'égare pas des voies de vos préceptes.

Mais ô salut de mon âme, j'abandonne à votre bon plaisir, toutes mes demandes, tous mes désirs ; soyez avec moi et cela me suffit. demeurez en moi et possedez moi ; conduisez et gouvernez moi afin que je parvienne à vous.

Chapitre VII.

Je ne suis que trop constant dans mon inconstance, Seigneur. que puis-je vous dire si ce n'est ce que je vous ai dit si souvent. à vous qui êtes immuable dans votre immuabilité ? parceque vous m'appelez, voilà que j'ai la confiance de m'approcher de vous.

Je ne puis dire que cela que je veux m'approcher. tout le reste languit en moi, et voilà que depuis tant d'années je gémis dans cette infirmité, et il n'y a que vous qui puissiez me guérir si vous le voulez.

Je sais, Seigneur, que la vertu se perfectionne dans l'infirmité, et c'est pour cela que je n'ose pas vous faire des importunes instances de me guérir, mais me pardonner.

Votre Eglise militante est semblable à cette piscine probatique, autour de laquelle une si grande multitude de malades avait coûtume d'être couchée, car que est-ce dans cette vie mortelle que l'on puisse dire exempt et sain de la maladie de sa condition ? Il descend dans la piscine lorsqu'il sent sa conscience troublée. il est guéri, mais tandis qu'il est dans ce corps de mort, sa santé même n'est qu'une véritable maladie.

Votre grâce me trouve auprès de cette piscine et me demande si je veux être guéri, que puis-je lui répondre, sinon

nem non habeo, tu enim solvendi et ligandi dedisti potestatem sed non curandi ab infirmitate conditionis meae.

Tu dignaris mihi dicere : tolle grabatum tuum et ambula, et ecce vere hoc est, quod facio , ambulo et grabatum meum circumporto, fatigor sub onere grabati corporis mei, langueo, et in hoc consistit vitae meae immutabilis immutabilitas , et instabilitatis meae stabilitas.

Gemo de his Domine, non conqueror, quia gemitus meus voluntatis meae et charitatis tuae, quam dedisti mihi, vox est ad te directa in silentio cordis.

Voluntatis vox est gemitus in quantum vellem (quod et tu praecipis , Domine) ut sim sanctus et mundus , sed quae volo necdum possum, charitatis autem vox est gemitus meus, in quantum me a te elongatum reperio.

Haec sunt incitamenta, ex quibus ad altare tuum iterum accedo, Jesu mi, ut loquela gemitus mei fiat frequentior , charitas denique mea fiat ardentior.

Gemam non me posse, quae volo, nec fervide velle, quae debeo, nec satis diligere te, quem diligo.

Accedam igitur, ut sumam panem confortantem , et vinum laetificans : oportet enim mihi portare grabatum , semper desiderare, sed nunquam in hac vita aquirere sanitatem.

Propterea, quia sic placet tibi, non sanari volo nisi in mensura voluntatis tuae, sed esuriens panem quaero, ut confortatus denuo esuriam ; gemens vinum anhelo, ut laetificer, et laetificatus adhuc plus gemam.

Obtinui hunc panem et vinum. Participavi de altari , comedi et sumpsi te Jesu mi sanitas et gaudium animae meae. Adorate Deum in me, potentiae animae meae, redde te captivum in obsequium fidei intellectus , imprime tibi continuam

que je n'ai point d'homme, car vous avez donné le pouvoir de lier et de délier mais non pas de guérir les infirmités de ma condition.

Vous daignez me dire : portez votre lit et marchez; voilà véritablement ce que je fais : je marche, et je porte mon lit, je suis fatigué sous le poids du lit de mon corps, je languis et c'est en cela que consiste l'immuable immutabilité de ma vie, et la stabilité de mon inconstance.

Je gémis de tout cela, Seigneur, je ne me plains pas, parceque mon gémissement est la voix de ma volonté et de votre charité, que vous avez daigné me donner, c'en est dis-je la voix dirigée à vous dans le silence de mon cœur.

La voix de la volonté est le gémissement en tant que je voudrais, et c'est aussi ce que vous commandez, Seigneur, être saint et pur, mais je ne puis pas encore ce que je voudrais. La voix de la charité est mon gémissement en tant que je me trouve éloigné de vous.

Voilà les motifs par lesquels je m'approche encore de votre autel ô mon Jésus, afin que le language de mon gémissement devienne plus fréquent, ma volonté plus fervente, votre charité enfin plus ardente en moi.

Que je gémisse de ne pouvoir ce que je veux, de ne pas vouloir ardemment ce que je dois, et de ne pas assez vous aimer.

Je m'approcherai donc pour recevoir ce pain qui fortifie et ce vin qui remplit d'une sainte joie; car il faut que je porte mon lit, que je désire toujours, mais que jamais dans cette vie je ne parvienne à une parfaite santé.

C'est pourquoi, puisqu'il vous plaît ainsi je ne veux être guéri que dans la mesure de votre sainte volonté, mais ayant faim je cherche le pain des forts, pour que fortifié par lui j'aie encore faim, en gémissant je désire ce vin délicieux pour me remplir de joie, et que dans la joie de cette sainte ivresse je gémisse encore davantage.

J'ai obtenu ce pain et ce vin céleste. J'ai participé au saint autel, j'y ai mangé et je vous ai reçu ô mon Jésus, qui êtes la santé et la joie de mon âme. Adorez Dieu en moi ô vous, toutes les puissances de mon âme, rendez vous captif

beneficii recordationem memoria, et volendo, quod vult, praesta juge obsequium voluntas.

Sed et tu corpus meum, grabatum infirmitatis meae, in quo jacet, et quod portat anima mea sensibus tuis, qui fovent infirmitatem tuam, praesta adorationis debitum homagium, et ut sanemini vos falli confitemini sensus mei.

Sacramentum sumpsi, quod est mysterium fidei, et ideo omnem perfectionem fidei includit et requirit.

In caeteris mysteriis homo credit, quod non videt, quod non capit, et intellectus sui incaptivatione fidei satisfacit, sed in hoc (quod tu Jesu mi appellas) fidei mysterio, quod video, quod gusto, quod tango, quod adoro, quod intelligo, propter hoc, quod a te audio, non credo: sed contrariante intellectu et sensibus soli veritati verbi tui adhaereo.

O Sacramentum, quod animam sanctificas in vitam, corpus in resurrectionem, quam justum est, ut pro digna participatione tua per fidem, et facultates animae et sensus corporis mei te adjuvante, contribuant et per integram subjectionem illorum et obcoecationem horum adorationis praestent homagium.

Adoret te igitur anima mea, adorent te sensus mei, o Jesu mi, ut nihil sit in me, quod non adoret te in spiritu et in veritate.

Per te vivat anima mea, per te sanctificentur et operentur sensus mei, fac, ut nihil sit in me, quod non agat tecum pro te.

Haec sunt o Domine salus mea, quae ego debeo tibi, sed quae non possum sine te, sunt enim omnia supernaturalia, et ideo nisi tu adjuvares me, intellectus et sensus mei tantummodo illa credentes, quae capiunt et vident, fallerentur, et plus crederent sibi, quam veritati verbi tui.

sous le joug de la foi ô mon entendement; ma mémoire, imprimez en vous un souvenir ineffaçable de ce bienfait, et vous ma volonté, marquez votre reconnaissance envers ce divin bienfaiteur, par un perpétuel hommage que vous lui rendrez, en ne voulant que ce qu'il veut.

Et vous mon corps, qui êtes le lit de mon infirmité, dans lequel mon âme est couchée et qu'elle porte, rendez l'hommage d'adoration que vous devez par vos sens qui entretiennent votre maladie, et vous, mes sens, pour être guéris, avouez que vous êtes trompés.

J'ai reçu un sacrement qui est un mystère de foi, qui renferme et demande toute la perfection de la foi.

Dans les autres mystères l'homme croit ce qu'il ne voit pas. ce qu'il ne comprend pas, et en soumettant son entendement, il satisfait à la foi, mais dans ce mystère de foi (que vous appelez ô mon Jésus) à cause de ce que j'apprends de vous, je ne crois pas ce que je vois, ce que je goûte, ce que je touche, ce que je sens, ce que je comprends, mais malgré la contrariété de mes sens, et de mon entendement, je reste fortement attaché à la seule vérité de votre parole.

Ô sacrement qui sanctifiez l'âme pour la vie, le corps pour la resurrection, qu'il est juste que pour participer à vous par la foi toutes les facultés de mon âme et les sens de mon corps y contribuent par votre grâce et que par l'aveuglement de ceux-ci, et l'entier assujetissement des autres ils concourent à vous rendre l'hommage d'adoration qui vous est dû.

Que mon âme vous adore donc ô mon Jésus, que mes sens vous adorent. afin qu'il n'y ait rien en moi qui ne vous adore en esprit et en vérité.

Que mon âme vive par vous, que mes sens soient sanctifiés et opèrent par vous; faites qu'il n'y ait rien en moi qui n'agisse avec vous, pour vous.

C'est là ô Seigneur, mon salut. ce que je vous dois, mais ce que je ne peux sans vous, car tout cela est surnaturel, et ainsi si vous ne m'aidez, mon entendement et mes sens se tromperont, ne croyant que ce qu'ils comprendront et verront, et s'en croiront plus à eux-mêmes qu'à la vérité de votre parole.

Noli igitur me tradere mihimetipsi, et illusionibus sensuum meorum, sed da gratiam, ut in charitate tua adhaeream veritati tuae semper.

Sic fiet, quod ego vivam in te, dum tu vivificaveris me, sic ego agam pro te, dum mihi dederis diligere te.

Sic confortabor pane, quod sumpsi, laetificabor vino, quod participavi, et sic resistam infirmitatibus meis, quorum pondere premor.

Sic gemitus meus convertetur in gaudium, et gaudium meum erit gemitus, donec non uniar tecum unione inseparabili et aeterna.

Caput VIII.

O Jesus, Salvator, spes et omnis consolatio mea, ecce denuo statuo me coram te, sed quia semper sum mihi similis, quid possum mihi repetere illa, quae jam tibi dixi?

Parce mihi, si impura labia mea sacrocancta verba tua proferunt in explicationem status mei, quia modicum video te, et iterum modicum et non video te, quia recedo a patre, non quia vado ad eum.

Video te quidem omni die in sacramento altaris, video, dum me converto ad te, sed omne hoc tempus modicum est comparatum illi, quo non video te.

O spissae caligines, atrae tenebrae, quae mihi dilectum meum ab oculis celatis, unde exurgitis?

Inquiro: et ecce reperio has esse exhalationes fermentantis humanae conditionis meae, et hi vapores alii generantur in me, alii absorbentur a me (mundus enim illis plenus est) alii communicantur mihi: et hos omnes ex natura mea pronus sum attrahere.

Hi sunt vapores, qui reddunt tam obscuram visionem tuam in hoc mundo, in quo tamen haec visio est pars omnis felicitatis meae; sed cum hi vapores conglomerantur in nu-

Ne me livrez donc pas à moi-même et à l'illusion de mes sens, mais faites moi la grâce d'être dans votre charité inviolablement attaché à votre éternelle vérité.

Il arrivera ainsi que je vivrai en vous lorsque vous me vivifierez ; ainsi j'agirai pour vous lorsque vous me ferez la grâce de vous aimer.

Je serai ainsi fortifié par le pain que j'ai pris, je serai ainsi rejoui par le vin dont j'ai goûté, et je deviendrai ainsi capable de ne pas succomber à mes infirmités dont le poids m'accable.

C'est ainsi que mon gémissement sera changé en joie et que ma joie même sera des gémissements jusqu'à ce que je sois uni avec vous d'une union indissoluble et éternelle.

Chapitre VIII.

Ô Jésus, mon sauveur, mon espérance et toute ma consolation, je me présente derechef devant vous, mais parceque je suis toujours semblable à moi-même que puis-je que répéter ce que je vous ai déjà dit.

Pardonnez moi si mes lèvres impures profèrent vos paroles saintes pour expliquer mon état, parceque je vous vois un peu, et un peu après je ne vous vois pas, parceque je m'éloigne du père céleste non parceque je vais à lui.

A la vérité je vous vois tous les jours dans le sacrement de nos autels, je vous vois lorsque je me tourne vers vous, mais tout ce temps est peu de chose comparé à celui pendant lequel je ne vous vois pas.

Ô épaisse obscurité, ô noires ténèbres qui dérobez à mes yeux mon bien aimé, d'où sortez-vous ?

Je cherche, et je trouve que ce sont des exhalaisons formées de la fermentation de ma condition humaine ; et de ces vapeurs les unes s'engendrent en moi, les autres sont absorbées par moi (car le monde en est plein), les autres me sont communiquées : et je suis enclin par ma nature à humer ces différentes sortes de vapeurs pernicieuses.

Ce sont ces vapeurs qui rendent si obscure votre vision dans ce monde, dans lequel cependant cette vision est la principale partie de ma félicité ; mais lorsque ces vapeurs se ras-

bes, abscondunt a me faciem tuam, et haec est pars infelicitatis meae.

Quodsi hae nubes subsisterent in me, converterentur in tenebras, et non tantum faciem tuam, sed et vias, in quibus ambulare jussisti me, celarent oculis meis, et devians ab illis, caderem in praecipitia.

Hinc adverto Domine, quam breve est illud modicum (tempus) quam obscurum est enigma, per quod te video Deum meum, et quam longum est tempus in vita mea, quo non video te, sed nec vado ad te.

Parce igitur Domine, parce indignitati meae, qui frequenter nec tamen tam saepe prout vellem, accedo ad altare tuum, ut sumam te, qui solus potes repellere nubes, fugare tenebras, quae me tantis exponerent periculis.

Ecce Domine, dum ad haec agitanda revertor, exsurgunt vapores noui me nolente, defende, Domine, causam tuam, et instrue illos, quibus verba mea prodesse nequeunt sine tuis.

Tu vero Domine suscipe, quaeso, me, et dispelle motus violentiores, quibus cor meum commoveri potuit ex charitate proximi, propter charitatem tuam.

Parce Domine, parce et suscipe me et illos qui nesciunt, quid dicunt, quia dicunt, quae dicere nolunt de explicatione viarum arctarum, per quas ambulare praecepisti sequentes te. Ecce Domine ideo desidero sumere te, ut dispulsis cordis mei tenebris semper aut saltem saepius videam te, in quantum in hac mortali carne possum videre te, ut sequar te per vias, per quas ducere decrevisti me.

Cupio Domine videre te, quia videre te in hac mortali vita, est in fide diligere te, sed diligere te est pariter in hac misera vita diligere justitiam seu mandata tua, haec porro diligere est sequi illa. Haec vellem Domine, quia hoc tu me docuisti, et ut velim jussisti.

Hoc ipsum bonum igitur meum, praeter quod nihil desiderandum est mihi, qua voluntatem tuam, non qua voluntatem

semblent en nuages, elles me dérobent votre face, et c'est là une partie de mon infélicité.

Que si ces nuages subsistaient en moi, ils se changeraient en tén èbres et nonseulement me déroberaient votre face, mais me cacheraient encore les voies dans lesquelles vous voulez que je marche, et ainsi égaré, je tomberais dans le précipice.

Je remarque par là, Seigneur, combien est court ce peu de temps, combien obscure est l'énigme, par laquelle je vous vois ô mon Dieu, combien est long dans ma voie le temps pendant lequel je ne vous vois pas et ne vais pas à vous.

Pardonnez-moi donc, Seigneur, pardonnez à mon indignité, moi qui m'approche souvent, quoique non aussi souvent que je voudrais, de votre autel pour vous recevoir, vous qui seul pouvez chasser les nuages, dissiper les ténèbres qui m'exposent à de si grands périls.

Voilà, Seigneur, qu'en m'attachant à considérer tout cela, il s'élève en moi malgré moi de nouvelles vapeurs, défendez votre cause et instruisez ceux à qui mes paroles ne sauraient profiter sans les vôtres.

Et vous, Seigneur, recevez moi je vous prie et chassez les mouvements trop violents dont mon cœur a pu être ému par la charité du prochain pour votre charité.

Pardonnez moi Seigneur, recevez moi aussi bien que ceux qui ne savent ce qu'ils disent en disant ce qu'ils ne voudraient pas sur l'explication des voies étroites par lesquelles vous ordonnez de marcher à ceux qui vous suivent. Je désire de vous recevoir ô mon Dieu afin que, chassant les ténèbres de mon cœur, du moins je vous voie plus souvent autant que dans cette chair mortelle je puis vous voir pour que je vous suive dans les voies par lesquelles vous avez résolu de me conduire.

Je souhaite Seigneur, de vous voir, parceque vous voir dans cette vie mortelle c'est vous aimer dans la foi, mais vous aimer c'est aussi aimer dans cette misérable vie la justice ou vos préceptes, et les aimer c'est les suivre : je le voudrais ô mon Dieu, parceque vous me l'avez enseigné, et que vous me commandez de le vouloir.

Je veux donc ce bien hors duquel je n'ai rien à désirer, en tant que c'est votre volonté, et non la mienne qui le désire;

meam, bonum meum desiderantem volo: vellem enim ita annihilatam esse in me voluntatem meam, ut nec te Deus desideret propter se, sed propter te, cum pro te creaveris me.

O dulcedo cordis mei Jesu mi, tu sis voluntas mea in me, te volui, te sumpsi, caetera tu velis in me.

Laetare o anima mea! et submitte te huic voluntati, ut tuae potentiae nonnisi hac volente agant, nihil facis enim, Jesu mi, in homine sine homine, sed nec violenter agis, quia violentia tua amor est.

Prout igitur tu, o anima, producis actus tuos per sensus corporeos, ita tu voluntas suprema agis per potentias animae, et fors possem dicere, quod prout membris corporis nihil durum videtur, quod vult anima, ita nec animae durum apparet, quod tu praecipis: dum ita subjecta est tibi, prout corporis membra subjecta sunt animae.

Haec est norma perfectae subjectionis et abnegationis suimet ipsius, quam ego tibi debeo Deus, da igitur gratiam, ut prout membra corporis mei dependent a voluntate mea, ita haec subjecta sit tibi.

Sed heu Domine, quam saepe mecum factum fuerat, dum anima mea sensibus suis corporeis plus quam tibi adhaesit; quod voluntatem meam regebat sensualitas, et haec est, quae dicitur propria voluntas hominis: cui renunciare debet.

Talis est proprietas hominis animalis, cui lex tua dura nimis apparet, et secundum plus aut minus animalitatis suae, quaerit sensualitati suae accomodare, et secundum illam intelligere legem tuam.

Haec animalitas est, Domine, quae saepe agit in me illa, quae tua gratia illuminante nolo, et tamen facio: quia stricta illa unio animae et corporis hanc duram servitutis legem reddit conditioni meae propriam.

Ex his facis me agnoscere Domine, quod voluntas mea,

car je voudrais tellement anéantir en moi ma volonté, qu'elle ne vous desirât pas pour elle-même mais pour vous ô mon Dieu, qui l'avez créée pour vous.

Ô Jésus douceur de mon cœur, soyez en moi ma volonté, je vous ai voulu je vous ai reçu, que ce soit vous qui veuilliez en moi tout le reste.

Réjouissez vous ô mon âme et soumettez vous à cette volonté afin que vos puissances n'agissent que par son mouvement, car ô mon Jésus, vous ne faites rien en l'homme sans l'homme ; mais aussi vous ne faites rien avec violence, parceque votre violence n'est autre que votre amour.

Comme donc ô mon âme vous produisez vos actes par vos sens corporels, de même ô volonté suprême vous agissez par les puissances de l'âme et peut-être pourais-je dire que comme rien ne paraît dur aux membres du corps de ce que veut l'âme, de même rien ne paraît dur à l'âme de ce que vous commandez, lorsqu'elle vous est assujettie comme les membres du corps le sont à l'âme.

C'est là un modèle parfait de l'assujettissement, et du renoncement à soi-même que je vous dois ô mon Dieu, faites moi donc la grâce que comme les membres de mon corps dépendent de ma volonté, de même celle-ci soit soumise à vous.

Mais hélas, Seigneur, combien de fois m'est-il arrivé lorsque mon âme était plus attachée à ses sens corporels qu'à vous, que la sensualité gouvernait ma volonté, et c'est elle qu'on appelle la propre volonté de l'homme, et à laquelle il doit renoncer.

Telle est la propriété de l'homme animal, à qui votre loi paraît trop dure et qui suivant le plus ou le moins de son animalité cherche à accomoder votre loi à sa sensualité, et à l'entendre conformément à elle.

C'est Seigneur, cette animalité qui fait souvent en moi ce que je ne voudrais pas quand votre grâce m'éclaire et cependant je le fais, parceque cette étroite union de mon âme et de mon corps rend propre à ma condition cette dure loi de servitude.

Vous me faites connaître par là que plus ma volonté s'é-

quo plus recedit a sensibus corporis mei, eo fit liberior: nec unquam liberior est, quam dum integre subjicitur tibi.

Haec est libertas vera filiorum tuorum o Deus! haec est unio intima tecum, haec est charitas perfecta, quam me desiderare dedisti, sed ad quam in hac misera ac mortali vita pervenire perfecte nequeo.

Secundum hujus mensuram, quam mihi dare dignaris, amo ego plus aut minus justitiam, et jugi tui suavitatem, ac oneris tui levitatem sentio; haec dilatat vias tuas arctas, quas hominis sensualitas modis sibi convenientibus ideo quaerit dilatare, quia arctas esse sentit; sed obdura quaeso, aures, et cor meum a suggestionibus ejus, ut sim vere tuus, non meus.

Caput IX.

Christe Redemtor meus tu es portio haeréditatis meae, tu es omne bonum meum. Fac, quaeso, ut attentus perseverem in contemplatione mysterii ascensionis tuae, cujus hodie memoriam recolens, denuo me tecum unire cupio.

Consumasti Domine, omne opus redemptionis, ecce redis ad patrem, triumphator mortis et Daemonis, et liberator totius generis humani.

O gloriosa dies triumphi Salvatoris mei, procul dubio multarum reflexionum potes suppeditare materiam, sed non haec sunt inquirenda mihi, sed examinandum, in qua dispositione te recipiam!

Tu ipsemet es omne bonum animae meae, non te dies, non triumphus, preciosiorem reddit in oculis meis, cum te amem, quia Deus es.

Multa sunt, quae pro salute mea fecisti, sed dilectionis meae fundamentum, non opera, sed tumet ipse es. Verum est, o Salvator meus, quod si illa pro me non fecisses, te amare non potuissem, et hoc est argumentum gratitudinis, propter quod ego teneor amare te, sed plus vellem tibi praestare, quia Deus es, quam ideo, quia redemptor meus es.

loigne des sens de mon corps, plus elle devient libre, et elle n'est jamais plus libre que quand elle est entièrement soumise à vous.

C'est là la véritable liberté de vos enfants ô mon Dieu! c'est là l'union intime avec vous, c'est là la charité parfaite que vous m'avez fait la grâce de désirer, mais à laquelle dans cette mortelle et misérable vie je ne peux parvenir parfaitement.

Selon la mesure de celle que vous avez daigné me donner, j'aime plus ou moins la justice et je sens plus ou moins la suavité de votre joug, et la legèreté de votre fardeau : elle dilate les voies étroites que la sensualité de l'homme cherche à élargir de la manière qui lui convient plus parceque'lle sent qu'elles sont étroites, mais fermez, je vous prie, mon cœur et mes oreilles à ses suggestions, afin que je sois véritablement à vous et non à moi.

Chapitre IX.

Ô Jésus-Christ mon redempteur, vous êtes la portion de mon héritage, vous êtes tout mon bien. Faites je vous prie que je persévère attentivement dans la contemplation du mystère de votre ascension, dont célébrant aujourd'hui la mémoire je souhaite de m'unir de nouveau avec vous.

Vous avez consommé, Seigneur, tout l'ouvrage de notre redemption, vous retournez à votre père victorieux de la mort et du démon, et libérateur de tout le genre humain.

Ô jour glorieux du triomphe de mon sauveur, sans doute vous me fourniriez une ample matière de réflexion, mais ce n'est pas ce que je dois rechercher mais bien examiner dans quelle disposition je vous recevrai!

Vous êtes vous-même tout le bien de mon âme, ce n'est pas ce jour ni votre triomphe qui vous rend plus précieux devant mes yeux puisque je vous aime parceque vous êtes Dieu.

Ce que vous avez fait pour mon salut est grand; mais c'est vous-même qui êtes le fondement de mon amour et non vos œuvres. Il est vrai ô mon Sauveur, que si vous ne les aviez pas faites pour moi, je n'aurais pu vous aimer et c'est là un sujet de reconnaissance qui m'oblige de vous aimer, mais je voudrais vous rendre plus parceque vous êtes Dieu, que parceque vous êtes mon redempteur.

Non, non o Domine, nollem te amare propter me, ne amor tibi debitus redeat ad me, sed tamen ideo te amo, quia me redemisti; secus enim te amare non potuissem: sed causa tamen amoris tumet ipse es, quia Deus es.

Quo plus facis te noscere o veritas suprema, eo amabilior es, quia eo simplicior appares, non enim te opera reddunt amabilem, et magnum, sed ipsa essentia tua; quia illa non in fortitudine brachii et membrorum tuorum operatus es, sed per invincibilem vim spiritus tui, qui tumet ipse es.

Per hunc es cum fidelibus tuis usque ad consummationem seculi, et iste desiderat in me sumere te corporaliter, ut uniar veritati et maneam in veritate.

Quo plus me considero, quid sim, ego magis agnosco quam pronus, quam facilis sum declinare a veritate, quod quia mihi quamvis nolenti contingit, repraesentat mihimet ipsi, quam sim de natura mea oppositus veritati.

O veritas, verae deliciae cordis, nequit te degustare homo, mendaciis et vanitate plenus; ea est enim naturae tuae proprietas, quod nihil tecum patiaris, quod non a te est.

Heu quantae sunt in me hujus speciei sordes, quae te a me expellere, et se tibi opponere vellent, quia omnes sunt inimici tui, qui non procedunt a te; fortifica, corrobora proinde me, ut ego tecum defendam te.

Veritatem tuam Deus cognoscere ac habere, idem est, quod cognoscere et habere te; tu enim solus es veritas, qui ab aeterno es; tu verbum, quod a principio apud Deum es; quia tumetipse Deus es.

Ecce ego accedo ad altare tuum, fac o Deus, ut veritatem incarnatam, mihi visibiliter invisibilem, in spiritu veritatis recipiam in hunc solum finem, ut amem veritatem, et ut maneam

Non, non, Seigneur, je ne voudrais pas vous aimer pour moi, de peur que l'amour que je vous dois ne rejaillit sur moi; mais cependant je vous aime parceque vous m'avez racheté; car autrement je n'aurais pu vous aimer: mais vous êtes pourtant vous-même la cause de mon amour parceque vous êtes Dieu.

Plus vous vous faites connaître ô vérité suprême, plus vous êtes aimable, parceque votre divine simplicité en paraît davantage, car ce n'est pas vos ouvrages qui vous rendent grand et aimable, mais votre essence même; parceque vous ne les avez pas fait dans la force des bras et des membres, mais par la force invincible de votre esprit qui n'est autre que vous-même.

C'est par lui que vous êtes avec vos fidèles jusqu'à la consommation des siècles, et c'est lui qui désire en moi de vous recevoir corporellement pour être uni à la vérité et rester en elle.

Plus je considère qui je suis plus je connais combien j'ai de penchant et de facilité à m'éloigner de la vérité; et quoique cela m'arrive malgré moi, je reconnais cependant par là combien par ma nature je suis opposé à la vérité.

Ô vérité, véritables délices du cœur, l'homme ne peut vous goûter rempli comme il est de vanité et de mensonge; car ce vous est une propriété naturelle de ne rien souffrir avec vous qui ne soit de vous.

Hélas qu'il y a en moi de ces sortes d'ordures qui voudraient vous chasser de moi et s'opposer à vous; parceque tout ce qui ne procède pas de vous est votre ennemi, fortifiez moi donc. Seigneur, afin qu'avec vous je vous défende vous-même.

Connaître et avoir votre vérité ô mon Dieu, est la même chose que vous connaître et vous avoir; car vous êtes seul la vérité parceque vous êtes de toute éternité; vous êtes le verbe qui êtes en Dieu dès le commencement puisque vous êtes vous-même Dieu.

Voilà que je m'approche de votre autel, faites ô mon Dieu que je reçoive en esprit de vérité la vérité incarnée qui m'est visiblement invisible; pour cette seule fin que j'aime la vérité :

in veritate; ut nimirum omnes actiones meae, et tota vita mea praebeat testimonium tibi, o Dei divina veritas!

Gaudeo Domine, et vellem in veritate gaudere, nullum est enim gaudium verum in illis, quae fingit mundi mendacium.

Gavisi sunt hodie discipuli tui, te in coelo ascendere videntes de veritatis tuae manifestatione: ignorabant veritatem in passione, et contristati sunt; sed receperunt spiritum veritatis a te, et gaudium illorum tecum transiit in coelum.

Ascendisti o Jesu mi, et in hac ascensione veritatem resurrectionis confirmasti, dum enim te ascendisse viderunt, resurgere potuisse firmius crediderunt. Ideo possum dicere: hanc fuisse veritatis omnium mysteriorum manifestationem et haec confirmabitur per supervenientem spiritum non post multos hos dies.

De his ego quoque gaudeo, sed adhuc sensibilius gaudere vellem de eo, quod te in me recoepi, quam si ascendere vidissem.

Sed quid dico, Domine parce mihi si a tua veritate aberro, errare tamen non puto. Nihil enim in ascensione Deo plus gloriae accessit, unde plus diligendi haberem argumentum, sed accessit mihi dilectionis solidum fundamentum, cum te ad me humiliare dignatus fueris.

Sensualis dilectionis potuisset esse causa visibilis ascensionis tuae spectaculum, sed nolo illa, quae ad sensus spectant, ideo peto a te illa, quae fidem concernunt, quia nolo plus videre, quam video; sed da semper plus credere, quam credo.

Quia fundamentum dilectionis tuae fides est, ideo vellem plus credere, ut te plus diligam, quia fidei perfectio est dilectio, ideo vellem te plus diligere, ut plus credam.

Nequeunt tenebrae meae cognoscere te, credere tamen in

et que je demeure dans la vérité : c'est-à-dire que toutes mes actions et toute ma vie vous rendent témoignage ô divine vérité.

Je me réjouis. Seigneur, et je voudrais me réjouir dans la vérité : car il n'y a point de joie véritable dans les choses qui sont feintes par le mensonge du monde.

Vos disciples se sont réjouis aujourd'hui, en vous voyant monter au ciel, de la manifestation de votre vérité. Ils ignoraient cette vérité dans votre passion : et ils se sont affligés : mais ils reçurent de vous l'esprit de vérité, et leur joie passa avec vous dans le ciel.

Vous êtes monté au ciel ô mon Jésus, et dans votre ascension vous avez confirmé la vérité de votre resurrection ; car en vous voyant monter ainsi avec tant de gloire, vos disciples crurent plus fermement que vous aviez pu ressusciter. C'est pour cela que je puis dire que c'a été la manifestation de la vérité des autres mystères ; et elle sera confirmée dans peu de jours par la descente du saint Esprit.

Je me réjouis aussi de tout cela ; mais je voudrais encore avoir une joie plus sensible de ce que je vous aie reçu en moi que si je vous avais vu monter au ciel.

Mais que dis-je, Seigneur, pardonnez moi si je m'écarte de votre vérité, je ne crois cependant pas me tromper. Car dans votre ascension il n'est pas revenu plus de gloire à Dieu qui me soit un sujet de l'aimer davantage, mais j'ai une solide raison de vous aimer, lorsque vous daignez vous humilier jusqu'à moi.

Le spectacle glorieux de votre ascension visible, aurait pu être le sujet d'un amour sensuel, mais je ne veux pas ce qui touche les sens : et c'est pour cela que je vous demande les choses qui concernent la foi, parceque je ne veux pas voir plus que je ne vois ; mais faites moi la grâce de croire plus que je ne crois.

Parceque la foi est le fondement de votre amour, je voudrais croire davantage afin de vous aimer davantage ; et parceque l'amour est la perfection de la foi, je voudrais vous aimer davantage, afin de croire davantage.

Mes ténèbres ne peuvent vous pénétrer, je n'aurais ce-

te non potuissem, nisi te modo intellectui meo proportionato cognovissem, et vere, quo plus te das cognoscere, plus te facis et diligere, qui enim te non diligit, non te cognoscit.

O Domine si ego hominibus loquerer, hanc notionem distinguerem, scio enim, quod et Daemon noscit te, non tamen diligit te : sed quid tibi opus est dicere, cum videas interiora mea ; quod ego non hanc sterilem notionem intelligam, sed illam, quam tu dare soles, ut diligaris.

Haec est illa veritatis intrinseca cognitio, in cujus incrementum obtinendum ego te sumpsi Jesu mi, qui veritas es, ut tecum unitus in spiritu tuo credam; cum enim illa dat credere, facit et diligere.

Dispone me, quaeso, ut spiritus, qui post non multos hos dies, posteaquam ascendisses, supervenit super discipulos tuos. superveniat et super me, supervenire enim est incrementum dare : quod idem est, quod confirmare ; peto igitur, ut me confirmes in veritate, ut eo plus confirmer in charitate.

Caput X.

Quidquid te egisse noscimus Deus, sunt adoranda, sunt magna, sunt denique digna te : ideo nolo comparare mysteria, ut illorum hoc aut illud majus esse dicam : cum tu, omnium illorum sis author et operator.

Perfecisti Jesu mi omne opus redemptionis nostrae, ascendisti in coelum, et tamen ecce adhuc ades in Sacramento, ad quod denuo accedere vellem.

Sunt magna, quae fecisti, sed quid dicam de eo, quod pro me toties facis ; hodie descensus Sancti Spiritus in Apostolos recolo memoriam, sed ecce vix tuam sentio in sacramento praesentiam.

O sensus mei vos estis, qui fallimini, et qui me fallitis, sed si veritatem videre possetis, carnales non essetis.

Non vestri hic opus mihi est ; mallem enim tantisper, vos

pendant jamais pu croire en vous, si je ne vous avais connu d'une manière proportionée à mon entendement; et véritablement, plus vous vous faites connaître, plus vous vous faites aimer: car celui qui ne vous aime pas, ne vous connaît pas.

Si je parlais à des hommes Seigneur, je distinguerais cette notion: car je sais que le Démon vous connaît et ne vous aime pas. Mais qu'est-il besoin de vous dire. puisque vous voyez mon intérieur: que je n'entende pas par là une notion stérile, mais celle que vous donnez pour vous faire aimer.

C'est là cette connaissance intérieure de la vérité. c'est pour en obtenir l'accroissement que je vous ai reçu ô mon Jésus, qui êtes la vérité même, afin qu'uni avec vous dans votre esprit je croie, puisque quand il fait croire il fait aimer.

Disposez moi je vous prie Seigneur, afin que cet esprit saint qui peu de jours après votre ascension descendit sur vos disciples, descende aussi sur moi, descendre c'est donner de l'accroissement, ce qui est le même que confirmer: je vous demande donc, que vous me confirmiez dans la vérité, afin que je sois plus confirmé dans la charité.

Chapitre X.

Tout ce que nous connaissons que vous avez fait ô mon Dieu est adorable, est grand. est digne de vous; c'est pour cela que je ne veux pas comparer ensemble les mystères et dire que celui-ci ou celui-là est plus grand, car vous êtes l'auteur et le consommateur de tous.

Vous avez acheve ô mon Jésus l'ouvrage de notre redemption, vous êtes monté au ciel, et cependant vous êtes encore présent dans la Sacrement adorable dont je voudrais derechef m'approcher.

Ce que vous avez fait est grand, mais que dirais-je de ce que vous faites si souvent pour moi: je célèbre aujourd'hui la mémoire de la descente du St. Esprit sur les apôtres. mais voilà qu'à peine je sens votre présence dans votre Sacrement.

Ô mes sens c'est vous qui vous trompez et qui me trompe. mais si vous pouviez voir la vérité, vous ne seriez plus charnels.

Je n'ai pas besoin ici de vous. car j'aimerais mieux vous

inimicos meos seponere; ut plus degustarem diligendo, quod mihi exhibetis manducando.

Videt te Jesu mi fides mea, et hoc mihi sufficit, adest ad te summendum voluntas, sed haec mihi non sufficit; quia te necdum satis diligit.

Dederas apostolis tuis spiritum sanctum, sed ut manifestaretur distincta personarum divinarum realitas, hodie missus est: ut veritatem, quam illos docuisti, confirmaret per charitatem.

Hactenus fuerunt arundines discipuli tui: per hunc spiritum charitatis firmati sunt in columnas: quas omnis hominum sevitia subvertere nequivit.

Peterem a te hunc spiritum. sed ecce tecum, in te, et per te tu mihi offers illum: non de eo agendum est igitur mihi, ut plus petam, quam quod mihi dare dignaris, sed ut te, modo tibi placito, recipiam.

Nescirem te, si praeter te aliquid petendum superesse putarem, sed non noscerem me, si te dignum reddere posse; crederem me.

Non, non Domine: absit a me haec praesumptio; hinc, seu cogitem, quid sumpturus sum, seu me reflectam, quid sum, deficiam, nisi tu confortaveris me

Quid possum igitur; nisi, ut me tibi exhibeam in humilitate, ut, te adjuvante, crescam in charitate.

O anima mea! quousque subsistes in frigiditate tua? ecce ignem charitatis, spiritum veritatis, Deum tuum suscepisti, et ecce ego tam frigidus, tam hebes, tam aridus sum, quamvis tu sis in me, Domine.

Non sunt haec objecta proportionata sensibus tuis o caro, sedes corruptionis, et esca vermium, et ideo non cadunt in illos; et propterea cor quoque hoc meum carneum friget et alget.

éloigner pour un peu de temps comme mes ennemis, afin que je goûtasse davantage par l'amour ce que vous me présentez en le prenant.

Ma foi vous voit ô mon Jésus et cela me suffit : ma volonte est présente pour vous recevoir. mais elle ne me suffit pas parcequ'elle ne vous aime pas encore assez.

Vous aviez donné votre esprit saint à vos apôtres, mais afin que la distincte réalité des personnes divines fut manifestée, cet esprit de vérité a été aujourd'hui envoyé pour confirmer en eux par la charité. la vérité que vous leur aviez apprise.

Jusqu'ici vos disciples ont été des roseaux flexibles à tous les vents : mais fortifiés par cet esprit de charité ils sont devenus des fermes colonnes que toute la malice des hommes n'a pu ébranler.

Je vous demanderais cet esprit de force, mais voilà que vous me l'offrez avec vous, en vous et par vous : il n'est donc pas question de vous demander plus que ce que vous daignez me donner, mais que je puisse vous recevoir d'une manière qui vous soit agréable.

Je ne vous connaitrais pas si je croyais qu'il y eut quelque chose à demander hors de vous, mais aussi je ne me connaitrais pas si je croyais pouvoir me rendre digne de vous.

Non, non, Seigneur : loin de moi cette présomption : et soit que je considère ce que je dois recevoir, ou que je réfléchisse sur ce que je suis, je défaillerai si vous ne me fortifiez.

Que puis-je donc ; que de me présenter à vous dans toute l'humilité possible, afin que par votre grâce je croisse dans la charité.

Ô mon âme! jusqu'à quand resterez vous dans votre froideur? voilà que vous venez de recevoir votre Dieu, ce feu de la charité, cet esprit de vérité, et je suis cependant si froid, si hébété, si aride, quoique vous soyez en moi, Seigneur.

Ce ne sont pas là des objets proportionnés à vos sens, ô ma chair, siège de corruption et pâture de vers, et c'est pour cela que ces objets ne tombent pas sous vos sens et que c'est aussi pour cela que mon cœur de chair est aussi pénétré de froid.

Examino igitur me et inquiro, in qua dispositione sum, ecce postquam sumpsi te, cum nec suspiria, nec morosos gemitus, teneritudinis lacrymas, nec pia et ferventia desideria producere sciam: quid dicam tibi Domine, aliud? quam, quod sentiam me velle, quod vis; nec unquam volenter recedere velle ab illis, quae praecipis.

Hoc possum dicere tibi Domine, et hoc tu vides in me, hanc voluntatem enim, et hanc dispositionem tu dedisti mihi: quia non caro et sanguis dictat mihi velle, quod vis.

Vellem Domine omni vita mea semper id agere, et ita agere, prout tibi magis placitum esse credo; quamvis illa repugnent mihi; et in hac simplici protestatione, et dispositione voluntatis meae, exhibeo me tibi Domine.

Respice simplicitatem meam, adauge charitatem meam: non ut suspirem, gemam et fleam extrinsece, sed ut peragam illa, quae praecepisti mihi, et illa, ad quae ordinaveris me modo tibi placito.

Sed tu plasmasti me Deus, tu finxisti et cor hoc carneum et sensus meos; justum esset, ut et illi praestarent gloriam tibi, et adorationis et amoris homagium exhiberent.

Sed hoc quoque vides, quod pauper illa anima mea, cui velle dedisti sequi te, hoc quoque vellet, ut nihil esset in habitatione sua, quod tibi non praestaret gloriam: unde procedit ergo haec extrinseca insensibilitas mea? vellem omnes teneritudinis affectus exhibere tibi, et ecce nequeo.

Tuum est movere corpus, o anima, nec secus movebitur sensuationis machina: in te ergo est haec frigiditas, non in organisatione et animalitate corporis mei.

Hinc video, quod tumet ipsa velis, sed nec dum possis; nec dum recepit enim potentia tua intellectualis impressionem illam vivam fidei, quae praesentiam Dei sentire facit.

Divagatur intellectus, et memoria per inania, quamvis non amet ea; et quaerit mendacium, et hinc vides, quid desit

Je m'examine donc et je recherche dans quelle disposition je suis après que je vous ai reçu, puisque je ne saurais produire ni des soupirs ni des gémissements d'amour, ni des larmes de tendresse, ni de pieux et fervents désirs : que vous dirai-je autre chose Seigneur ? si ce n'est que je sens que je veux ce que vous voulez, et que je ne veux jamais de bon gré m'éloigner de vos préceptes.

Je puis vous dire cela Seigneur, et vous le voyez en moi, puisque c'est vous qui m'avez donné cette volonté et cette disposition : et que ce n'est ni la chair ni le sang qui me suggère de vouloir ce que vous voulez.

Je voudrais, Seigneur, ne faire que cela dans ma vie, et le faire de la manière que je vous crois agréable : quoique cela me répugne ; et dans cette simple protestation et disposition de ma volonté je me produis tout entier devant vous.

Regardez ma simplicité, augmentez ma charité, non pour que je soupire, je gémisse, je pleure au dehors, mais pour que j'accomplisse d'une manière qui vous soit agréable, ce que vous m'avez commandé, et à quoi vous m'avez destiné.

Vous m'avez créé ô mon Dieu, vous m'avez formé mon cœur charnel et mes sens ; il serait donc juste qu'ils vous rendissent la gloire etl'hommage d'adoration et d'amour qui vous est dû.

Mais vous voyez cela même, que cette pauvre âme, à qui vous avez donné la volonté de vous suivre, le voudrait aussi, afin qu'il n'y eut rien dans son habitation qui ne vous rendit gloire : d'où vient donc cette insensibilité extérieure qui est en moi ? je voudrais vous montrer tous les mouvemens de tendresse, et je ne le puis.

C'est à vous à mouvoir mon corps, ô mon âme, car autrement cette machine de sensation ne se remuera pas : c'est donc en vous qu'est cette froideur, et non dans l'organisation et l'animalité de mon corps.

Je vois par là ce que vous voulez et ne pouvez pas : car votre puissance intellectuelle n'a pas encore reçu cette impression vive de la foi qui fait sentir la présence de Dieu.

Mon entendement et ma mémoire s'égarent dans des choses frivoles quoiqu'ils ne les aiment paset recherchent le qu'elle

mihi, et quam exigua portio mei sit in me, quae, te misericorditer adjuvante, vult amare te.

Deest igitur mihi vere multum: ut amem te multum Domine; sed nec parum mereor, non ut multum audeam petere te; qui igitur das paupertatem meam in humilitate profiteri, pete per me, pro me: ut possim semper plus et plus amare te.

Caput XI.

Ecce me in conspectu tuo, o Deus trinus et unus! creatura tua foelix in quantum facultate te noscendi praedita sum, infoelix, quia te diligere non semper fecisti.

Quanta fuit miseratio tua in me, quanta fuit et est ingratitudo mea erga te!

Haec mihi repraesentant totius vitae meae cursum; quia tu omnia circa me acta disponebas, ut salvares me; ego autem illis abutebar et provocabam te, ut damnares me.

Non, quod noluerim, quod voluisti, sed quia ea agebam, quae noluisti, quin, ne facerem, prohibuisti.

O incomprehensibilis providentia, quae mihi esse dedisti, sed antequam essem, de me decrevisti: ecce me coram te, quid me vis fieri?

Dum te non amavi carnis prudentiam sequens, tu me ducebas, quo nolebam, et ecce quam bonum est, quod humiliasti me, ut sequar justificationes tuas.

Te ignorare fatui est; tibi contrariari velle, filiorum mundi est; te sequi, pax gaudium et tranquillitas est; velle, quod vis, beatitudo est.

Omnis hominum multitudo te sequitur, seu ignoret te, seu contrarietur tibi, sed quia ambulat in tenebris, nescit, quo

mensonge. Je vois par là ce qui me manque, et combien est petite en moi la portion de moi-même, qui par un effet de votre miséricorde, veut et voudrait vous aimer.

Il me manque donc véritablement beaucoup pour que je vous aime beaucoup ; mais puisque je ne mérite pas le peu, comment pourrais-je vous demander le beaucoup : vous donc qui me faites la grâce de confesser en toute humilité mon indigence, demandez par moi, pour moi, afin que je puisse toujours vous aimer de plus en plus.

Chapitre XI.

Me voilà en votre présence ô Dieu qui êtes parfaitement un dans la Trinité des personnes ! Je suis votre créature heureuse en tant que vous m'avez donné la faculté de vous connaître ; malheureuse parceque vous ne lui avez pas toujours donné le pouvoir de vous aimer.

Que votre miséricorde a été grande à mon égard ! Que mon ingratitude a été et est encore grande envers vous.

Tout cela me représente la carrière de ma vie parceque vous disposiez tout ce qui me regardait pour me sauver, et j'en ai abusé, et ai provoqué votre justice pour me damner.

Non que je n'aie pas voulu ce que vous vouliez, mais parceque je faisais ce que vous ne vouliez pas, et ce que vous m'aviez défendu de faire.

Ô providence incompréhensible, qui m'avez donné l'être, et avant que je fusse aviez formé vos décrets éternels sur moi ; me voici devant vous, que voulez vous faire de moi ?

Tant que je ne vous ai pas aimé en suivant les maximes d'une prudence charnelle, vous me conduisiez où je ne voulois pas, et voilà combien m'est avantageux que vous m'aiez humilié afin que je suive votre justice.

Il n'appartient qu'aux hébétés de vous méconnaître ; qu'aux enfans du siècle d'être opposés à vous ; mais vous suivre, c'est la paix, la joie et la tranquilité de l'âme. Vouloir ce que vous voulez, c'est la béatitude.

Toute la multitude des hommes vous suit, soit qu'elle vous méconnaisse, soit qu'elle vous soit opposée ; mais parcequ'elle marche dans les ténèbres, elle ne sait où elle est conduite lors-

ducitur, dum finem a prudentia sua propositum non assequitur; unde creatur filiorum mundi turbatio.

Sed qui volenter sequitur, ambulat in lumine; quia vivit in fide: et quia nullum sibi finem, praeter illum, quem tu decrevisti, proponit, omnia caetera, tanquam modos ad illum perveniendi considerans, non quaerit, non desiderat illos, sed finem.

O vera providentiae Dei via Jesu mi, qui veritas, et via es, per te pervenire, tecum ambulare, in te vivere oportet eum, qui finem decretorum, seu creationis suae, assequi desiderat.

Finis in quem me creasti, o sacro sancta Deitatis Trinitas! gloria tua est; et ad hanc ducit omnes homines providentia tua. Nolentes compellit justitia, volentes trahit misericordia: ut haec et illa glorificentur in te.

Compulit me justitia, per te me trahit misericordia Jesu mi, ut glorificem patrem, cujus voluntatem sequens, me illam sequi docuisti.

Te igitur sumere, et in ducem assumere volo; ut tecum et per te ambulem per viam voluntatis patris, cunctis diebus vitae meae.

O Domine! quod si nullam aliam beatitudinem, nullum alium finem statuisses mihi, praeter hanc gratiam participationis temporalis, et manducationis corporis tui: superasset omne meritum hominis; sed longe altior est beatitudo, quam destinasti diligentibus te, in qua veritas, quam sumpsi, communicabit et gloriam suam homini.

Exurge, o anima mea! excute tepiditatem tuam, ama Deum tuum, quia Deus est, ama Salvatorem tuum, quia amavit te.

Languent sensus mei corporei, sed voluntas mea, fac, ut suppleat, quod his deest: velle enim sequi te, velle pervenire in finem, in quem creasti me; est amare te, Deus.

qu'elle n'atteint pas au but que la prudence humaine s'était proposée et de là dérivent les troubles si ordinaires parmi les enfans du siècle.

Mais celui qui vous suit de bonne volonté marche dans votre lumière parcequ'il vit dans la foi; et parcequ'il ne se propose d'autre fin que celle que vous avez résolu sur lui, et ne considère tout le reste que comme des moyens pour y parvenir; il ne les cherche pas, il ne les désire pas; mais seulement la fin à laquelle il tend.

Ô mon Jésus la véritable voie de la providence de Dieu, qui êtes la vérité et la voie, celui qui désire atteindre à la fin des décrets éternels ou de sa création, doit y parvenir par vous, marcher avec vous, vivre en vous.

La fin pour laquelle vous m'avez créé ô très-sainte Trinité, n'est autre que votre gloire, et c'est à elle que votre providence conduit tous les hommes. Votre justice y contraint ceux qui ne veulent pas: votre miséricorde attire ceux qui sont de bonne volonté, afin que l'une et l'autre soient glorifiées en vous.

Votre justice m'a poussé, ô mon Jésus, votre miséricorde m'attire par vous, afin que je glorifie le père céleste: dont vous m'avez appris à suivre la volonté, en la suivant vous-même.

Je veux donc vous prendre pour guide; afin qu'avec vous, et par vous je marche dans la voie de la volonté de votre père tous les jours de ma vie.

Ô Seigneur, quand même vous n'auriez donné à l'homme d'autre béatitude, d'autre fin que cette grâce de la participation temporelle, et de la manducation de votre corps; elle surpasserait tout le mérite de l'homme, mais vous avez reservé à ceux qui vous aiment une félicité bien plus grande, dans laquelle la vérité que je viens de recevoir communiquera sa gloire à l'homme sans ces voiles qui nous la dérobent maintenant.

Levez vous, ô mon âme, secouez votre tiédeur, aimez votre Dieu, parcequ'il est Dieu, aimez votre Sauveur parcequ'il vous a aimé le premier.

Mes sens corporels languissent, mais vous ma volonté, suppléez à ce qui leur manque: car vouloir vous suivre, vouloir parvenir à la fin pour laquelle vous m'avez créé, c'est vous aimer, ô mon Dieu.

Non praemia tua volo et desidero, sed temetipsum; non beatitudinem qua finem opto, sed te in beatitudine.

Sed o Deus tibi soli nota sunt decreta tua, quae formasti de me, ergo spero et confido in misericordia tua, sed da mihi amare te, ad minimum dum vixero, si te in aeternum amare non potero.

Quod si enim, et in aeternum damnaveris me, gloria justitiae tuae manifestabitur in me, qui toties promeritus fui, ut rejiceres me.

Multa fecisti mecum et pro me, nec igitur gloriae misericordiae tuae deerit quidquam in me, etiam si reprobaveris me.

Nihil debes igitur mihi, o Deus, sed ego omnia debeo tibi, hinc quidquid feceris mecum, non possum, nec volo contestari tecum; sed humiliare me sub potenti manu tua, adorans abyssum judiciorum, et profunditatem scientiae tuae.

Hinc semper peterem diligere te, etiam si non salvares me; quia ad hoc creasti me, ut diligam te.

Horrerem, Domine, dum considero infirmitatem meam; quia in momento amittere possum, quidquid a te est in me, reincidere in vacuum, inanitatem meam; sed non timeo, quia tu Deus meus es.

Nunquam caret horrore dilectio, sed timoris ignara est, horreo enim, dum me respicio, sed quia spero, dum ad te recurro; non timeo : quia me tibi trado.

O Sanctissima Dei voluntas semper igitur adimplearis in me, et hoc volendo : fac, ut ego vivam, et moriar diligens te.

Caput XII.

Recessi a te Deus, o summum bonum animae meae, et heu quoties recessi, sed quia recessi, ideo cupio denuo accedere

Ce n'est pas vos récompenses que je veux et que je désire, mais vous-même : je ne souhaite pas la béatitude comme ma fin, mais vous dans la béatitude.

Mais ô mon Dieu vous seul connaissez les décrets éternels, que vous avez formés sur moi, toute mon espérance et ma confiance est dans votre miséricorde, faites moi la grâce de vous aimer du moins pendant que je vivrai, si je ne puis vous aimer éternellement.

Car quand même vous me condamneriez éternellement, la gloire de votre justice serait manifestée en moi qui ai si souvent mérité que vous me rejettiez.

Vous avez beaucoup fait avec moi et pour moi, et il ne manquera rien en moi pour glorifier votre miséricorde, quand même vous me reprouveriez.

Vous ne me devez donc rien ô mon Dieu, mais je vous dois tout, je ne puis ni ne veux donc contester avec vous ce que vous faites avec moi; mais m'humilier sous votre main toute puissante en adorant l'abime impénétrable de vos jugemens, et la profondeur de votre science.

Je demanderais donc toujours de vous aimer; quand même vous ne me sauveriez pas, parceque vous m'avez créé afin que je vous aime.

J'aurais horreur ô mon Dieu en jettant les yeux sur ma faiblesse : puisqu'en un moment je peux perdre tout ce qu'il y a de vous en moi et retomber dans mon vide et mon néant qui est en moi, mais je ne crains rien parceque vous êtes mon Dieu.

L'amour n'est jamais sans horreur, mais elle est sans crainte, car j'ai horreur quand je me regarde, mais parceque j'espère lorsque j'ai recours à vous, je ne crains plus en m'abandonnant entièrement à vous.

O très-sainte volonté de Dieu soyez toujours accomplie en moi, et ne voulant que cela : faites que je vive et meurs dans votre amour.

Chapitre XII.

Je me suis éloigné de vous ô Dieu le souverain bien de mon âme, et combien de fois hélas! m'en suis-je éloigné. Et

ad te, recessus enim meus non fuit recessus voluntatis, sed fragilitatis meae.

Nondum possum, quae volo, et heu quando potero! cum status ille beatus excedit vires infirmitatis meae.

Effectus bonitatis tuae est, quod velim illa, quae legi tuae conformia sunt, sit, quaeso, effectus charitatis tuae, ut et illa exequar, quae voluntati tuae placent.

Saepe devio ab illis, quae propono, quia te necdum satis diligo; saepe agenda tepide exequor; quia, quae tua sunt, non ferventer appeto.

Ignoro, o Domine, num plus possem, quam volo, vel plus volo, quam possum : velle enim et posse tuum donum est; sed nec hoc nec illud peto, prout oporteret : et ideo indignus sum obtinere, quod tam frigide desidero.

O medicina animae meae sacro sanctum altaris sacramentum! quod excellentius remedium possem reperire, si te esuriens sumerem, et ad te sumendum tantis sordibus plenus non accederem?

Tu me mundas, et ego me maculo, tu me pascis, sed ego te necdum esurio.

O deliciae amantis animae, taederet me vitae meae; si tua voluntas non esset, ut viverem, et si tu Jesu mi, non invitares ad te sumendum, accedere non praesumerem.

Ecce igitur me praesentabo ad altare tuum, ut institutionis tanti sacramenti recolam memoriam, et ut te manducando charitatis tuae incrementum percipiam.

Manducabo de mensa tua, ut plus esuriam, ecce te adjuvante facio, quod possum, ut plus posse obtineam.

Respice me jejunum, et tam parum esurientem; respice me amare volentem, sed te necdum satis diligentem; miserere mei te volentis, sed te necdum sat sedule quaerentis.

Non sunt retia voluptatis, quibus capior, sed heu quot

c'est à cause de cela que je souhaite m'approcher de nouveau de vous ; car mon éloignement n'a pas été un éloignement de volonté, mais de fragilité.

Je ne puis pas encore ce que je veux, et quand le pourrai-je hélas ! puisque cet état heureux surpasse les forces de mon infirmité.

C'est un effet de votre bonté de ce que je veux ce qui est conforme à votre loi : que ce soit aussi je vous prie, un effet de votre charité que j'accomplisse ce qui vous est agréable.

Je m'écarte souvent de ce que je me propose parceque je ne vous aime pas encore assez ; j'agis souvent avec tiédeur, parceque je ne me porte pas avec ardeur à ce qui vous regarde.

J'ignore Seigneur, si je puis plus que je ne veux, ou si je veux plus que je ne puis ; car le vouloir et le pouvoir est un don de vous, mais je ne demande ni l'un ni l'autre comme il faudrait ; et c'est pour cela que je suis indigne d'obtenir ce que je désire si froidement.

Ô médecine de mon âme, très-saint sacrement de nos autels ! quel plus excellent remède puis-je trouver si je veux recevoir avec faim, et si en m'approchant de vous, je n'étais pas souillé de tant d'ordures.

Vous me purifiez et je me salis, vous me nourrissez, mais je n'ai pas encore assez de faim de vous.

O délices de l'âme qui vous aime, je m'ennuierais de ma vie, si votre volonté n'était pas que je vécus, et je n'aurais pas la présomption de m'approcher pour vous recevoir ô mon Jésus, si vous-même ne m'y invitiez.

Voilà donc que je me présenterai à votre autel pour célébrer la mémoire de l'institution de ce grand sacrement et pour recevoir un accroissement de charité en vous prenant.

Je mangerai donc à votre table pour avoir encore plus de faim ; voilà que par votre grâce je fais ce que je puis pour obtenir de pouvoir davantage.

Regardez moi qui suis à jeun et qui ai si peu de faim : regardez moi qui veux vous aimer, mais qui ne vous aime pas encore assez : ayez pitié de moi qui vous veux, mais qui ne vous cherche pas encore avec assez d'empressement.

Ce n'est pas les filets de la volupté qui m'arrètent, mais

laquei fragilitatis, in quibus invitus omni momento illaqueor!

Talis sum, qui me tibi praesento, ut me talem efficias, qualem esse vis, ut placeam tibi, da mihi tuam gustare suavitatem, planta in cor meum tuam charitatem.

Deus salvator meus, qui tantum sacramentum, tantae charitatis tuae in nos documentum, tam miro ordine instituisti, quam incomprehensibilia sunt opera tua, quam inenarrabilis est miseria mea.

Tu te mihi das, et venis in me, qui charitas es, ego te recipio, et ecce necdum igne amoris tui incalesco.

Pignus est futurae gloriae, quod sumpsi, euge anima mea: non amorem sentire, sed opera dilectionis operari posse desidera; nec enim amorem sentienti, sed ex amore operanti promittitur gloria.

Qui facit mandata tua, ille est, qui diligit te, dicis Domine; fac igitur me illa facere, non dilectionem amorose sentire.

Amare te volo propter te, sed esset amare te propter me, si sensibilia mihi peterem propter suavitatem, quam sentire non huius miserae vitae est.

Non, non Domine prout fecisti, ita et ego facere debeo; tu multa passus es, heu non te sequor, cum pati recuso!

Sentiam igitur charitatis tuae suavitatem in patiendo, qui illam mihi patiendo demeritus es, pati enim lubenter, est amare te ferventur.

Proba igitur renes meos, sed ure cor meum, flagella me sed da posse pati, et sequi te.

Auge in me fidem, quae suavia reddit omnia flagella, et visitationes tuas per spem gloriae, quae revelabitur in nobis.

Hinc quomodo possent flagella dici illa, quibus me ideo purgas, ut haereditatis tuae participem facias.

hélas qu'il y a de piéges de ma fragilité dans lesquels je tombe à tout moment sans le vouloir !

Je suis tel, et je me présente à vous pour que vous me rendiez tel que vous voulez que je sois pour vous plaire : faites moi la grâce de goûter votre douceur, plantez dans mon cœur votre charité.

Ô Dieu mon sauveur, qui par un ordre si admirable avez institué ce sacrement comme un monument perpétuel de votre charité envers nous : que vos œuvres sont incompréhensibles, que ma misère est inexprimable.

Vous vous donnez à moi, et vous venez en moi, vous qui êtes la charité même, je vous reçois et je ne suis pas encore échauffé du feu de votre amour.

Ce que j'ai pris est un gage de la gloire future, courage mon âme : désirez non de sentir l'amour, mais de pouvoir faire des œuvres d'amour ; car la gloire n'est pas promise à celui qui sent l'amour, mais à celui qui opère par amour.

Celui qui garde vos préceptes, est comme vous dites vous-même celui qui vous aime ; faites les moi donc garder, Seigneur. plutôt que de sentir de tendres mouvemens d'amour.

Je veux vous aimer pour vous-même, mais ce serait vous aimer pour moi si je demandais des douceurs sensibles : qu'il n'appartient pas à cette misérable vie de ressentir.

Non non, Seigneur, je dois faire comme vous avez fait : vous avez beaucoup souffert, hélas ! je ne vous suis pas lorsque je refuse de souffrir !

Que je ressente donc la douceur de votre charité en souffrant pour vous qui me l'avez méritée par vos souffrances; car souffrir de bon cœur est vous aimer avec ardeur.

Éprouvez donc mes reins, mais enflammez mon cœur, châtiez moi, mais faites moi la grâce de pouvoir souffrir et vous suivre.

Augmentez en moi la foi qui rend doux et agréables les châtimens par lesquels vous nous visitez : dans l'espérance de la gloire qui sera manifesté en vous.

Ainsi comment peut on appeler des fléaux les croix par lesquels vous me purifiez pour me rendre participant de votre héritage.

Nec mundani honores acquiruntur sine asperis, in quibus saepe sectatores mundi gloriantur, et duras occasiones merendi desiderant, da igitur charitatem, ut lubens patiar, da pati, ut ad te pervenire merear.

Caput XIII.

Peccavi o Domine, et malum coram te feci, et hic fuit fructus necessitatis status mei: esse et agere cum hominibus!

Veri inimici hominis domestici eius, hi sunt, qui motum indignationis meae et provocaverunt et causaverunt, in quo praesentiae tuae oblitus; feci: quae fecisse poenitet.

Confiteor tibi Domine, et prout dimisi, ita a te delictum meum dimitti cupio.

Vident imperfectum meum oculi mei, sed tu, qui plicas cordis mei scrutaris, non opus habes narratione, sed ego opus habeo multo dolore et poenitentia.

Jumentum tuum sum Domine, bajulo onus miserae conditionis meae, et ecce tot speciei, et tam multis delictis oneratus praesentabo me sacerdoti tuo: ut ab onere liberer et a lepra mea munder.

Est lepra in me Domine: alia candida, per totum corpus diffusa, et haec est concupiscentia; nec me separat a consortio tuo, est enim lepra munda, quia concupiscentia non est peccatum. Sed lepra maculosa quoque serpit in domo carnea animae meae, sed quia non est in me seu in voluntate mea: propterea non me separat a consortio tuo.

Domine salvator meus, si vis potes me mundare, et quia te velle scio: propterea ad te accedere praesumo.

Ecce me monstravi sacerdoti, judicavit de lepra mea: accedo proinde, ut sacrificem tibi, et participem de victima sacrificii mei, et tui.

On n'acquiert pas sans peine les honneurs du monde, dont les sectateurs se glorifient souvent de leur travaux et recherchent des occasions difficiles de mériter, donnez moi donc la charité pour souffrir de bon cœur, faites moi souffrir pour mériter de parvenir jusqu'à vous.

Chapitre XIII.

J'ai péché, Seigneur, et j'ai fait le mal en votre présence, et çà été le funeste fruit de la nécessité où mon état me reduit d'être et d'agir avec les hommes.

Les véritables ennemis de l'homme sont ses domestiques : ce sont eux qui ont excité en moi des mouvemens d'indignation par lesquels oubliant votre présence j'ai fait ce que je me repens d'avoir fait.

Je vous le confesse, Seigneur, et comme j'ai pardonné de même je vous demande le pardon de ma faute.

Mes yeux voyent mon .imperfection, mais vous qui pénétrez les replis de mon cœur, n'avez pas besoin d'un plus grand détail, mais j'ai besoin moi de beaucoup de douleur et de pénitence.

Je suis, Seigneur, votre jument, je porte le poids de ma misérable condition, et voilà que chargé de tant de péchés de différentes espèces, je me présenterai à votre prêtre pour être déchargé de mon fardeau et purifié de ma lèpre.

Il y a en moi une autre lèpre, Seigneur, blanche et répandue par tout le corps, et c'est la concupiscence : elle ne me sépare pas de votre compagnie, car c'est une lèpre pure parceque la concupiscence n'est pas un péché. Mais il y a aussi dans l'habitation charnelle de mon âme deux taches lépreuses, mais parcequ'elles ne sont pas en moi c'est-à-dire dans ma volonté, elles ne me séparent pas de vous.

Ô Dieu mon sauveur, si vous voulez vous pouvez me purifier, et parceque je sais que vous le voulez, j'ai la confiance de m'approcher de vous.

Voilà que je me suis montré au prêtre, il a jugé de ma lèpre : je m'approche donc pour vous offrir un sacrifice afin que je participe à la victime de votre sacrifice qui est aussi le mien.

Ego te offero per sacerdotem cum Ecclesia, ut tu me offeras patri cum illa : hinc venio, ut de altari tuo participem.

Tu, qui victima mea factus es, fac, ut ego fiam victima tua ; amor tuus erga me, ecce te offert mihi, da, ut amor meus erga te, me offerat tibi.

Ne respice Jesu mi tepiditatem meam, sed respice in me illa, quae a te sunt, quia tibi grata esse non possunt, quae a me procedunt : sed quae te adjuvante per me fiunt.

Offero tibi Domine affectum et fervorem sanctorum tuorum hodie in toto orbe, modo tibi placito, et sincero, devoto, ac ardenti corde communicantium : qui quoniam donum est infinitae misericordiae, et signum specialis gratiae tuae, ego illum praestare nequeo tibi, donec hoc dederis mihi.

Vocasti me Domine, animasti me, ut reciperem te, ecce factus sum particeps convivii tui. Manducavi te, noli judicare, sed dignare salvare me.

Dispone me, quaeso, ut tandem immunis esse possim ab illis, quae tibi summe displicent in me.

Scio, quod in hoc mortali corpore nequeam placere tibi : quod enim placere posset, non meum est, sed tuum, quia a te mihi indigno datum.

Verum est Domine, quod tecum operer, quae bona sunt, sed quia tu es causa causati : illa quoque tua sunt.

Non, non, Domine, non mihi sed tibi competit omnis gloria et laus ex illis, quae ego pauper et egens te adjuvante facio ; nam justum est, ut creatura nihil habeat, quod a creatore non recepit.

Pascis me corpore tuo, cumulas me tantis beneficiis quotidie, et haèc quare? profecto non quia mereor, sed quia tu Deus es.

Tu solus es, qui es, et quia talis es, tu solus bonus es.

Nequis tu, qui solus bonus es, nisi pro bono fine agere,

Je vous offre par le prêtre avec l'Église, afin qu'avec elle vous m'offriez à votre père : c'est pour cela que je viens participer à votre autel.

Vous qui vous êtes fait ma victime, faites que je devienne aussi la vôtre : votre amour envers moi vous offre à moi, faites aussi que mon amour envers vous m'offre à vous.

Ne regardez pas ma tiédeur ô mon Jésus, mais regardez en moi ce qui est de vous, parceque ce qui vient de moi, ne saurait vous être agréable : mais ce que je fais avec votre secours.

Je vous offre, Seigneur, le zèle et la ferveur de vos saints qui communient aujourd'hui dans tout le monde d'une manière qui vous est agréable, et avec un cœur sincère plein d'ardeur et de piété : et comme ce zèle est un don gratuit de votre infinie miséricorde, et un signe d'une grâce spéciale, je ne puis m'en acquitter envers vous, si vous ne me favorisez de ce don.

Vous m'avez appellé, vous m'avez animé pour vous recevoir; j'ai été admis à votre banquet; je vous ai mangé, ne me jugez pas, mais daignez me sauver.

Disposez moi, je vous prie, Seigneur, pour que je puisse enfin être exempt de ce qui vous déplait souverainement en moi.

Je sais que dans ce corps mortel je ne puis vous plaire : car ce qui pourrait vous plaire, n'est pas de moi, mais de vous, ayant été donné par vous à moi tout indigne que j'en suis.

Il est vrai ô mon Dieu que j'opère avec vous ce qui est bon, mais parceque vous êtes la cause des effets, ils sont aussi à vous.

Non non, Seigneur, ce n'est pas à moi mais à vous seul que revient toute la gloire et la louange de ce que je fais avec votre secours, pauvre et indigent que je suis : car il est juste que la créature n'ait rien qu'elle n'ait reçu du créateur.

Vous me nourrissez de votre corps, vous me comblez de tant de bienfaits tous les jours, et cela pourquoi? sans doute ce n'est pas parceque je le mérite, mais parceque vous êtes Dieu.

Vous êtes seul celui qui est, et comme tel vous êtes seul bon.

Vous ne pouvez vous, qui êtes seul bon à agir que pour

sed quia nihil bonum praeter te, ideo justum est, ut omnia agas propter te.

Unde ergo gloriabor nisi ex tuo, et quid petere audebo, cum mihi nihil debeas?

Sic se haec habent in pondere sanctuarii ponderata, et hinc ego video, quod cum tu mihi nihil debeas, ego omnia debeam tibi: et propterea nihil debeam velle, nisi quod tu vis.

Hoc est debitum meum erga te, cum omne bonum facias mecum propter te, et ideo amas me, quia te amas in me propter te.

Tu es Deus, qui indignitatem meam sic reddis dignam te, et efficis objectum amoris tui, dum ego unus sum tecum in voluntate; quod si enim recedo a te, non amplius amas te in me, quia recedendo a te, redeo ad me, et reincido in nihilum meum; et hoc solum peto, quia vis, ut petam a te, ne redeam ad me, ut sit gloria tua in me; nunc et in aeternum.

Caput XIV.

Viator sum in via, curro in stadio, o quam gravis est sarcina, quae me ambulare praepedit, currere non permittit!

Quoties ad te, o meta desideriorum in carne viventis animae SS. Eucharistiae sacramentum sumendum recurro, ut melius curram in hoc stadio vitae meae: nec tamen curro, sed repo.

Non mundi illecebrae, non carnis opera me gravant, est tamen in me aliquid, quo ponderum ad instar circumdatus aggravor, in cursu praepedior.

Non me delectat hominum conversatio, sed nec semper lubet verbi tui lectio, et quam saepe piget ejus meditatio.

Jam me somnus opprimit, jam ariditas hebetat, exilia et propemodum nugae distrahunt, quas non amo; iis tamen, quae tua sunt, saepe me praeferre reperio.

une bonne fin ; mais parcequ'il n'y a rien de bon hors de vous, il est juste que vous fassiez tout pour vous-même.

De quoi me glorifierai-je donc que du vôtre, et qu'oserai-je demander puisque vous ne me devez rien ?

Tout cela est ainsi pesé au poids du sanctuaire, et je vois par là que puisque vous ne me devez rien je vous dois tout ; et qu'ainsi je ne dois rien vouloir que ce que vous voulez.

C'est là ma dette envers vous, puisque vous faites tout le bien avec moi pour vous, et vous m'aimez parceque vous vous aimez en moi pour vous-même.

C'est vous, mon Dieu qui rendez ainsi digne de vous mon indignité et en faites l'objet de votre amour lorsque je ne suis qu'un avec vous dans la volonté ; car si je m'éloigne de vous, vous ne vous aimez plus en moi, parceque m'éloignant de vous je reviens à moi-même, et retombe dans mon néant ; et je vous demande seulement cela parceque vous voulez que je vous le demande de ne pas revenir à moi-même afin que votre gloire se trouve en moi maintenant et éternellement.

Chapitre XIV.

Je suis un voyageur en chemin, je cours dans la lice, ô combien est pesant le fardeau qui m'empêche de marcher, et ne me permet pas de courir.

Combien de fois ô très-saint sacrement de l'Eucharistie, qui êtes le but des désirs d'une âme qui vit dans une chair mortelle, ai-je recours à vous pour mieux courir dans cette carrière de ma vie, et cependant je ne cours pas, mais je rampe.

Ce n'est pas les voluptés du monde, ce n'est pas les œuvres de la chair qui m'enchaînent ; il y a pourtant en moi quelque chose qui semblable à un poids m'appesantit et m'arrête dans ma course.

Ce n'est pas la conversation des hommes qui me fait plaisir ; mais aussi la lecture de votre parole sainte ne me plaît pas toujours, et combien de fois je m'ennuye de la méditer.

Tantôt le sommeil m'accable, tantôt l'aridité me rend comme hébété, des petites choses et presque des bagatelles me distraisent, et quoique je ne les aime pas, je trouve cependant que je les préfère souvent à ce qui est à vous.

Hoc ne est currere ad te Deus, qui stadium metaque es vitae meae? Non, non Domine, videor mihi non recedere, sed quia haec, quae refero, necdum relinquo, non videor mihi ad te plus accedere.

Sed si non proficere, deficere est, nec recedo, nec accedo: sed dum tempus currit, ego quodammodo subsisto, et sic deficio.

Currit tempus et ego subsisto, non quod cum tempore ad aeternitatem non currerem, sed subsisto tamen, quia infirmitatibus meis circumdatus trahor a tempore; sed loco non moveor.

Similis sum, Domine, homini, navi vehementi flatu ventorum propulsae, insidenti: provehitur in altum, ipse tamen non currit.

Sic me trahit tempus ex hac misera vita ad te, sed viventem fragilitates meae retinent a te: quia non permittunt propius accedere ad te.

Sentio, quod dico, sed dicere vix scio, quod sentio: eo enim quod ad aeternitatem trahor, non affligor, sed de eo doleo, quod tantis conditionis meae miseriis aggravatus haereo, et in tempore velocius currere ad te non valeo.

Repo igitur in viis mandatorum tuorum te ducente et adjuvante; quia alas charitatis necdum dignatus es dare mihi, ut me elevem; hinc reptile tuum sum: necdum volatile.

Repam, ecce necdum volabo ad altare tuum, si quo modo tandem dignareris dare alas reptili tuo, ut volaret et requiesceret in te.

Sumpsi te o Deus, qui charitas es, sumpsi te o Christe Salvator meus, qui ex charitate erga me mortuus es! Deus homo me invisere dignatus es, heu cur non possum amare te, prout vellem!

O spirituum beatorum ordines Cherubim, et Seraphim,

Ce n'est pas là courir à vous ô mon Dieu qui êtes la carrière et le but où ma vie doit aboutir! non non, Seigneur, il me semble que je ne m'éloigne pas, mais parceque je ne quitte pas encore ce que je viens de rapporter, il me semble que je ne m'approche pas davantage de vous.

Mais si ne pas profiter c'est défaillir; je ne m'approche ni ne m'éloigne : mais pendant que le temps s'écoule avec rapidité je subsiste en quelque manière, et ainsi je défaillis.

Le temps va vite, et je subsiste, non que je ne coure pas à l'éternité mais je subsiste cependant parcequ'environné de mes infirmités je suis entraîné par le temps sans changer de place.

Je suis semblable, Seigneur. à un homme qui se trouve dans un vaisseau poussé par un vent voilent : il est conduit au large, mais cependant il ne court pas.

C'est ainsi que le temps m'entraîne de cette misérable vie à vous, mais tandis que je suis en vie ma fragilité me retient loin de vous : parcequ'elle m'empêche de m'approcher de plus près.

Je sens ce que je dis; mais à peine sais-je dire ce que je sens : car je ne suis pas affligé de ce que je suis emporté vers l'éternité, mais bien de ce qu'appesanti par tant de misères attachés à ma condition je reste en chemin et ne puis dans le temps et avec le temps courir plus vite à vous.

Je rampe donc dans les voies de vos préceptes sous votre conduite et votre secours, parceque vous n'avez pas encore daigné me donner les ailes de la charité pour m'élever en haut : c'est pour cela que je suis votre reptile et non encore un oiseau.

Je ramperai donc et ne volerai pas encore à votre autel, si vous daigniez enfin donner des ailes à votre reptile pour voler et se reposer en vous.

Je vous ai reçu ô mon Dieu qui êtes la charité même, je vous ai reçu ô Christ mon sauveur, qui êtes mort par charité pour moi! Un Dieu homme m'a daigné visiter, hélas pourquoi ne puis-je vous aimer comme je voudrais.

O Cherubins et Seraphins esprits bienheureux, que votre

quanta est felicitas vestra, frui supremo bono vestro! quanta infelicitas mea, non sentire bonum, quo fruitus sum!

Vellem affectu vestro, o beati Spiritus amare Deum, sed heu quam longe est haec foelicitas a statu meo! homo sum, caro sum, et quia talis sum, verum bonum meum non sentio, quia nonnisi per aenigma nosco.

O Dies misericordiae meae amari valde, tolerare vos debeo in patientia, sed diligere nequeo, quia me a bono meo tam elongatum tenetis.

Sumo te Deus, venis in me, ego sum in te, et tamen tam longe sum a te; quia, prout vellem, non amo te.

O charitas, mensura propinguitatis Dei, quando penetrabis praecordia mea? quando inflammabis cor meum seu voluntatem meam?

Volo quidem amare, sed necdum est in me efficax illa voluntas, quae posse obtinet: necdum enim satis desidero, quod volo.

Quid est, o Deus, quod dico! quid est, quod balbutio! sed puer tuus sum, tibi balbutio, et tu me intelligis, quia vere amo te; quia volo te, sed necdum sat volo te; quia necdum ferventer desidero te.

Quomodo ergo obtineam posse ferventer diligere absque ferventi desiderio? scio misericordiam tuam esse infinitam, sed tu dixisti: petenti dabitur; petere igitur oportet, et pulsare, ut des desiderare.

O Domine sentio heu nimis, quod mihi deest, sed eloqui nescio, quid prius est in amore velle ne, petere, an desiderare: quis enim vult et non petit? quis petit et non desiderat? unde haec synonima videntur, non sunt tamen; qui designant diversos gradus amoris.

Ita est, o Domine, et hoc est, quod sentio deese mihi: velle simpliciter est incipientis, quis est enim Christianorum

félicité est grande de jouir de votre souverain bien, que mon malheur est grand au contraire de ne pas sentir le bien dont j'ai jouis!

Je voudrais, ô esprits bienheureux avoir votre ardeur pour aimer Dieu; mais hélas que mon état est éloigné de ce bonheur! je suis homme, je suis chair, et parceque je suis tel je ne sens pas mon véritable bien parceque je ne le connais qu'en énigme.

Ô jours de ma misère qui êtes si amers je dois vous supporter en patience, mais je ne puis vous aimer parceque vous me tenez si éloigné de mon bien.

Je vous reçois ô mon Dieu, vous venez en moi, je suis en vous; et cependant je suis si loin de vous: parceque je ne vous aime pas comme je voudrais.

Ô charité, mesure de la proximité de Dieu, quand pénétrerez vous mes entrailles? quand enflammerez vous mon cœur ou ma volonté?

A la vérité je veux aimer, mais cette volonté qui obtient le pouvoir n'est pas encore efficace en moi, car je ne désire pas encore assez ce que je veux.

Qu'est ce que je dis ô mon Dieu! qu'est ce que je bégaye, mais je suis votre enfant: c'est à vous que je bégaye et vous m'entendez parceque je vous aime véritablement, parceque je vous veux; mais je ne vous veux pas encore assez, parceque je ne vous désire pas encore ardemment.

Comment obtiendrai-je d'aimer avec ardeur, sans un fervent désir? je sais que votre miséricorde est infinie, mais vous avez dit: on donnera à celui qui demande, il faut demander et frapper pour que vous donniez de désirer.

Ô Seigneur, je ne sens que trop hélas ce qui me manque, mais je ne sais exprimer ce qu'il y a de prémier dans l'amour de vouloir, de demander, ou de désirer: car qui est ce qui veut et ne demande pas? qui est ce qui demande et ne désire pas? ce qui fait que ces mots paraissent synonymes, et ne le sont pourtant pas; parcequ'ils désignent différents degrés d'amour.

Cela est ainsi, Seigneur, et c'est e que je sens qui me manque: vouloir simplement c'est d'un commençant; car quel est

qui te non vellet? petere est proficientis, desiderare est proprie perfecti, seu vere diligentis.

Da igitur mihi, Domine, quod deest mihi ad hoc, ut desiderem hoc ipsum, quod deest mihi; quo enim plus desideravero desiderare, eo plus noscam, quid sit te diligere: et quo plus noscam, quid sit te diligere, eo plus gemam, te non posse satis diligere.

Caput XV.

Consolor, Domine, Evangelium hodiernum legens, in quo te misericordia tactum reperio super turbam, quae a te panem non petiit, tu tamen satiasti illam, ne deficerent, qui a longe venerunt.

Tanta bonitas tua animat me, Domine, quia a longinquo venio ad te: miseriae enim conditionis meae multum me elongant a te.

Tu me melius vides, quantum esurio; ego enim vix sentio famem, quamvis sciam, quod multum deest mihi, et magnum vacuum inest mihi.

Quo plus me respicio, eo plus reperio, quid non sim, seu quid deest mihi; et ecce hoc vacuum se replere vellem, ut sim, quod necdum sum.

Nollem, Domine, in hac vita te ita amare, ut te adhuc plus amare non possem; quia sic in amore subsisterem, nec ad te propius accederem; hinc non gemo de vacuo meo, sed doleo, quod illud te replere non satis ardenter desidero.

Vellem metiri hoc vacuum, ut noscerem quantum amem te, sed heu hoc tantum occurrit mihi, quantum necdum amo te!

Sic ignoro Domine, qualis sim coram te, et heu, cur non satis doleo de eo, quod necdum sum; hoc enim scio: alterum ignoro.

Quodsi igitur hoc recogito, quantum deest mihi, metior

le chrétien qui ne vous voudrait pas? demander appartient à celui qui avance : désirer est proprement du parfait, c'est-à-dire de celui qui aime véritablement.

Donnez moi donc ô mon Dieu ce qui me manque pour que je désire cela même qui me manque : car plus je désirerai de désirer, plus je connaitrai ce que c'est que vous aimer : et plus je connaitrai ce que c'est que vous aimer, plus je gémirai de ne pouvoir assez vous aimer.

Chapitre XV.

Je suis consolé, Seigneur, en lisant l'Évangile d'aujourd'hui, dans lequel je vous trouve touché de compassion sur le peuple qui ne vous demande pas du pain, mais que vous avez cependant rassasié, de peur que ceux qui étaient venus de loin ne tombassent en défaillance.

Une si grande bonté en vous me remplit de courage: moi qui de loin viens à vous; car les misères de ma condition m'éloignent fort de vous.

Vous voyez mieux que moi combien j'ai faim; car à peine je sens ma faim quoique je sache qu'il me manque beaucoup, et qu'il y a en moi un grand vide.

Plus je me regarde de plus je trouve ce que je ne suis pas c'est-à-dire ce qui me manque, et je voudrais remplir ce vide par vous, afin de devenir ce que je ne suis pas encore.

Je ne voudrais pas, Seigneur, vous aimer dans cette vie de telle sorte que je ne pûs vous aimer davantage : parcequ'ainsi je m'arrèterais dans l'amour, et je ne m'approcherais pas plus de vous; ainsi je ne gémis pas de mon vide, mais je suis faché de ne pas désirer assez ardemment de le remplir par vous.

Je voudrais mesurer ce vide, pour connaître combien je vous aime, mais hélas je ne trouve seulement que cela combien peu je vous aime encore!

J'ignore ainsi, Seigneur, quel je suis devant vous, mais hélas pourquoi n'ai-je pas assez de douleur de ce que je ne suis pas encore? car je sais ceci, mais j'ignore l'autre.

Que si j'examine donc combien il me manque, je me me-

me, et vere reperio parum, quin imo prope nihil me habere respectu illius, quod deest mihi.

O abyssus miseriarum mearum invoca abyssum amoris Dei, quo enim plus vixero, eo miserior ero, si te Deus plus non amavero!

Ecce Domine prout jam dixi, venio de longinquo, respice me, et non dimitte me vacuum in domum meam, ne forte deficiam in via.

Tu misertus turbarum non petentibus escam dedesti, da mihi petenti, manducando famem quaerenti, nec vacuum suum ita replere cupienti, quin plus recipere queat.

Infinitus es Domine, hinc vellem infinite amare te. Immensus fuit amor tuus erga me, sit, quaeso, immensus et amor meus erga te: ecce in hunc finem desidero suscipere te.

O Jesu mi, quem, ecce, in hunc finem sumpsi, ut vacuum meum replens, semper plus et plus te Deus diligere valeam: dirige desiderium meum, ut te sic diligere petam, prout placitum est tibi, non prout sensibile et suave esset mihi.

Repelle a me Domine, omnis amoris illusionem, quidquid enim tibi modo, voluntati, seu praeceptis non conformi praestatur, non amor sed illusio est.

Propterea diligere volo te in gradu, in mensura, in statu, et modo, quo vis, ut diligam te; sed tu mihi parce, si ego semper plus et plus petam diligere te.

Sed o Domine nunquid infinite petii diligere te, et tamen, ut sit vera dilectio, in ordine et mensura debeo diligere te: quomodo ergo possem petere infinite amare te?

Examino proinde me, num convenienter locutus fui, et num insipienter non petii; sed o Domine fors non erro credens: te operibus dilectionis praescripsisse ordinem et men-

sure et je trouve véritablement que j'ai peu ou pour ainsi dire presque rien en comparaison de ce qui me manque.

Ô abîme profond de mes misères invoquez l'abîme de l'amour de Dieu ; car plus je vivrai plus je serai misérable si je ne vous aime pas davantage ô mon Dieu.

Voilà Seigneur comme je l'ai déjà dit que je viens de loin à vous, regardez moi et ne me renvoyez pas vide dans ma maison, de peur que je ne défaille en chemin.

Ayant compassion du peuple vous avez donné du pain à ceux qui n'en demandaient pas, donnez à moi qui demande, qui cherche la faim en mangeant, et qui ne souhaite pas de remplir tellement son vide, qu'il n'en puisse recevoir davantage.

Vous êtes infini ô mon Dieu, pour cela je voudrais vous aimer infiniment, votre amour envers moi a été immense ; que le mien je vous prie soit réciproquement immense à votre égard. Voilà que c'est pour cette fin que je désire de vous recevoir.

Ô mon Jésus que je viens de recevoir pour que remplissant mon vide je puisse toujours vous aimer de plus en plus : dirigez mon désir afin que je demande de vous aimer comme il vous est agréable, non comme il me serait doux et sensible.

Chassez loin de moi, Seigneur, toute illusion de l'amour : car tout ce qu'on vous rend d'une manière qui n'est pas conforme à votre volonté ou à vos préceptes, n'est pas amour mais illusion.

C'est pour cela que je veux vous aimer dans le degré, dans la mesure, dans l'état et la manière que vous voulez que je vous aime ; mais pardonnez moi si je demande toujours de vous aimer de plus en plus.

Mais, Seigneur, n'ai-je pas demandé de vous aimer infiniment, et cependant afin que l'amour soit véritable, je dois vous aimer dans l'ordre et la mesure, comment pourrais-je donc demander de vous aimer infiniment ?

Je m'examine donc si j'ai parlé d'une manière convenable, et si je n'ai pas fait une demande insensée : mais Seigneur peut-être je ne me trompe pas de croire que vous avez prescrit

suram in praeceptis tuis, non voluntati. Da posse te diligere in mensura, da velle te diligere absque limitatione.

Tuum est Deus dare hoc posse, quod opera dilectionis secundum vocationem hominis regulata concernit; velle: illam voluntatem respicit, quae, quia se tibi subjicit, infinite vult, quae vis, et infinite amat, quia te amari praecipis.

Haec sit, o Domine, erga te voluntatis meae dispositio, et dependeat semper a voluntate tua ejus in actus productio.

Da velle ad diligendum te, da posse ad operandum pro te, ut te jubente, te diligam, te adjuvante pro te agam.

Dignus esses amari, o Deus, etiam si non praecepisses, quia Deus es, quanto justius est te amare, quia jubes, et dignus es.

Dicam ne, quod te amare vellem, etiam si non praeciperes? vellem sic loqui, quia sic sentio, sed haec locutio insipientiae meae est blateratio.

Quodsi enim nulla lege te diligere jussisses, vel solo jure creatoris amorem a creatura exegisses, amor te ad creandum determinavit, et hic amor ad te redire debuit: hinc vere tuum est donum, quod a creatura recipis, et quod das, requiris.

Prius te amare natura docuit, quam lex jussit; sed quod natura sibi impressum per peccatum amisit, per legem renovare oportuit; ut a te Deus ad malum declinare tam prona natura, legis praecepto reduceretur ad te.

Caput XVI.

Heu, o Deus, nimis sentio, quid sit te non amare, dum malum, quod est in me, imperfectiones nempe, peccata et delicta mea considero; quod si enim te ex toto corde, ex tota

dans vos préceptes l'ordre et la mesure dans les œuvres de l'amour mais non dans la volonté. Donnez moi de pouvoir vous aimer dans la mesure, donnez moi de vouloir vous aimer sans limites.

C'est à vous ô mon Dieu à donner ce pouvoir qui concerne les œuvres de l'amour, réglées suivant la vocation de l'homme, vouloir regarde cette volonté qui étant soumise à vous, veut infiniment ce que vous voulez, et aime infiniment, parceque vous commandez qu'on vous aime.

Que ce soit là Seigneur, la disposition de ma volonté envers vous, et que les actes qu'elle produit au dehors, soient toujours soumis à votre divine volonté.

Donnez le vouloir pour aimer, donnez le pouvoir pour agir pour vous, afin que je vous aime, parceque vous l'ordonnez; et que j'agisse pour vous par votre secours.

Vous seriez digne d'être aimé ô mon Dieu, quand même vous ne l'auriez pas commandé, parceque vous êtes Dieu, combien plus juste est il de vous aimer parceque vous l'ordonnez et que vous en êtes digne.

Dirai-je que je voudrais vous aimer quand même vous ne l'ordonneriez pas? je voudrais parler ainsi, parceque je le sens ainsi, mais ce langage serait un babillement de ma folie.

Car si vous n'aviez commandé par aucune loi de vous aimer, par le seul droit de créateur vous eussiez exigé l'amour de la créature, l'amour vous a determiné à créer, et cet amour a dû revenir à vous; ainsi c'est véritablement votre don que vous recevez de la créature, et vous redemandez ce que vous donnez.

La nature a plutôt enseigné que la loi n'a commandé de vous aimer; mais il a fallu renouveler par la loi l'impression que le péché avait effacé dans la nature si portée par elle-même à s'éloigner de vous pour suivre le mal, fut ramenée à vous par le précepte de la loi.

Chapitre XVI.

Hélas ô mon Dieu, je ne sens que trop ce que c'est que de ne pas vous aimer, lorsque je considère le mal qui est en moi, c'est-à-dire les imperfections, les péchés et les fautes; car

anima, ex totis viribus diligerem, procul essent a me omnia, quae quamvis ex inadvertentia, inconsiderate, nolenter fiunt, ideo tamen fiunt, quia dum fiunt, non totum cor, non tota anima, non omnes vires meae tendunt ad te.

Homo sum Domine, carneus, non Seraphim et Cherubim: hinc scis, me, extra corpus, donec vivo, te diligere nequire; et per consequens omnibus miseriis corporis subjectum esse debere: sed quamvis haec sciam, semper meminisse bonum est, ut meam agnoscens miseriam, eo plus petam tuam misericordiam.

Scivisti o plasmator meus, dum homini hoc praeceptum dedisti, quid possit; et quamvis omne, quod tibi juste debetur, exegisti, jubens omnem amorem cordis, animae et virium: semper tamen respectum conditionis ejus habet misericordia, qua exclusa, procul dubio omnes digne damnaret justitia.

Multis ergo modis praevaricator praecepti efficior, et quia non servo mandata tua, in eo vere non diligo te.

Multae et plurimae sunt hae praevaricationis differentiae, quas saepe excusat bonitas tua, saepe diversis poenis corrigit, et punit, sed vere magis convenit amori de illis dolere, quae fecit, quam, quid mereantur, inquirere.

Non, non, Domine, non meum est investigare quid merear, sed quam saepe offendi te, quodsi enim te offendisse vere poenitet, plus, vel minus offendisse, nec turbare, nec consolare potest te vere diligentem.

Amor te offendisse dolet, non poenarum timore angitur, et quia te non amare ex toto corde, anima et viribus, te offendere est; da, ut de offensa plus doleam, quam de poena timeam.

O beata spes amantium te Deus, succure mihi, conforta

si je vous aimais de tout mon cœur, de toute mon âme, et de toutes mes forces, je serais bien éloigné de faire toutes les choses qui quoique faites par inadvertance, inconsidérément, sans le vouloir, dérivent pourtant de ce que tout mon cœur, toute mon âme, toutes mes forces ne tendent pas à vous.

Je suis Seigneur, un homme de chair, et non un Seraphin, et un Chérubin, et par là je sais que tant que je vis je ne peux vous aimer hors du corps: et que par conséquent je dois être sujet à toutes les misères du corps: mais quoique je sache tout cela, il est toujours bon de m'en souvenir, afin que connaissant ma misère j'en sois plus ardent à demander votre miséricorde.

Vous avez su ô mon créateur en donnant ce précepte à l'homme, ce dont il était capable et quoique vous n'ayez fait que demander ce qui vous est légitimement du en exigeant tout l'amour de son cœur, de son âme et de ses forces, votre miséricorde a cependant égard à la condition, et sans elle sans doute votre justice condamnerait justement tous les hommes.

Je deviens donc en beaucoup de manières prévaricateur de ce précepte; et parceque je ne garde pas vos commandemens en cela, je ne vous aime pas véritablement.

Il y a beaucoup et différentes sortes de prévarications, que souvent votre bonté excuse ou corrige, et punit souvent de diverses peines; mais véritablement il convient plus à l'amour de gémir du mal qu'il a fait, que de rechercher la peine qu'il mérite.

Non, non, Seigneur, ce n'est pas à moi à approfondir ce que je mérite, mais combien souvent je vous ai offensé: car si on est véritablement repentant de vous avoir offensé, de l'avoir fait plus ou moins, ne peut ni troubler ni consoler celui qui vous aime véritablement.

L'amour est fâché de vous avoir offensé, et n'est pas touché de la crainte des peines, et parceque ne pas vous aimer de tout son cœur, de toute son âme, et de toutes ses forces, est vous offenser, donnez moi plus de douleur des offenses que de crainte des châtimens.

Ô bienheureuse espérance de ceux qui vous aiment ô mon

me, ne plus doleam, quam spero, sed nec plus sperem, quam doleo!

Qui in te non sperat, Deus, quid sis, et quid sit te amare ignorat; nescit, quod tu sis summa bonitas, et non novit, quae sit bonitatis proprietas.

Quod si quis igitur te, Deus, non amando peccat, non sperando in te, bonitatem tuam offendit; non amando te, sibi nocet, sed non sperando in te, tibi facit injuriam.

Moderare, in me Domine, hos doloris, spei et amoris affectus, ut te offendisse doleam, spem veniae non amittam, et te diligere nec momento negligam.

Pro his impetrandis ad fontem amoris et misericordiae tuae recurro: da, quod tibi placet, quod mihi proficuum est, et quantum mihi sufficit.

Da mihi Domine sentire amorem tuum in adimplenda voluntate tua, da meminisse, et recordari tui omni momento vitae meae.

Amor enim voluntatis tuae, amor justitiae, amor autem justitiae, amor tuus est: da proinde velle, quod vis, et nolle, quae aliena sunt, non tua.

Fac me ambulare in viis mandatorum tuorum, in quibus consistit universa lex et prophetae: nihil enim justius, quam amare te, sed nec in carne quid minus possibilius, quam non offendere te.

Dedisti Domine mihi nihil amare praeter te, sed necdum possum ita amare te, quin millies et millies contingat mihi offendere te.

Haec examinans, Domine, video, quantum necdum amo te ex toto corde, anima et viribus, semper enim dum te vel offendo, vel tua negligo, vel tepide ago, quod deest mihi, deest amori meo erga te.

Nescit amor negligere, ignorat tepide agere, poenitus

Dieu, venez à mon secours, fortifiez moi pour que je n'aie pas plus de douleur que d'espérance, ni plus d'espérance que de douleur!

Celui qui n'espère pas en vous ô mon Dieu, ignore ce que vous êtes et ce que c'est que vous aimer; il ne sait pas que vous êtes la souveraine bonté, et ne connait pas quelle est la propriété de la bonté.

Que si quelqu'un péche donc en ne vous aimant pas et n'espérant pas en vous, il offense votre bonté en ne vous aimant pas, il se nuit à lui-même; mais en n'espérant pas en vous il vous fait injustice.

Modérez en moi, Seigneur, ces différens mouvemens de douleur, d'espérance et d'amour, afin que je sois fâché de vous avoir offensé, que je ne perde pas l'espérance du pardon, et que je ne cesse pas même un seul moment de vous aimer.

Pour obtenir tout cela j'ai recours à la source de votre amour et miséricorde, donnez moi ce qui vous plaira et ce qui m'est utile, et autant qu'il me suffit.

Donnez moi Seigneur, de sentir votre amour dans l'accomplissement de votre volonté, donnez moi de me souvenir de vous tous les momens de ma vie.

Car l'amour de votre volonté est l'amour de la justice, l'amour de la justice est votre amour, donnez moi donc de vouloir ce que vous voulez et de ne pas vouloir ce qui est étranger, et non à vous.

Faites moi marcher dans les voies de vos préceptes dans lesquels consiste toute la loi et les prophètes : car il n'est rien de plus juste que de vous aimer, mais il n'est rien de moins possible que de ne pas vous offenser dans une chair fragile.

Vous m'avez donné Seigneur, de n'aimer que vous; mais je ne puis encore vous aimer de telle sorte qu'il ne m'arrive mille et mille fois de vous offenser.

En examinant cela Seigneur, je vois combien il s'en faut que je vous aime encore de tout mon cœur, de toute mon âme et de toutes mes forces; car lorsque je vous offense, ou que je néglige ce qui vous regarde, ou que j'agis avec tiédeur, ce qui me manque, manque à mon amour envers vous.

L'amour ne sait ce que c'est que négligence, que d'agir

non novit volenter offendere : quomodo ergo me de his notis aut ignotis, voluntariis aut involuntariis excusabo, et tamen te diligere dicam ex toto corde, ex tota anima et viribus.

Mandatum tuum hoc, est mandatum dilectionis tuae erga me, quia vis amari a me ; sed respice fragilitatem meam, et vide, nec illa me posse bona, quae volo, quomodo illa possem, quae jubes, nisi tu dederis, quod deest mihi.

Vis amari Domine, ama te per te, qui in me venire dignatus es, cum enim tecum fuero, vere te digne tecum amabo.

Sit igitur semper coram oculis meis quantum mihi deest, ut amem te, prout jubes, sed averte, quaeso Domine, ne sim unquam absque desiderio velle et petere posse facere, quod jubes.

Denique Domine, qui venire dignatus es in me, respice cor meum, et fac, ne mihi indulgendo quandoque propter te, minus faciam contra me, quam tibi praestare teneor propterea, quod offenderim te.

Caput XVII.

Fac me Deus cognoscere interiora mea, repraesenta mihi velut in speculo vultum nativitatis meae, volo enim confiteri tibi adversum me peccata mea.

Frustra me fallit memoria de illis, quae egi, frustra silet intellectus, frustra tacet voluntas, nec de ullo voluntario peccato se arguere novit, non per haec justificari valeo, sed per misericordiam tuam.

Non est judicium tuum o Deus, sicut judicium hominis, tu vides, quod in me est, ego autem illud ignoro.

Quot sunt cogitationes, verba et opera, de quibus tibi rationem reddere non valeo, vel quia fine caruerunt et ociosa

avec tiédeur, il ignore entièrement ce que c'est qu'offenser de propos deliberé : comment m'excuserai-je donc de mes fautes connues et inconnues, volontaires et involontaires, et cependant je dirai que je vous aime de tout mon cœur, de toute mon âme et de toute mes forces.

Ce commandement est un commendement de votre amour envers moi, parceque vous voulez que je vous aime ; mais regardez ma fragilité et voyez que je ne puis le bien que je voudrais, comment pourrais-je ce que vous m'ordonnez, si vous ne me donnez ce qui me manque.

Vous voulez être aimé, Seigneur, aimez vous par vous-même qui avez daigné venir en moi, car lorsque je serai avec vous, je vous aimerai véritablement d'une manière digne de vous.

Que j'aie donc toujours devant les yeux combien il me manque pour vous aimer comme vous me commandez, mais faites, je vous prie Seigneur, que je ne sois jamais sans le désir de vouloir et de demander de pouvoir faire ce que vous voulez.

Enfin, Seigneur, qui avez daigné venir en moi, regardez mon cœur, et faites que par trop de complaisance pour moi-même à cause de vous, je ne fasse pas moins contre moi-même que je ne suis obligé de faire parceque je vous ai offensé.

Chapitre XVII.

Faites moi connaître mon intérieur ô mon Dieu, représentez moi comme dans un miroir l'image de ma naissance, car je veux vous confesser mes péchés contre moi-même.

C'est en vain que ma mémoire me trompe sur ce que j'ai fait, c'est en vain que mon entendement se tait, c'est en vain que ma volonté garde le silence et ne veut s'accuser d'aucun péché volontaire, ce n'est pas par là que je peux être justifié, mais par votre miséricorde.

Vos jugemens ô mon Dieu, ne sont pas comme ceux des hommes, vous voyez ce qui est en moi et moi je l'ignore.

Combien y a-t-il de pensées, de paroles et d'œuvres dont je ne peux rendre raison, ou parce qu'elles n'ont point eu de

fuerunt, vel quia suggerente spiritu humano ex complacentia ejus, non ex spiritu tuo facta sunt.

Tepidus et distractus in orando, dum orandum est in Ecclesia; meditari vellem in cella: dum meditandum esset, saepe sopore opprimor; sed haec, cum tu in me melius videas, mihi recenseo non tibi Domine, ut turpitudo, miseria, negligentia mea pateat mihimet ipsi.

Jam saepe sibi complacens caro somnum prolongare, sapidiora fercula delibare suadet, et ego jam ex ratione sanitatis, jam ideo ne alios confundam, mala non facio, sed meliora negligo, et cum me examino, decidere nequeo, num quae ago, vere pro illo fine fiant, quem praetexo mihimetipsi, an ex complacentia carnis meae.

Cadunt haec et similia in cor meum tanquam guttae aquae in saxum stillantes, resistit illis, sed timere debeo, ne maculent, ne frequenter cadendo cavent.

Ecce onera, ecce spurciciae, quibus onustus me tibi praesento Domine; et cum illis in abyssum tuarum misericordiarum ac bonitatum tuarum me projicio, tu enim scis me nolenter esse talem, non volenter.

Hi sunt miseriae meae, infirmitatis, fragilitatisque meae fructus, qui semper placebunt sensualitati meae, si gratia tua non adjuverit me.

Ecce igitur accedere volo ad ignem charitatis, ut purificer, ad mensam angelorum, ut manducando spiritualia nauseem sensualia.

Finis meus est, o Deus, unitus in spiritu cum omnibus Sancti Dominici patroni mei filiis, tibi hodie, in die hujus Sancti praestare laudem et gloriam in unione hujus Sancti patris nostri, per quem in Ecclesiam tanta beneficia redundare voluisti.

Respice me Domine cum illis omnibus, qui se praesentant tibi, et fac, ut in dispositione tibi placita praestemus honorem, laudem et gloriam tibi, et convenientes fini tuo reci-

but, et ont été oiseuses, ou parcequ'elles ont été faites par les suggestions de l'esprit humain par complaisance pour lui et non par le mouvement de votre esprit.

Tiède et distrait en priant lorsqu'il faut prier dans l'église, je voudrais méditer dans la chambre; lorsqu'il faudrait méditer, souvent le sommeil m'accable : mais puisque vous savez tout cela mieux que moi Seigneur, je me le raconte à moi-même et non à vous, afin que ma honte, ma misère, et ma négligence me soit plus présente à moi-même.

Combien souvent la chair qui cherche toujours à se flatter, me persuade-t-elle de prolonger le sommeil. de goûter de plus délicieux mets, et moi tantôt par raison de santé. tantôt pour ne pas scandaliser les autres je ne fais pas le mal, mais je néglige ce qu'il y a de mieux : et lorsque je m'examine je ne poux décider si ce que je fais véritablement pour la fin que je me pretexte à moi-même ou par complaisance pour ma chair.

Ces choses et semblables tombent dans mon coeur comme des gouttes d'eau qui découlent sur un rocher ; il leur résiste, mais il doit craindre que peu à peu et en tombant souvent ils n'y fassent enfin des taches et des concavités.

Voilà les fardeaux, voilà les ordures, dont tout couvert que je suis je me présente à vous, Seigneur, et je me jette avec dans l'abîme de vos miséricordes et de vos bontés, car vous savez que je ne suis pas tel volontairement mais melgré moi.

Ce sont là les funestes fruits de mon infirmité et de ma fragilité ; qui ne plairont toujours que trop à ma sensualité si votre grâce ne vient à mon secours.

Voilà dunc que je voux m'approcher du feu de la charité pour me purifier de la table des anges, afin que mangeant de ce qui est spirituel je me degoûte de tout ce qui est sensuel.

Mon intention est Seigneur, qu'uni en esprit avec tous les enfans de Saint Dominique mon patron, je vous rende aujourd'hui honneur et gloire dans la fête de ce saint, et dans l'union avec ce bienheureux père par lequel vous avez fait rejaillir tant de biens sur votre Église.

Regardez moi, Seigneur, avec tous ceux qui se présentent à vous, et faites que dans une disposition qui vous soit agréable nous vous rendions honneur, louange et gloire, et

pere valeamus gratias ad sequendam sanctissimam voluntatem tuam.

Quot sunt in orbe universo sanctorum religiosorum millia, cum quibus, ecce Domine, in conspectum tuum accedere ausus sum, et ecce illo ipso, quo omnium illorum sanctissimus, fruitus sum edulio.

Haec est tua erga homines bonitas, o Deus, homo salvator meus, qui te bonis et malis praebes, et omnes eodem ferculo, temet ipso nutris!

Toties me nutris Domine, sed ego ignoro, num ex hoc nutrimento pinguescam, hoc tamen sentio, quod per ejus virtutem subsistam, et resistam tentationibus meis.

O divina esca! quot millia sunt hominum, qui te dignius me frui possent omni die, qui tamen, quia te sumere negligunt, in tepiditate subsistunt.

Ecce Deus dignatus es visitare me, fac in me, quod tibi placitum est.

Dedisti mihi absque omni exceptione velle, quod vis, da igitur posse facere, quod jubes, et fac noscere, quod requiris.

Notam fecisti mihi legem tuam, unde scio te adjuvante, quae jubes, sed tot ac tam differentia obligationis genera imposuisti mihi, ut sine te agnoscere non possim, quod requiris.

Tangunt, feriunt, pungunt me multa, quae sentire facit humanitas, et non sentire mallet dilectio tui et proximi, auge quaeso hanc, ut illi resistat, refrena illam, ut huic subjaceat.

Sit igitur omne compendium petitionis meae a te, ut ego in charitate vivere valeam; te enim solum diligere volo, sed heu! te indesinenti actu amare necdum valeo!

Quo leviora sunt, quae me a praesentia tua recedere faciunt, eo graviora sunt, quia te continuo amare non permittunt.

que nous puissions recevoir les grâces convenables à votre fin. pour suivre en tout votre sainte volonté.

Qu'il y a dans le monde de milliers de saints religieux avec lesquels voilà que j'ai osé, Seigneur, me présenter à vous et que j'ai participé au même banquet que le plus saint d'entre eux.

C'est là votre bonté envers les hommes, ô homme Dieu mon sauveur qui vous donnez aux bons et aux méchans, et les nourrissez tous de la même viande qui est vous-même.

Vous me nourrissez si souvent Seigneur, mais je ne sais si j'engraisse de cette divine nourriture; je sens cependant que par sa vertu et la force je subsiste et resiste à mes tentations.

Ô divine viande! qu'il y a de milliers d'hommes qui pourraient tous les jours vous recevoir plus dignement, qui cependant parcequ'ils négligent de vous prendre, restent dans leur tiédeur.

Voilà ô mon Dieu que vous avez daigné me visiter, faites en moi ce qui vous est agréable.

Vous m'avez donné de vouloir sans exception tout ce que vous voulez, donnez moi de pouvoir faire ce que vous commandez, et faites moi connaître ce que vous demandez de moi.

Vous m'avez manifesté votre sainte loi par laquelle je sais avec votre grâce ce que vous commandez, mais vous m'avez imposé tant et de si différens genres d'obligations, que sans vous je ne peux connaître ce que vous exigez.

Plusieures choses que l'humanité me fait sentir, me touchent, me frappent et me piquent; votre amour et celui du prochain ne voudraient pas le sentir, augmentez celui-ci pour qu'il puisse résister à l'autre, réprimez l'autre pour qu'il soit soumis à celui-ci.

Que l'abrégé de toutes mes demandes soit donc de vous pour que je puisse vivre dans la charité: car je veux vous aimer seul; mais hélas je ne puis encore le faire par un acte continuel.

Plus ce qui m'éloigne de votre présence est léger, plus il est pesant parcequ'il m'empêche de vous aimer continuellement.

Non, non, Domine, nihil amanti leve esse potest, quod ab amoris objecto distrahit, quomodo enim distrahere posset, si id, quod distrahit, sensibilius non diligeret.

Hinc sentio miseriam meam, et pronitatem plus inclinari ad illa, quae mihi similia, carnea sunt, te tamen plus amare, quia nihil praeter te desidero, quamvis sine caeteris esse non valeo.

Caput XVIII.

Adjuva me Domine, tu vides, quid vellem, et quid possum, ut ad altare tuum accedere, et cibo animae meae frui possim modo saluti, et utilitati meae convenienti.

Tibi, te adjuvante, consecravi omnes dies, et omnia momenta vitae meae, sed heu, quot praetereunt, quae te saepe nihil, saepe parum, tepide et segniter respiciunt!

Nolo complacere carni, et sensibus ejus, sed nec destruere audeo illos in quantum vellem, si me propter te amare non juberes.

Heu quam parum, quam leve est, quod facio, et quam magnum, et multum est, quod a me exigit justitia tua! sed et hoc parum nescio moderari sine gratia tua; ut praestem modo tibi placito.

Dilectio tua mensuram ignorat, status, vocatio, functiones meae discretionem, et haec ordinem praescribit; caro et ex ea causatae infirmates meae relaxationes, complacentias suggerunt, quis judicabit inter me te diligere volentem, et inter me se fors plus debito amantem!

Saepe avidus, tepidus, distractus sum, sed discernere non valeo, num hae visitationes tuae sint, num a negligentiis meis proveniant.

Non conqueror, o Deus, de illis, quae mihi permanenter dare non dignaris, sed nollem, ut segnities, aut tepiditas mea patientiae larvam assumeret.

Non, non, Seigneur, rien de ce qui détourne de l'objet de l'amour ne peut être léger à celui qui aime, car comment pourrait-il le distraire s'il n'aimait plus sensiblement ce qui le distrait ?

Par là je sens que ma misère et mon penchant se porte plutôt à ce qui est charnel comme moi : que cependant je vous aime parceque je ne désire rien hors de vous quoique je ne puisse être sans les autres choses.

Chapitre XVIII.

Aidez moi, Seigneur, vous voyez ce que je voudrais et ce que je puis, afin que je puisse m'approcher de votre autel, et jouir de la nourriture de mon âme d'une manière convenable à mon salut et à mon avantage.

Par votre grâce je vous ai consacré tous les jours et tous les momens de ma vie, mais hélas qu'il se passe des choses qui ne vous regardent souvent pas, souvent peu, et avec tiédeur et indifférence.

Je ne veux pas complaire à ma chair et à mes sens, mais je n'ose les détruire comme je voudrais si vous ne me commandiez de m'aimer pour vous-même.

Hélas, que ce que je fais est petit, qu'il est léger, et combien est grand ce que votre justice exige de moi, et ce que je ne sais pas le régler sans votre grâce pour vous le rendre d'une manière qui puisse vous plaire.

Votre amour ne connaît point de mesure, mon état, ma vocation, mes fonctions me prescrivent la discrétion, et celle-ci l'ordre, ma chair et mes infirmités dont elle est la source, me portent au relâchement et à ce qui les flatte ; qui sera juge entre moi qui veux vous aimer et moi-même qui peut-être m'aime plus que je ne devrais.

Je suis souvent avide, tiède, distrait, mais je ne sais discerner si vous me visitez par là ou si c'est un effet de ma négligence.

Je ne me plains pas ô mon Dieu de ce que vous ne daignez pas me donner d'une manière durable et permanente, mais je ne voudrais pas que ma paresse ou ma tiédeur prit le masque de la patience.

Quam saepe ineptus sum ad meditandum, semper distractus in orando: nec tamen mihi videor aliquibus objectis aut dissipationibus adhaerere, quae me ab his, et illis avocare deberent.

Da mihi Domine cognoscere me; omnis enim ignorantia mea tenebrarum mearum est effectus, da, ut serviam tibi, prout placitum est tibi.

Dum jejuno caput aggravari, et me ad meditandum ineptum reddi sentio, sed dum non jejuno quoque me per hoc non semper aptiorem reperio: nollem tamen animam meditationis esca privare, sed nec corpus plus condigno enervare.

Dirige, rege me via, veritas, et vita Salvator meus, quem sumere desidero in hunc finem, ut omnes actus meos secundum voluntatem tuam disponere valeam.

Sim avidus, sim tepidus, sim quidquid me esse volueris, dummodo mihi complacendo non deflectam a viis, per quas me ducere decrevisti; da, quaeso, te diligere sine mensura, fac. operari cum discretione in ordine beneplaciti tui.

O salus animae meae Deus meus! quomodo enarrare possem inenarrabilem gratiam, quam praestitisti mihi; sed tu non verba petis a me, sed sensum, affectum et opera.

Sentio Domine opus bonitatis et misericordiae tuae, sentio affectum voluntatis, quae vellet modo tibi placito amare te, aut potius operari pro te, sed affectum illum teneritudinis, lacrymas suavitatis necdum dignatus es dare mihi.

Sed nec illum audeo petere a te, sunt enim dona tua, quae mihi revereri, admirari, non appetere decet.

Multum est Domine, quae pro his tibi debeo, quae mihi largiri dignatus es; quomodo auderem plus petere, quam quod constituisti dare mihi in tempore, et in mensura, in qua placuerit tibi.

Fac me sequi voluntatem tuam per quascunque vias,

Combien souvent je suis incapable de méditer, toujours distrait dans la prière : et cependant il ne me paraît pas que je m'attache à des objets ou à des dissipations qui dussent me retirer des uns et des autres.

Donnez moi, Seigneur, de me connaître, car toute mon ignorance est un effet de mes ténèbres, donnez moi de vous servir comme il vous est agréable.

Quand je jeûne je sens ma tête s'appesantir, et que je deviens incapable de méditer, mais lorsque je ne jeûne pas je ne me trouve pas pour cela plus capable ; je ne voudrais pourtant pas priver mon âme de la nourriture de la méditation, ni affaiblir mon corps plus qu'il ne faut.

Dirigez, gouvernez moi ô mon sauveur, vous qui êtes la voie, la vérité et la vie que je désire recevoir pour cette fin, que je puisse régler toutes mes actions suivant votre volonté.

Que je sois avide, que je sois tiède, que je sois tout ce que vous voudrez, pourvu que par une lâche complaisance pour moi-même je ne m'éloigne pas des voies par lesquelles vous avez résolu de me conduire : donnez moi de vous aimer sans mesure, faites que j'agisse avec discrétion dans l'ordre de votre bon plaisir.

Ô mon Dieu salut de mon âme, comment pourrais-je exprimer la grâce ineffable que vous m'amez faite, mais vous ne demandez pas de moi des paroles, mais des sentimens, de la ferveur, et des œuvres.

Je sens, Seigneur! l'ouvrage de votre bonté et miséricorde, je sens le mouvement de ma volonté qui voudrait vous aimer d'une manière qui peut vous plaire ou plutôt agir pour vous, mais vous n'avez pas encore daigné me donner ces tendres mouvemens, ces larmes mêlées de tant de suavité et de douceur.

Mais je n'ose vous les demander, car ce sont des dons qu'il me convient de révérer, d'admirer plutôt que de les désirer.

Mes dettes Seigneur, sont grandes envers vous pour les biens dont vous avez daigné me combler, comment oserai-je demander plus que vous n'avez résolu de me donner dans le temps et la mesure qu'il vous a plu.

Faites moi suivre votre volonté par quelque chemin que

hoc solum peto a te, nolo enim esse meus, sed tuus, et ideo volo, quod vis, modo, et tempore, quo vis.

Multas credit esse vias homo, per quas duci potest ad te, sed fac me ignorare caeteras, dummodo dare digneris velle, quod vis, nolle, quod non vis.

Una sola est voluntas tua de me, omnes caeteri eventus vitae meae me ducunt ad illam, fac me pervenire ad illam, quam decrevisti, modo, quo ordinasti.

Quid possem velle praeter hoc, quod non magis velle carnis esset, quam spiritus; hic enim est imago tua, et ideo, te miserante, tendit ad te: illa pulvis et cinis trahitur ad originem suam.

O Domine! dum voluntatem tuam quaesiero, pace, quiete fruar continua, sed dum te de me aliquid determinati velle petiero : erit petere, ut velis, quod volo.

Sic homo saepe vellet mutare aeterna decreta tua, et ordinem, quem sapientia tua statuit, quoties enim aliquid determinati petit, vellet, ut tua decreta fierent conformia voluntati suae.

Sed o Deus aeterne, sapiens et immutabilis! tu me fecisti pro te, non ego te feci pro me, justum est, ut ego sequar immutabilem voluntatem tuam, non ut tu mutes secundum mutabilitatem meam.

Confortasti me, ut lubens sequar te : amplector igitur Domine volenter, quidquid decrevisti de me, hoc volo, et praeter hoc nihil volo: fac, ut praestem opere, quod velle dedisti in corde.

Caput XIX.

Respice in me, Domine, et miserere mei, ecce me statuo coram tribunali tuo, sed nec me accusare scio, nec excusare praesumo.

Nullius voliti mali conscius sum, sed per hoc justificatus

ce soit, je ne vous demande que cela, car je ne veux pas être à moi mais à vous, et c'est pour cela que je veux ce que vous voulez de la manière et dans le temps que vous le voulez.

L'homme croit qu'il y a beaucoup de voies par lesquelles l peut être conduit à vous, mais faites moi ignorer toutes les autres pourvu que vous me fassiez vouloir ce que vous voulez, et ne pas vouloir ce que vous ne voulez pas.

Il n'y a qu'une seule volonté de vous sur moi, tous les autres événemens de ma vie m'y conduisent, faites moi parvenir à celle que vous avez résolu de la manière que vous avez ordonné.

Que pourrais-je vouloir hors cela qui ne serait plutôt le vouloir de la chair que de l'esprit ; celui-ci est votre image, et c'est pour cela qu'avec votre grâce il tend à vous, l'autre n'est que cendre et poussière et se porte à son origine.

Ô Seigneur, tant que je rechercherai votre volonté je jouirai d'une paix et d'un repos inaltérable, mais lorsque je vous demanderai de vouloir sur moi quelque chose de déterminé, ce sera demander que vous veuilliez ce que je veux.

C'est ainsi que souvent l'homme voudrait changer vos décrets éternels, et l'ordre que votre sagesse a établi, car toutes les fois qu'il demande quelque chose de déterminé, il voudrait que vos décrets devinsent conformes à sa volonté.

Mais ô Dieu éternel, sage et immuable, vous m'avez fait pour vous, je ne vous ai pas fait pour moi, il est juste que je suive votre immuable volonté, et non que vous la changiez au gré de mon inconstance.

Vous m'avez fortifié pour que je vous suive de bonne volonté ; j'embrasse donc volontiers tout ce que vous avez résolu sur moi, je le veux et je ne veux rien hors de cela, faites que j'accomplisse par les œuvres ce que vous m'avez donné de vouloir dans le cœur.

Chapitre XIX.

Regardez sur moi, Seigneur, et ayez pitié de moi, voilà que je me présente devant votre tribunal, mais je ne sais ni m'accuser, ni n'ai la présomption de m'excuser.

Je ne me sens coupable d'aucune mauvaise volonté, mais

non sum, nec propterea a tot nolenter commissis fragilitatibus, et segniter omissis bonis me excusare valeo.

Longe sum igitur quin sim mundus in conspectu tuo, qui ab immundo conceptus semine, cupiditatis foedatus hujus, fructibus amaris nimis scateo.

Corpus peccati circumporto, fomes peccati manet in me, potentiae animae meae refragantur mihi, heu quantum absum ab innocentia et puritate! quantum volutor in luto et obscoenitate!

Hae sunt tot ac tantae doloris materiae, hae sunt gemituum causae; quibus foedatus ad te accedo, et oneratus ad te clamo.

Miserere, miserere mei, sana, munda, lava, purifica me; qui purus nequeo esse coram te.

Transit irrevocabile tempus, et ego, quia non proficio, deficiam, nisi tu sustinueris me.

Praeterita dolorem revocant, futura timorem provocant, heu! scio, quis fuerim, ignoro, quis sum, et poenitus me latet, quis ero tantis malis, tot occasionibus, tam frequentibus tentationibus circumdatus.

Tua misericordia me consolatur de praeteritis, ducat quaeso tua charitas in praesentibus, ut fiducia mea in te reddat tranquillum in futuris.

Ecce status, ecce onera, quibus onustus accedam ad altare tuum, fac ut alleviatus, consolatus, et te plus diligens revertar.

Quae enim major alleviatio, quae suavior consolatio, quam dilectio? diligenti quippe nihil grave est, dilectio est vera consolatio.

O Deus tu vides interiora mea; ingredere, purga, munda illa; fac, ut recedant omnia, quidquid dilectio non est, et tecum ac per te impleantur omnibus, quidquid charitas est.

O Jesu mi! semper te peto, te recipio, te denuo peto; ut te semper dignaris dare mihi, quoties accedo ad altare tuum;

je ne suis pas pour cela justifié; ni ne puis m'excuser de tant de fragilités involontaires et de tant d'omissions du bien que la paresse a causé.

Je suis bien éloigné d'être pur en votre présence, moi qui conçu d'une semence impure, souillé par la cupidité, suis rempli de ses fruits amers.

Je porte le corps du péché, le germe du péché demeure en moi, les puissances de mon âme me sont rebelles, hélas que je suis éloigné de l'innocence et de la pureté! que je suis plongé et roulé dans la boue et l'immondice.

Ce sont là tant et de si grands sujets de douleur, ce sont les causes de mes gémissements fouillé par elles je m'approche de vous, chargé de ce fardeau je crie à vous.

Ayez pitié de moi. ayez pitié de moi, guérissez moi, purifiez moi, lavez moi qui ne puis jamais être pur devant vous.

Le temps qu'on ne peut plus rappeler passe rapidement, et parceque je ne profite pas je défaillerai si vous ne me soutenez.

Le passé rappelle mes douleurs, l'avenir excite ma crainte hélas! je sais qui j'ai été, j'ignore qui je suis, et je ne sais nullement ce que je serai, environné de tant de maux, de tant d'occasions dangéreuses, de si fréquentes tentations.

Votre miséricorde me console du passé, que votre charité je vous supplie me conduise dans le présent, afin que ma confiance me rende tranquille sur l'avenir.

Voilà mon état, voilà les fardeaux dont chargé comme je suis je m'approcherai de votre autel, faites que j'en revienne soulagé, consolé, et vous aimant davantage.

Quel plus grand soulagement, quelle plus douce consolation que l'amour? puisqu'il n'i a rien de difficile à celui qui aime, l'amour est la véritable consolation.

Ô mon Dieu, vous voyez mon intérieur, entrez-y, purifiez le, nettoyez le, videz le de tout ce qui n'est pas amour, et faites qu'il soit rempli avec vous et par vous de tout ce qui est charité.

Ô mon Jésus, je vous demande toujours, je vous reçois, je vous demande de nouveau; et vous daignez toujours vous

et quanta est haec foelicitas mea! quam efficax medicina, quam tu tribuis animae meae!

Charitatem desideravi, ecce est in me Deus, qui charitas est; quid tibi debeo pro tantis? sed quid possum? quid habeo? quid dabo, quod tuum non est?

A te est omne bonum, tu omne bonum es, quidquid igitur a te est in me, bonum est, sed quidquid a te non est, bonum non est; et hinc video me tibi nihil dare posse: quod meum est, malum est.

A te, et per te sum, Deus, quidquid sum, et si tu me conservare cessares, redigerer in nihilum, unde extraxisti me; et hinc apparet me per te esse habere, et ex me nihil esse.

Quo me ducunt igitur hae reflexiones, nisi ut adorem te in humilitate cordis mei subjiciens me pauper creatura, qui nihil sum tibi creatori, per quem omnia sunt.

Quis est hominum, qui haec considerans concipere potuisset te amari velle ab hoc nihilo, nisi tu praecepisses; quid enim commune habet tecum amor creaturae, ut illum desideres

Praecepisti, jubes, vis amari, et quis est, qui non amabit summum bonum, quod solum bonum est?

Quis est inquam, qui te non amabit, qui te cognoscit; sed quis est, qui te vere cognoscit, nisi, qui te diligit.

Quia homo per se nihil est, amare debet illud Ens, quod omnia entia in sua continet essentia, sed unde hoc ens cognovisset, nisi illi hoc ens, suum esse communicasset, ut fieret ens, quod erat non ens.

Propterea primus homo, qui esse a te insufflando recepit, te Deus et cognovit et amavit, quia illud esse, quod per animam recepit, purum fuit et innocens.

donner à moi toutes les fois que je m'approche de votre autel; que mon bonheur est grand! que la médecine que vous donnez à mon âme est efficace!

J'ai désiré la charité, et voilà que mon Dieu qui est la charité même est en moi, que vous dois-je pour tant de bienfaits? mais que puis-je? qu'ai-je? que donnerai-je qui ne soit pas à vous?

Tout bien vient de vous, vous êtes tout bien, tout ce qui est donc de vous en moi, est bon, mais tout ce qui n'est pas de vous, n'est pas bon, et par là je vois que je ne puis vous rien donner qui soit à moi, parce que ce qui est à moi est mauvais.

Je suis de vous et par vous, ô mon Dieu, tout ce que je suis, et si vous cessiez un moment de me conserver je serais réduit dans le néant d'où vous m'avez tiré, et par là il est clair que j'ai l'être par vous, et que de moi-même je ne suis rien.

Où me conduisent donc ces réflexions qu'à vous adorer dans toute humilité de mon cœur, me soumettant pauvre créature que je suis à vous mon créateur par qui toutes choses ont reçu l'être.

Qui est l'homme qui considérant tout cela eut pu concevoir que vous voulussiez être aimé par ce néant si vous ne l'aviez commandé vous-même; car qu'a de commun avec vous l'amour de la créature pour que vous le désiriez?

Vous commandez, vous voulez être aimé, et qui est ce qui n'aimera pas le souverain bien qui est seul bon?

Qui est ce dis-je, qui ne vous aimera pas vous connaissant, mais qui est ce qui vous connaît véritablement? si ce n'est celui qui vous aime.

Parceque l'homme par lui-même n'est rien, il doit aimer cet être souverain qui contient tous les autres êtres dans son essence, mais par où aurait-il connu cet être si lui-même ne lui avait communiqué l'être pour que ce qui n'était rien auparavant, devint un être.

C'est pour cela que le premier homme qui reçut de vous l'être par le souffle vous connut et vous aima ô mon Dieu, parceque cet être qu'il reçut par l'âme fut pur et innocent.

Sed, o Domine, a quo haec anima, hoc esse hominis, per lapsum hominis obfuscatum et obnubilatum est, ignorantia est pars haereditatis suae, et te nec noscit, nec amat, nisi te illuminante tenebras ejus.

A te peto igitur, quod ex me habere nequeo, a te peto, ut te plus noscam, ut te plus diligam; ac te plus diligendo: plus noscam.

Caput XX.

Confundor Domine, et erubesco coram memetipso, imprudens enim prudentia mea arguit me, postquam deseruisset me, ut facerem id, unde malum, quod nolui, consecutum est.

Doleo, Domine, me causam fuisse indignationis, offensionis et oblocutionis proximi, tu tamen vides me bonum facere volendo, mali causam fuisse.

Circumvallant me linguae hominum, pungunt, dilacerant me, adjuva, conforta charitatem meam, ut te respiciens in proximo: semper plus doleam te offendi, quam me nulla data causa proscindi.

Respice me, et illos, sed judica nos in misericordia, ignorant enim, quod legem carnis sequantur, non spiritus.

O miseranda carnis servitus, quam fortia, sed quam occulta sunt vincula tua, quae eo fortius tenent, quo minus tenere creduntur!

Adjuva me, Domine, ut gemam de illis, quibus te offendere potui, fac, ut contrister de illis, quibus offenderis, quoniam quo plus te diligere cupiam, te summum bonum offendi, eo plus desiderabo dolere.

Multa sunt in me, quae doloris causam suppeditant, sed cum tecum, te adjuvante, unitus fuero, aliena quoque, quae te respiciunt, mea esse reputabo.

Sed tu solus potes tenebras cordis humani dispellere,

Mais, Seigneur, depuis que cette âme, cet être de l'homme fut obscurci et couvert de nuage par la chute de l'homme, l'ignorance est devenue une portion de son héritage et il ne vous connaît plus ni ne vous aime si vous n'éclairez ses ténèbres.

Je vous demande donc ce que je ne puis avoir de moi-même; je vous demande de vous connaître davantage, pour vous aimer davantage, et en vous aimant davantage de vous connaître davantage.

Chapitre XX.

Je suis confondu, Seigneur, et je rougis devant moi-même car mon imprudente prudence m'accuse maintenant après m'avoir abandonné à faire ce dont s'est ensuivi le mal que je ne voulais pas.

Je suis fâché ô mon Dieu d'avoir été la cause de l'indignation, de l'offense, et de la médisance du prochain, vous voyez cependant qu'en voulant faire le bien j'ai été cause du mal.

Les langues des hommes m'assiègent, me piquent, me déchirent, aidez fortifiez ma charité afin que vous regardant dans le prochain je sois toujours plus fâché de vous voir offensé que d'être déchiré sans en avoir donné aucun sujet.

Regardez moi avec eux, mais jugez nous dans votre miséricorde, car ils ignorent qu'ils suivent la loi de la chair et non de l'esprit.

Ô misérable servitude de la chair, que vos liens sont forts, mais qu'ils son cachés, car ils serrent d'autant plus fortement qu'ils paraissent moins le faire.

Aidez moi, Seigneur, pour que je gémisse des fautes par lesquelles j'ai pu vous offenser, faites que je sois affligé de toutes celles qui vous offensent puisque plus je souhaiterai de vous aimer, plus je désirerai d'avoir de la douleur quand vous êtes offensé vous qui êtes le souverain bien.

Il y a beaucoup de choses en moi, qui me fournissent matière de douleur, mais lorsque je serai uni avec vous par votre grâce, je regarderai comme étant à moi les choses étrangères qui vous regardent.

Mais vous seul pouvez dissiper les ténèbres du cœur hu-

tuum est, a te deviantes retrahere; reduc me igitur cum deflecto, dirige illos, cum quibus in te unum esse debeo: parcere et misereri est bonitatis tuae proprietas, nec huic semper punire convenit, quod humana fragilitas committit.

Ecce Domine ergo me praesentabo coram tribunali tuo, quia me imprudenter egisse sentio, et quamvis fecerim malum quod nolui, offensae tuae quoquo modo me causam fuisse doleo; quia te diligo.

Ignorat, quid sit diligere, qui nonnisi de peccatis volitis et cognitis vult dolere; cum is, qui diligit, de illis quoque dolet, quae praestare nequit, aut quae dilectioni convenientia omittit.

O Domine, quam justum esset, ut omne momentum vitae meae replerent gemitus, sed quia dilectionem non sentio, gemitum omitto.

Sed, o Deus, tu solus potes mihi dare spiritum, qui diligens gemit et qui gemens diligit; et ad hunc recipiendum ecce te adjuvante accedam.

Omnia bona venerunt in me tecum Jesu mi, nec quid ultra te desidero, sed te semper et in omnibus diligere posse peto.

Conforta me o nutrimentum animae meae contra adversa omnia, quae circumdant me, multis enim modis et viis oppugnant fragilitati meae.

Parce, parce Domine, et uni mecum in charitate illos, qui dicunt mala mihi: ne ingredere, iterum rogo te, in judicium cum linguis obtrectantium et calumniantium me, quod si enim possibile esset veritatem non offendi mendaciis, hoc peterem, ne offendaris.

Operare tamen in me etiam per haec, quae mihi tam sensibilia reddit fragilitas, omnia, quae tua de me decrevit voluntas: non enim ideo te sumpsi, ut tu transformeris in me, sed ut ego per te, transformer in te, dum placuerit tibi.

Discretionis spiritus defuit in me in illis, de quibus male

main, c'est à vous à rappeler ceux qui s'égarent de vous; ramenez moi donc quand je m'écarte, dirigez ceux avec qui je dois être un en vous : pardonner et faire miséricorde est le propre de votre bonté, et il ne lui convient pas punir toujours les fautes que la fragilité humaine commet.

Voilà, Seigneur, que je me présenterai devant votre tribunal parceque je sens que j'ai agi imprudemment, et quoique j'ai fait le mal que je ne voulais pas, je suis fâché d'avoir été en quelque manière la cause de ce que vous avez été offensé parceque je vous aime.

Celui qui ne veut avoir de la douleur que des péchés qu'il connaît et qu'il a voulu, ne sait ce que c'est que d'aimer, puisque celui qui aime est fâché même de ce qu'il ne peut pas faire, ou quand il omet ce qui convient à l'amour de faire.

Ô Seigneur, qu'il serait juste que tous les momens de ma vie fussent remplis de gémissemens, mais parceque je ne sens pas l'amour, je n'ai pas le gémissement.

Mais ô mon Dieu vous seul pouvez me donner l'esprit qui rempli d'amour gémit, et qui en gémissant aime, et pour le recevoir je vais m'approcher de vous avec votre aide.

Tous les biens sont venus en moi avec vous ô mon Jésus et je ne désire rien hors de vous, mais je vous demande de pouvoir vous aimer toujours et en tout.

Fortifiez moi divine nourriture de mon âme contre tous ces ennemis qui m'environnent, car ils attaquent ma fragilité par beaucoup de chemins et en beaucoup de manières.

Pardonnez, pardonnez leur, Seigneur, et unissez avec moi dans la charité ceux qui parlent mal de moi; n'entrez pas je vous en supplie derechef en jugement avec les langues qui médisent de moi et me calomnient, car s'il était possible que la vérité ne fut pas offensée par le mensonge, je vous demanderais de ne pas vous en offenser.

Operez cependant en moi-même par les choses que ma fragilité me rend si sensible, tout ce que votre sainte volonté a déterminé sur moi : car je ne vous ai pas reçu pour que vous soyez transformé en moi, mais pour que par vous je sois changé en vous lorsqu'il vous sera agréable.

L'esprit de discrétion m'a manqué dans les choses dont

egisse me poenituit; hinc imprudens est facta prudentia mea: da, te diligendo omnia mundi contemnere, ut fiat vere prudens imprudentia mea.

Confirma faciem meam contra judicia hominum, per charitatem tuam; quidquid enim amavero, illius judicium timebo.

Extende misericordiam tuam super illos omnes, qui ecce mecum de sacramento altaris, de corpore et sanguine tuo participarunt: hi sunt oves meae, fac, ut per me sint vere tuae.

Tradideras illos mihi a juventute eorum, et ego illos duxeram per vias iniquitatis, et pascebar in pascuis carnis cum illis.

Ea tamen fuit misericordia tua erga me, et illos, ut sicut uniti fuerunt mecum in spiritu carnis, ita nunc unitos esse credam in spiritu tuo.

Magna haec est consolatio mea, qui tibi pro illis tantae rationi reddendae obnoxius sum: uni nos tecum Domine, ut tanto tibi simus propiores, quanto fueramus remotiores.

Denique Domine da mihi lumen dilectionis proximi et charitatis tuae, et sufficit mihi; haec petere a te voluntatis et mandati tui est, ideo peto, ideo volo, ut possim facere, quod praecipis, prout vis.

Caput XXI.

Nimis tribulatus et confusus accederem ad te Deus, si me noscere non dedisses mihi; eo quod me semper fragilem reperiam, semper tepidum, semper segnem; sed tribulatio mea superbiae esset effectus, miserias conditionis suae impatienter ferentis.

Legi hodie in parabola Evangelii te, Jesu mi, mulierem curvam curasse, quae ab 18 annis erecta incedere non valuit, a spiritu infirmitatis oppressa.

Spiritus infirmitatis, non voluntatis meae facit me cura

je me repens d'avoir mal agi, par là ma prudence est devenue imprudente : donnez moi en vous aimant, de mépriser toutes ces choses du monde, afin que mon imprudence devienne véritablement prudente.

Confirmez moi par votre charité contre les jugemens des hommes, car je craindrai le jugement de tout ce que j'aimerai.

Étendez votre miséricorde sur tous ceux qui viennent participer avec moi aux sacremens de nos autels à votre corps et à votre sang : ce sont mes brebis, faites que par moi elles deviennent véritablement les vôtres.

Vous me les avez confié dès leur jeunesse, et je les conduisais par les voies de l'iniquité et paissais avec eux dans les paturages de la chair.

Telle a été cependant votre miséricorde envers eux et envers moi que comme ils m'ont été unis dans un esprit charnel, je les crois maintenant unis dans votre esprit.

C'est là une grande consolation pour moi qui dois vous rendre pour eux un si grand compte : unissez nous avec vous Seigneur, afin que nous soyons d'autant plus près de vous que nous en ayons été éloignés.

Donnez moi enfin, Seigneur, la lumière de l'amour du prochain et de votre charité, cela me suffit ; vous voulez et vous me commandez de vous le demander, c'est pour cela que je le demande, que je le veux afin de pouvoir faire comme vous le voulez ce que vous commandez.

Chapitre XXI.

Je m'approcherais de vous rempli de douleur et de confusion si vous ne m'aviez donné de me connaître ; parceque je me trouve toujours fragile, toujours tiède, toujours paresseux, mais ma tribulation serait un effet de ma superbe qui souffrirait impatiemment les misères de sa condition.

J'ai lu aujourd'hui dans la parabole de l'Évangile que vous ô mon Jésus avez guéri une femme courbée qui depuis 18 ans ne pouvait marcher droite tourmentée par un esprit d'infirmité.

L'esprit d'infirmité et non de ma volonté me fait marcher

vum incedere ; alligatus sum etenim a concupiscentia mea , et hic est spiritus infirmitatis meae.

Curvus incedo ad orandum, ad meditandum , sed et via, per quam eo, curva seu sinuosa est ; longe alio ducor enim a dissipationibus meis, quam ire vellem.

Sed oportet me taliter curvari sub pondere miseriarum mearum , ut noscam spiritum infirmitatis, qui producit illas, et reducar semper ad te Deus.

Non est hujus vitae miserae, ut erectus incedam , sed ut humilitate tanquam testudo curvus, et proprio onere oneratus accedam, repam ad te.

Hoc onus nimium sentire superbiae esset , sed non sentire, tepiditatis foret, et non dolere, esset, te segniter diligere.

Oportet igitur miserias meas portare patiendo, et de illis dolere diligendo , non ut dolor sit effectus impatientiae, sed dilectionis.

Sed, o Domine, indica mihi quaenam in his quoque, quae ecce taliter praestare vellem, tua me ducat dilectio, an proprii amoris inclinatio : an denique te velim, quia bonum est mihi adhaerere tibi, an quia bonus es?

Sic inest , o Domine , omni puritati dilectionis humanae spiritus infirmatis ejus , ut eum nec sentire , nec noscere, nec discernere valeat.

Amor proprius est infirmitas mea, et hujus proprietas est bonum appetere ; sed corruptionis ejus coecitas est bonum non discernere ; et omnis hujus infirmitatis infirmitas est, bonum quoque te illuminante agnitum propter se desiderare.

O medice animae meae salvator meus, quam implicatus est morbus, quo laboro ! Quanta est infirmitas, quae sanitas dicitur ! Quanta obscuratis, quae lumen putatur ! Denique quanta mortalitas , quae vita appellatur ! Venio igitur ad te, ut te sumens in me, petam, velim , desiderem , et faciam voluntatem patris, qui misit te, ut salves me.

courbé, car je suis lié par ma concupiscence et c'est la l'esprit de mon infirmité.

Je marche courbé à la prière, à la méditation, mais aussi le chemin par lequel je vais est courbé et sinueux; car je suis conduit par mes dissipations bien loin de l'endroit où je voudrais aller.

Mais il faut que je me courbe tellement sous le poids de mes misères, que je connaisse l'esprit d'infirmité qui les produit, et que je sois ramené à vous ô mon Dieu.

Ce n'est pas de cette vie misérable de marcher droit, mais de m'approcher, de ramper jusqu'à vous dans l'humilité comme une tortue, courbé et chargé de mon fardeau.

Trop sentir ce fardeau, serait orgueil, ne le pas sentir ce serait tiédeur, n'en pas gémir ce serait vous aimer lâchement.

Il faut donc porter en patience le poids de mes misères et en gémir en vous aimant, et que cette douleur ne soit pas un effet d'impatience mais d'amour.

Mais, Seigneur, indiquez moi je vous supplie, si c'est véritablement votre amour qui me guide dans ce que je voudrais faire ainsi, ou si c'est le penchant de l'amour-propre, ou enfin si je vous veux parcequ'il m'est avantageux de m'attacher à vous, ou parceque vous êtes bon.

C'est ainsi, Seigneur, que dans la pureté même de l'amour humain, se glise l'esprit de son infirmité, qu'il ne peut ni sentir ni connaître ni discerner.

L'amour propre est mon infirmité, et sa propriété est de souhaiter le bien: mais l'aveuglement de sa corruption est de ne pas discerner le bien, et toute l'infirmité de cette infirmité est de désirer pour lui-même le bien qu'il connaît par votre lumière.

Ô mon sauveur médecin de mon âme, que la maladie dont je suis attaqué est compliquée! Combien est grande cette infirmité qu'on appelle santé! combien grande est cette obscurité qu'on appelle lumière! combien grande est enfin cette mortalité qu'on appelle vie! je viens donc à vous afin que vous recevant en moi, je demande, je veuille, je désire, et fasse la volonté de votre père qui vous a envoyé pour me sauver.

Ecce Deus offero me tibi in holocaustum, et volo consumi, annihilari, transmutari in creaturam placentem tibi.

Praesenta me in unione spiritus tui, Christe redemptor meus, patri aeterno, ecce enim es in me, et ego te donante cupio una eademque oblatio et hostia esse tecum.

Scio, o Domine, haec, quae peto non me assequi posse in hac mortali vita, sed quia peto, prout vis, da, quod convenit fini, in quem ordinasti me.

Tu praecipis, ut abnegem memet ipsum, et vere ideo vellem ita annihilari, ne amplius illud ego sit in me, sed tu sis ille ego, qui sis in me.

Hae sunt, Domine, expressiones debilitatis meae, quae super se elevari vellet, et petit pennas sicut columbae, sed noli imputare in delictum insipientiam meam plus petentem, quam conditioni suae competit.

Adjuva me o sancta simplicitas charitatis salvatoris mei, quae ab infirmitatibus humanis eximi noluisti, sed semper voluntatem patris facere desiderasti.

Hoc sit igitur compendium omnis petitionis meae, et utinam hoc desiderium esset ignis holocausti mei, quod obtuli tibi.

Nihil peto Deus his nisi, amare te, sed absit a me designare modum amandi te, sunt enim varii amoris effectus, sed unus est amor; quem volo, quem peto, et desidero.

Quid igitur magis consultum, quam me tradere tibi, et te sequi o sancta charitatis simplicitas, quae omnis solicitudinis, aut specificae voluntatis expers, emanatio es simplicitatis Dei.

Suscipe me in omnem intellectum excedentem profunditatem tuam, fac me manere incomprehensibili, semper agente tranquillitate tua.

Sed heu, Domine, redeo ad me, et miser ille ego sum, qui

Voilà mon Dieu que je m'offre à vous en holocauste, et je veux être consumé, anéanti, et changé en une créature qui vous soit agréable.

Présentez moi dans l'union de votre esprit ô Christ mon redempteur à votre père éternel, car voilà que vous êtes en moi et avec votre grâce je souhaite de n'être qu'une même oblation et hostie avec vous.

Je sais Seigneur, que je ne puis dans cette mortelle vie atteindre à ce que je désire, mais parceque je demande comme vous voulez, donnez moi ce qui convient à la fin pour laquelle vous m'avez destiné.

Vous me commandez que je renonce à moi-même et véritablement je voudrais être tellement anéanti, qu'il n'y eut plus en moi ce moi-même, mais que vous fussiez ce moi-même qui est en moi.

Ce sont ô mon Dieu les expressions de ma faiblesse qui voudrait s'élever au-dessus d'elle-même, et demande des ailes comme la colombe, mais n'imputez pas à péché ma folie qui demande plus qu'il ne convient à sa condition.

Aidez moi ô sainte simplicité de la charité de mon sauveur, qui n'avez pas voulu être exempte des infirmités humaines, mais qui avez toujours désiré de faire la volonté de votre père.

Que ce soit là l'abrégé de toutes mes demandes, et plût à Dieu que ce désir fut le feu de mon holocauste que j'ai offert.

Par là je ne demande, ô mon Dieu, que de vous aimer, mais loin de moi la pensé d'en designer la manière car il y a différens effets de l'amour; mais il n'y a qu'un amour que je veux, que je demande, et désire.

Qu'y a-t-il donc de meilleur que de me livrer à vous et de vous suivre ô sainte simplicité de la charité qui exempte de toute inquiétude et volonté particulière êtes émanée de la simplicité de Dieu même.

Recevez moi dans votre profondeur qui excède tout entendement, faites moi rentrer dans votre incompréhensible, et toujours agissante tranquilité.

Mais hélas! Seigneur, je reviens à moi, et je suis ce mi-

haec peto a te, et in tranquillitate volo facere tabernaculum meum.

Non, non Domine, adjuva quaeso me, ut velim charitatis simplicitatem absque respectu tranquillitatis, ut in simplicitate te velim, te desiderem, non dona tua.

Caput XXII.

Accedo ad te Domine, non ut te interrogem, prout in hodierno Evangelio pharisaeos fecisse lego: quod est magnum mandatum in lege; sed ut me coram te examinem, quomodo satisfecerim illi.

Interrogo me, et ecce confusus et mutus efficior, nec mihi respondere, nec tibi aliquid dicere valeo,

Non oportet loqui tibi Deus, ut tu statum meum noscas, sed oportet mihi respondere mihimet ipsi, ut confundar, erubescam et doleam.

Diligo te Domine, sed dilectio mea est dilectio hominis tot fragilitatibus et imperfectionibus plena, et dilectionis nomen non meretur; nisi ex eo, quod nihil amem praeter te: hoc tamen necdum est amare te, prout praecipis.

Examino cogitationes, verba et opera, et haec veritas, quam dico, redditur mihi sensibilis, nec enim mens, nec cor, nec vires, nec anima semper tota tendunt ad te; unde praevaricatorem legis debeo me agnoscere.

O mandatum dilectionis misericors, justum, suave, delectabile et jucundum, quantum tibi refragantur miseriae conditionis meae?

Subjecit sibi voluntatem meam misericordia tua, dedisti velle, quod vis, sed justitia tua onera fragilitatis reliquit super me: haec sunt enim poenae peccato debitae.

Peccator, pulvis, putredo et corruptio sum in conspectu iustitiae tuae, misericordia tamen tua praecipit, ut diligam te, et haec ipsa lex misericordia fundatur in justitia tibi creatori debita.

sérable qui vous demande ces choses, et qui veut faire ma demeure dans la tranquilité.

Non, non, Seigneur, aidez moi je vous prie, pour que je veuille la simplicité de la charité sans avoir égard à la tranquillité, afin que dans la simplicité je vous veuille, je vous désire, et non vos dons.

Chapitre XXII.

Je m'approche de vous, Seigneur, non pour vous interroger comme je lis dans l'Évangile d'aujourd'hui que les pharisiens ont fait : quel est le plus grand commandement de la loi, mais pour m'examiner devant vous comment j'y ai satisfait.

Je m'interroge, et je deviens muet et confus, et je ne puis ni me répondre ni vous dire quelquechose.

Il ne faut pas vous parler, ô mon Dieu, pour que vous connaissiez mon état, mais il me faut répondre à moi-même pour que je sois confondu, que je rougisse et que j'aie de la douleur.

Je vous aime Seigneur, mais mon amour est un amour d'homme rempli de tant de fragilités et imperfections, et ne mériterait pas le nom d'amour, si ce n'est que je n'aime rien hors de vous, ce n'est pourtant pas là vous aimer comme vous le commandez.

J'examine mes pensées, mes paroles, et mes œuvres et cette vérité dont je parle me paraît plus sensible, car l'esprit, le cœur, les forces, l'âme ne tendent pas toujours à vous, par où je dois me reconnaître prévaricateur de la loi.

Ô commandement de l'amour, miséricordieux, juste, plein de suavité et de douceur, que la misère de ma condition s'oppose à vous ?

Votre miséricorde s'est soumis ma volonté, vous m'avez donné de vouloir ce que vous voulez, mais votre justice a laissé sur moi le fardeau de la fragilité, car c'est là la peine due au péché.

Je ne suis en présence de votre justice que poussière, pourriture et corruption, votre miséricorde me commande cependant de vous aimer, et cette même loi de miséricorde est fondé sur la justice qui vous est due comme créateur.

Qui te amat, Domine, super omnia, huic justitiae creatori a creatura debita satisfacit, sed legem adaequate non implet, quia etiamsi tota voluntate amet, quia homo est, reliquas potentias animae ita continere nequit, quin mandato contrarientur.

Dedisti proinde praeceptum justum et misericors, sed naturae vires longe excedens; ut agnoscam me, humilitatus petam a te auxilium, cum tibi nihil sit difficile, nihil impossibile.

Semper idem dico, semper eadem refero itaque tibi, quia semper idem sum, et ero in carne, nisi enim dederis, quod jubes, facere nequeo, quod praecipis.

Ad haec impetranda recurro ego ad te Jesu Salvator, ut suscipiam te, et sumam incrementum dilectionis ad plus amandum te, Deus, qui amari vis.

O saccus putredinis, sentina miseriarum corpus meum, in te continetur nunc omnis thesaurus bonorum coelestium! sensus tui hoc mysterium non capiunt, et ideo ecce quam tepidi, quam indifferentes sunt ad adventum tanti hospitis.

Si dilectio, qua te diligo Deus, in sensus meos caderet, sentirem dilatari interiora mea, lachrymis teneritudinis operiri oculos, et singultus, ac amoris suspiria cieri ex corde meo.

Sed, o Domine, necdum ditasti in tantum paupertatem meam, necdum tam intrinsece penetrasti me, necdum ego tam intime unitus sum tecum.

Hinc omnia languent, omnia algent, segnia et tepida sunt in me, volo tamen omnia, quae vis de me.

Nec conquerer igitur, nec peto illa, quae necdum dedisti mihi, sed quae necessaria sunt, ut taliter vivam, prout placitum est tibi.

Celui qui vos aime, Seigneur, par dessus tout, satisfait à cette justice que la créature doit au créateur, mais ne remplit pas entièrement cette loi, parceque quand même il vous aimerait de toute sa volonté, parcequ'il est homme, il ne peut tellement contenir les autres puissances de son âme qu'elles ne transgressent ce commandement.

Vous avez donc donné un précepte juste et miséricordieux; mais qui surpasse de beaucoup les forces de la nature, pour que je me connaîsse et qu'humilié je vous demande secours puisque rien ne vous est difficile, rien ne vous est impossible.

Je dis toujours, je vous rapporte toujours les mêmes choses, parceque je suis toujours le même dans cette chair fragile, car si vous ne me donnez ce que vous me commandez, je ne puis faire ce que vous ordonnez.

Pour obtenir tout cela j'ai recours à vous ô Jésus mon Sauveur, pour vous recevoir et avec vous un accroissement d'amour pour vous aimer davantage ô mon Dieu qui voulez être aimé.

Ô sac de pourriture, sentine de misères, ô mon corps, vous contenez maintenant en vous le trésor de tous les biens célestes! vos sens ne comprennent pas ce mystère, et c'est pour cela que voilà combien ils sont tièdes et indifférens à l'arrivée d'un tel hôte.

Si l'amour dont je vous aime ô mon Dieu, tombait sous les sens je sentirais dilater mes entrailles, mes yeux se noyer de larmes de tendresse, et émaner de mon cœur des soupirs, et des épanchemens d'amour.

Mais, Seigneur, vous n'avez pas encore jusqu'à ce point enrichi ma pauvreté, vous ne m'avez pas encore pénétré si intérieurement, je ne suis pas encore si intimement uni avec vous.

C'est pour cela que tout languit, que tout est froid, que tout est tiède et lent en moi, je veux cependant tout ce que vous voulez de moi.

Je ne me plains donc pas, je ne demande pas ce que vous ne m'avez pas encore donné, mais ce qui m'est nécessaire pour vivre d'une manière qui vous soit agréable.

Sentiam itaque semper pondus miseriarum mearum, dummodo non evadant illae contrapondia dilectionis tuae, et ne me permitte avelli a praeceptis tuis.

Maneat in me spiritus tuus Jesu mi, ut sanctificet et illa inania, ociosa fragilitatis meae verba et opera, ad quae, vel me fragilitatis ducit inclinatio, vel humanitatis revocat inconsideratio.

Non enim me haec a dilectione tua avocant, tempus tamen meum ita impendere vellem, prout tibi placere scirem, si illum fervorem dare dignareris, qui me semper in tua praesentia teneret.

Fac mecum igitur, quod de me decrevisti, da mihi, quod mihi dare destinasti, ut perveniam eo, quo me vocasti.

Amem ego Deus semper voluntatem tuam, amem decreta tua, quia haec amare est sequi te, seu facere voluntatem tuam.

Compleat justitia tua omne opus suum in tempore in me, et ad illud ecce me offero tibi, duc me per aspera carnis, per cruces et afflictiones, si placitum est tibi.

Multum justitiae tuae debeo Deus, si possem omnia in hoc mundo solvere vellem, onera me jumentum tuum et utere mecum, prout lubet tibi, non sicut placet mihi.

Caput XXIII.

Dies est, Domine, memoriae sancti Francisci, cujus nomen gero sacer, quem filius tuus in exemplum humilitatis, paupertatis, et dilectionis suae statuere dignatus est mihi; da Domine, ut haec, quae in homine recolo, digne adorem in Deo homine.

Mirabilis es Deus in sanctis tuis, sed semper tu es, qui mirabilis es, semper tu es, qui mihi in illis diligendus, glorificandus, et laudandus est.

Sola charitas me unire potest tecum, et haec me unit in

Que je sente donc toujours le poids de mes misères, pourvu qu'elles ne deviennent pas des contrepoids à votre amour, et ne permettez pas que je sois arraché à vos préceptes.

Que votre esprit demeure en moi ô mon Jésus, pour sanctifier les paroles et les œuvres de ma fragilité, oiseuses et inutiles, auxquelles me porte naturellement le penchant de ma faiblesse, ou me rappelle l'imprudence de l'humanité.

Car tout cela ne me retire pas de votre amour, je voudrais cependant employer tellement mon temps comme je saurais qu'il vous est agréable. si vous daigniez me donner cette ferveur, qui me tient toujours en votre présence.

Faites donc avec moi ce que vous avez résolu sur moi, donnez moi ce que vous m'avez destiné pour que je parvienne où vous m'avez appellé.

Que j'aime toujours ô mon Dieu votre volonté, que j'aime vos décrets, parceque les aimer c'est vous suivre, ou faire votre volonté !

Que votre justice accomplise en moi dans le temps tout son ouvrage, et pour cela voilà que je m'offre à vous, conduisez moi par les voies épineuses de la chair, par les croix et les afflictions, si tel est votre bon plaisir.

Je dois beaucoup à votre justice, ô mon Dieu, si je pouvais je voudrais payer toutes ces dettes dans ce monde, chargez moi qui suis votre jument et usez en avec moi comme il vous plaira et non à moi.

Chapitre XXIII.

C'est aujourd'hui, Seigneur, la fête de Saint François dont je porte le nom, que votre fils a daigné me donner pour exemple de son humilité, de sa pauvreté et de son amour, faites que j'adore dignement dans un Dieu homme ce que je revère dans un homme.

Vous êtes admirable ô mon Dieu dans vos saints, mais vous êtes toujours celui qui est admirable, vous êtes toujours celui que je dois aimer, glorifier et louer en eux.

La seule charité peut m'unir avec vous, et elle m'unit en

te, cum sanctis tuis, et in illis tecum, nequeo igitur uniri tecum, quin sim unitus et cum ipsis, sed nec unitus possum esse cum ipsis, quin sim unitus et tecum.

Sed, o Domine, heu magna est differentia unionis illorum tecum, qui te vident in claritate, contemplantur in gloria, et te fruuntur in dilectione, inter me, qui te video in aenigmate, contemplor in tenebris, et desidero in dilectione tepida nimis.

Illi purificati ab omni macula manent in te, ego plenus tantis sordibus sum elongatus a te, et quidquid est in me meum, est ex natura sua oppositum tibi.

Te adjuvante accedo ad te volens, deficiente recedo ad me nolens, et in hac vicissitudine luctor cum fragilitatibus, infirmitatibus, concupiscentiis meis factus mihimetipsi gravis.

O coelestis patriae cives et beatorum spirituum ordines, gloriosus triumphantis Ecclesiae coetus, vobiscum uniri vellem charitate, et ecce haereo in tepiditate.

Gratulor de gloria vestra, gemo de miseria mea, doleo de omnibus, quae me maculant, conspurcant et ab unione vestra in summo bono praepediunt.

Quam inaéstimabilis est gratia Dei, quae me in communionem vestram vocavit, quam infelix est status meus, qui me illa toties indignum reddit.

O beate Francisce, quem charitas Dei per humilitatem gloriosum, per paupertatem divitem fecit, quam indigne gero nomen tuum non sequens exemplum tuum.

Foecundavit Deus, per te viventem nova prole Ecclesiam, et per totum orbem diffusa multitudo filiorum tuorum hodie singulari pietate in te, te tecum Deum laudat, cum quibus me unire desidero.

O divina salvatoris mei charitas, quae sanctos tuos tui participes fecisti, o Jesu mi, qui me ad communionem sacramentalem sacro sancti corporis tui admittere, quin et (quamvis indignum) vocare dignaris, inflamma cor meum, ut unitus

vous avec vos saints, et en eux avec vous. Je ne peux donc être uni avec vous, que je ne sois uni avec vous.

Mais, Seigneur, hélas! qu'il y a une grande différence de leur union avec vous, puis qu'ils vous voient clairement, qu'ils vous contemplent dans votre gloire et jouissent de vous dans l'amour, qu'il y a, dis-je une grande différence entre eux et moi qui ne vous vois qu'en énigme, qui ne vous contemple que dans les ténèbres et ne vous désire que par un amour trop tiède.

Eux purifiés de toute tache demeurent en vous, et moi plein de tant d'ordures je suis éloigné de vous, et tout ce qu'il y a en moi de moi, est par sa nature opposé à vous.

Par votre secours je m'approche de vous de bon gré, venant à défaillir je reviens à moi-même malgré moi, et dans cette vicissitude devenu fâcheux à moi-même, je lucte avec mes infirmités, mes fragilités et mes concupiscences.

Ô citoyens de la céleste patrie, ordres des esprits bien heureux, glorieuse assemblée de l'Église triomphante je voudrais être uni avec vous dans la charité, et voilà que je demeure arrété dans la tiédeur.

Je vous félicite de votre gloire, je gémis de la misère, je déplore tout ce qui me souille et m'empêche de m'unir avec vous dans le souverain bien.

Combien inestimable est la grâce de Dieu qui m'a appelé dans votre communion, combien malheureux est mon état qui me rend si souvent indigne d'elle.

Ô bienheureux St. François que la charité de Dieu a rendu glorieux par l'humilité, riche par la pauvreté, que je porte indignement votre nom, ne suivant pas votre exemple.

Par vous Dieu a donné à l'Église vivante de nouveaux enfans dont la multitude répandue par toute la terre loue Dieu aujourd'hui avec une piété singulière en vous et avec vous; c'est avec eux que je souhaite être uni.

Ô divine charité de mon sauveur qui avez rendu vos saints participans de vous-même, ô mon Jésus qui daignez m'admettre que dis-je m'inviter tout indigne que j'en suis, à la communion sacramentelle de votre corps adorable, enflam-

cum tot millibus filiorum sancti tui Francisci tecum, per te, et in te laudare et glorificare valeam patrem coelestem.

Elevare o anima mea, et laetare cum sanctis curiae coelestis in Deo salutari tuo, quem enim illi adorant, suscepisti, quo fruuntur manducasti, quem glorificant, et exaltant, recepisti.

Lauda Deum singulariter cum beato patrono meo, cujus a Deo praestitas gratias recoluisti, nunc charitatem habere pete.

Sentio Domine paupertatem meam, et ideo peto, scio pretium illius thesauri, et ideo appeto, omnia bona continet, quia, quod peto, tumetipse es.

Quidquid considero in te Deus, perfectio est, sed ausim dicere, quod omnis perfectionis expressio charitas est, quia charitas spiritus Dei est.

Amor patris erga filium, filii erga patrem, hunc spiritum producit, et haec erit operatio charitatis tuae in me, cum illa dotaveris me.

Amor tuus erga me verus est, et realis, sed amor meus erga te est amor hominis miseri et infirmi, sed nec talis esset, si a spiritu tuo procedens, spiritum bonae voluntatis non produceret.

Venis in me Jesu mi, tu scis solus, quid reperis in me de illis, quae dedisti, non enim meum est purgare me, sed tuum est per me agere de me.

Intellectus hebescit, cor tepescit, vide o Domine, quantum deest mihi, et da, quod prodest mihi.

Deficit ecce omnis virtus mea ad contemplanda magnalia tua, deest fervor ad uniendum, sed adest tamen, te adjuvante, voluntas ad diligendum.

Sentio Domine, quod jam jam reincidam in infirmitates et languores meos. Sensus enim mei quaerunt sibi proportionata objecta, et heu, spiritus legem sibi imponi sentiet.

Incolatus meus prolongatus est, adhuc caro sum, adhuc pauper anima alligata oneri suo trahitur ab illo.

mez mon cœur, afin qu'uni avec tant de milliers d'enfans de St. François, je puisse avec vous, par vous et en vous, louer et glorifier le père céleste.

Élevez vous ô mon âme et réjouissez vous avec les saints de la cour céleste en Dieu votre sauveur, vous avez pris celui qu'ils adorent, vous avez mangé celui dont ils jouissent, vous avez reçu celui qu'ils glorifient et exaltent.

Louez Dieu particulièrement avec mon b. patron dont vous avez honoré les grâces que Dieu lui a faites, demandez maintenant d'avoir sa charité.

Je sens Seigneur ma pauvreté, et c'est pour cela que je le désir, il contient tous les biens, parceque ce que je demande c'est vous-même.

Tout ce que je considère en vous ô mon Dieu est perfection, mais j'ose dire que la charité est l'expression de toute perfection, parceque la charité est l'esprit de Dieu.

L'amour du père envers son fils, du fils envers le père produit cet esprit, et ce sera là l'ouvrage de votre charité en moi, lorsque vous m'en aurez gratifié.

Votre amour envers moi est véritable et réel, mais mon amour envers vous est l'amour d'un homme misérable et infirme, mais il ne serait pas tel si procédant de votre esprit il ne produisait un esprit de bonne volonté.

Vous venez en moi ô mon Jésus, vous seul savez ce que vous trouvez en moi de ce que vous m'avez donné, car ce n'est pas à moi à me purifier, mais c'est à vous à agir de moi par moi.

L'entendement est hébété, le cœur est tiède, voyez Seigneur, combien il me manque et donnez moi ce qui m'est utile.

Voilà que toute ma force défaillit à contempler vos merveilles, la ferveur manque pour m'unir, mais il y a cependant en moi, par votre grâce la volonté pour aimer.

Je sens, Seigneur, que je retomberais bientôt dans mes langueurs et infirmités, car mes sens cherchent des objets qui leur soient proportionés, et mon esprit hélas sentira qu'on lui impose une loi.

Mon pélerinage est prolongé, et je suis encore chair, encore ma pauvre âme enchaînée par son fardeau est entraînée par lui.

Jesu, qui venisti in me, Jesu Salvator meus, Jesu Deus meus, miserere mei, da amare te, ut salves me.

Caput XXIV.

Aut pati, aut mori optabat dilecta filia tua, Deus, charitatis spiculo transfixa, cujus hodie recolitur memoria, et quomodo melius exprimere potuisset, quod sensit? quomodo dignius imitari potuisset, quem dilexit?

Vita sponsi sui passio fuit, et passionis finis mors, mortis effectus glorificatio, et pati igitur et mori ideo voluit, ut uniretur dilecto suo.

Vivere inchoavi, a quo me pati docuisti, sed nec mori recuso, a quo me te diligere velle dedisti.

Horreo recordari ignorantiarum mearum, horreo meminisse peccatorum, sed plus doleo, quod te non dilexi, quia non diligendo mortuus fui.

Quam breve est tempus, a quo me resuscitasti, quia te diligere fecisti, sed heu necdum vivo, quia te ardenter non diligo.

Patior Domine fragilitatum conditionis meae miserias, sed necdum patior amoris tui incendia, sentio indignitatem meam, nec nisi luctus, et doloris reperio incitamentum, sum enim procul a te, quamvis dederis velle diligere te.

Gratulor et congaudeo felicitati tuae sancta patrona mea Theresia, in te Deus magnitudinem miserationum suarum demonstravit, et tam stupendos amoris effectus manifestavit. Dum vitam tuam recogito, paupertatem, egestatem meam eo plus agnosco, pati a te discere vellem, ut mori ferventius desiderarem, sed prius impetra mihi, ut vere diligam, ut aut pati aut mori sciam.

Ô mon Jésus qui êtes venu en moi, Jésus mon sauveur, Jésus mon Dieu ayez pitié de moi, donnez moi de vous aimer afin que vous me sauviez.

Chapitre XXIV.

Votre fille bien-aimée, ô mon Dieu, dont on honore aujourd'hui la mémoire, percée de l'aiguillon de la charité souhaitait de souffrir ou de mourir, et comment aurait-elle pu mieux exprimer ses sentimens? comment aurait-elle pu imiter plus dignement celui qu'elle aimait?

La vie de son époux ne fut que souffrance et la mort la fin de ses souffrances, l'effet de sa mort fut sa glorification, elle voulut donc souffrir et mourir afin d'être unie à son bien-aimé.

J'ai commencé à vivre depuis que vous m'avez appris à souffrir, mais je ne refuse pas de mourir depuis que vous m'avez donné de vouloir vous aimer.

J'ai horreur de me souvenir de mes ignorances, j'ai horreur de me souvenir de mes péchés, mais j'ai plus de douleur de ne vous avoir pas aimé, parcequ'en n'aimant pas j'ai été mort.

Combien court est le temps depuis lequel vous m'avez résuscité parceque vous m'avez donné de vous aimer, mais hélas je ne vis pas encore parceque je ne vous aime pas ardemment.

Je souffre, Seigneur, les misères de la fragilité de ma condition, mais je ne souffre pas encore le feu de votre amour, je sens mon indignité et je ne trouve en moi que des motifs de douleur et de gémissement, car je suis éloigné de vous quoique vous m'ayez donné de vouloir vous aimer.

Je me réjouis, je prends part à votre félicité ô sainte Therèse ma patronne. Dieu a fait éclater en vous la grandeur de ses miséricordes et les prodigieux effets de son amour.

Lorsque je réfléchis sur votre vie je reconnaîs davantage ma pauvreté et mon indigence, je voudrais apprendre de vous à souffrir pour désirer plus ardemment de mourir; mais auparavant obtenez moi d'aimer véritablement pour savoir ou souffrir ou mourir.

Nutrimentum dilectionis tuae fuit illud ipsum, ad quod sumendum me praeparare vellem, quam ardens fuit tua praeparatio, quam algens est mea dispositio.

Tu in illa patiebaris amoris deliquia, ego sentio tepiditatis languores, tu flagrans, ego aridus, tu diligens, ego diligere volens sumere intendo escam, quam vivens in terris sumpsisti.

Repeto Domine, nec enim satis recogitare possum, quomodo audere auderem ad altare tuum, si me non vocares, quomodo te sumere praesumerem, si non juberes?

Quo plus me examino, eo indigniorem me reperio, quo plus te considero, eo minus in me invenio.

Nihilum igitur meum se projicit in abyssum misericordiarum tuarum, fiam, quod necdum sum, frigiditas mea accedit ignem charitatis, ut sentiam, quod necdum sentio.

O sensus mei vos portatis poenam peccati, quia summum bonum ignoratis, et hinc felicitatem vestram non sentitis.

Quam inania, inutilia et puerilia sunt, quibus adhaerere et illis frui inclinamini, et ecce ad objectum omnis felicitatis, ad diligendum Deum tepescitis.

O intellectus obfuscatus, haebes memoria, torpens voluntas, denique o anima mea arctaris in corpore, et ecce ad adventum Dei salvatoris tui et sensus, et potentiae tuae languent.

Seu quia nescio, quid sit diligere, seu quia ignoro, quod diligam, hoc vere sentio, quod necdum sentiam, quod sentire vellem, quia tu Deus infinite plus amari dignus es.

Recedite a me sensuum meorum illusoria objecta, vellem enim recedere a me, ut tibi Deus plus uniri possem.

Heu quis mihi dabit pennas, ut volem et requiescam,

La nourriture de votre amour a été cela même que je voudrais me préparer à recevoir, que votre préparation a été ardente, que la mienne est froide au contraire.

Vous souffrirez en elle les extases de l'amour, je sens les langueurs de la tiédeur, vous pleine de ferveur et moi aride, vous pleine d'amour et moi voulant aimer j'ai dessein de prendre la nourriture que vous avez prise pendant cette vie mortelle.

Je le répète Seigneur, car je ne puis assez y réfléchir comment oserais-je approcher de votre autel si vous ne m'appeliez, comment aurais-je la présomption de vous recevoir si vous ne le commandiez ?

Plus je m'examine plus je m'en trouve indigne, plus je vous considère moins je trouve en moi.

Mon néant se jette donc dans l'abîme de vos miséricordes, que je devienne ce que je ne suis pas encore, ma froideur s'approche du feu de la charité pour sentir ce que je ne sens pas encore.

Ô mes sens vous portez la peine du péché, parceque vous ignorez le souverain bien, et par là vous ne sentez pas votre félicité.

Combien inutiles, vaines et puériles sont les choses auxquelles vous êtes portés à vous attacher et a en jouir, et voilà que vous devenez tiède pour aimer Dieu en présence de l'objet de toute félicité.

Ô entendement obscurci, mémoire hébété, volonté languissante, enfin ô mon âme vous êtes resserrée dans le corps et voilà qu'à l'arrivée de votre Dieu vos sens et vos puissances languissent.

Soit parceque je ne connais pas ce que c'est qu'aimer ; et soit parceque j'ignore ce que j'aime, je sens véritablement que je ne sens pas encore ce que je voudrais sentir parceque vous êtes infiniment plus digne d'être aimé ô mon Dieu.

Éloignez vous de moi objets enchanteurs de mes sens, car je voudrais m'éloigner de moi-même pour être plus intimement uni à vous ô mon Dieu.

Hélas qui me donnera des ailes pour voler et me reposer,

quis, inquam, dabit pennas, nisi charitas; sed necdum miser elevor, quia caro et terra sum.

Desidero volare et requiescere in te, sed non quia bene esset mihi, sed quia vocas, et ut te diligam, jubes, quia Deus es.

Nihil sentio, quod me voluntarie retinet, sed necdum habeo, quod me elevare potest, hinc torpeo, propterea repo.

Da proinde pati miserias meas, da diligere vias tuas, per quas ducis me, ut diligam eo ferventius voluntatem tuam, quae dirigit me.

Vellem Domine corde, affectu, mente et viribus te diligere, prout placet tibi, quodsi enim voluntatem meam sequerer, te affectu et corde Sanctae, cujus memoriam colo, diligere peterem.

Non excederet petitio mea mandatum tuum, qui omnes vires, cor et animum requiris, sed fors non esset conformis ordinationi tuae, unde peto pati, quod imponis, mori, dum vocaveris, et diligere, prout praecipis.

Caput XXV.

Illumina me o lumen cordis mei, Deus, vellem enim videre reconditas plicas cordis mei, ut tibi confitear turpitudines meas et peccata contra me.

Seu negligentias meas in operibus, seu tepiditates in orationibus, seu ociositates in verbis recogitem, omnibus his circumdatus accusor coram te, et merito convincor a justitia tua.

Aridusne sum aut negligens, ignoro; hoc tamen sentio, quod talis sum, qualis esse nollem, sed non esse nequeo.

Accuso me, Domine, et de meis ariditatibus, et de negli-

qui, dis-je me donnera des ailes si ce n'est la charité, mais misérable comme je suis je ne puis encore m'élever parceque je ne suis que chair et terre.

Je désire voler et me reposer en vous, mais non parcequ'il serait bon pour moi, mais parceque vous m'appelez et que vous me commandez de vous aimer, parceque vous êtes Dieu.

Je ne sens rien qui me retienne volontairement, mais je n'ai pas encore ce qui peut m'élever, c'est pour cela que je languis et que je rampe.

Donnez moi donc de supporter mes misères, donnez moi d'aimer vos voies par lesquelles vous me conduisez afin que j'aime plus ardemment votre volonté qui me dirige.

Je voudrais, Seigneur, vous aimer de tout mon cœur, de toute mon affection, de tout mon entendement et de toutes mes forces comme il peut vous plaire, car si je suivais ma volonté je vous demanderais de vous aimer avec le cœur et l'ardeur de la sainte dont j'honore aujord'hui la mémoire.

Cette demande n'excéderait pas votre commandement puisque vous exigez tout le cœur, l'âme et les forces, mais peut-être ne serait-elle pas conforme à votre ordre, c'est pourquoi je vous demande de souffrir ce que vous m'imposez, de mourir quand vous m'appelerez et de vous aimer comme vous me commandez.

Chapitre XXV.

Éclairez moi ô mon Dieu lumière de mon cœur, car je voudrais voir les secret replis de mon cœur pour vous confesser contre moi-même ma turpitude et mes péchés.

Soit que je me rappele mes négligences dans les œuvres, mes tiédeurs dans l'oraison, l'oisiveté de mes paroles, environné de tout cela je suis accusé devant vous et duement convaincu par votre justice.

Je ne sais si je suis aride ou négligent, je sens cependant que je suis tel que je ne voudrais pas être, mais que je ne puis ne pas être.

Je m'accuse, Seigneur, et de mes aridités, et de mes né-

gentiis, quamvis enim nec hae nec illae voluntariae fuerunt, ex defectu dilectionis processerunt.

Essent haec lacrymarum inicitamenta, non simplicis doloris, charitatis sentirem incendia, sed quia tepescit in me tua charitas, necdum emollitur cordis mei frigiditas.

Non conqueror, quod patiar conditionis meae miserias, ad hoc vivo enim, ut patiar, sed de eo doleo, quod illas satis non sentio.

Adhuc incola in hoc mundo non peregrinus videor mihi, adhaereo, sed cui nescio, nec enim aliquid aliud praeter te diligo, sed heu! te non satis desidero.

Nihil me retinet in hac vita praeter voluntatem tuam, quia nonnisi propter illam vivere cupio, sed ut vere vivam, fac, o bone Deus, ut te plus diligam.

Recedite ex mente mea pueriles bullae, objecta sensuum, vigilantis hominis somnia, non vos amo, sed quia mihi adhaeretis, et ego vobis adhaereo.

Vos me nolentem trahitis, distrahitis, dissipatis in orationibus, ac meditationibus, et heu, quam saepe mei oblitus, divagor per inania, vos sequens.

Vos tortores mei estis, sed suaves nimis, quod si enim Deum plus diligerem, statim me recolligerem, et me a sensualitate charitatis retraheret voluptas.

Confugio itaque ad te via, veritas, et vita, exhibeo me tibi, quia a te duci, te nutriri, per te vivere velle dedisti mihi, tu vides itaque, quid desit mihi, ut possim placere tibi, perfice, quod inchoasti, salva me, quem redemisti.

Benedic anima mea Domino et omnia, quae intra me sunt nomini sancto ejus, quis enim tibi benedicere dignior est, quam quem sumpsi in me, ut sim in illo.

O pater! quanta est tuae bonitatis dignatio, quod mihi

gligences, car quoique ni les unes, ni les autres n'aient été volontaires, elles proviennent du défaut d'amour.

Ce seraient là des grands sujets d'alarmes et non d'une simple douleur, si je ressentais les embrasemens de la charité, mais parceque votre charité devient tiède en moi, la froideur de mon cœur n'est pas encore échauffée.

Je ne me plaindrai pas de ce que je souffre les misères de ma condition, car je vis pour souffrir, mais je suis fâché de ne les pas sentir assez.

Je me parais encore habitant et non pélerin dans ce monde, je suis attaché, mais je ne sais à quoi, car je n'aime rien hors de vous, mais hélas je ne vous désire pas assez.

Rien ne me retient dans cette vie que votre volonté, parceque je ne désire de vivre que pour elle, mais pour que je vive véritablement, faites ô mon Dieu que je vous aime davantage.

Retirez vous de moi puériles objets de mes sens semblables à ces petites bouteilles que font les enfans, songes d'un homme qui veille, je ne vous aime pas, mais parceque vous m'êtes attaché, je vous suis aussi attaché.

Vous m'entraînez malgré moi, vous me distraisez, dissipez dans mes oraisons et méditations, et hélas combien souvent m'oubliant moi-même, je m'égare en vous suivant dans des choses frivoles.

Vous êtes mes bourreaux, mais vous m'êtes trop doux car enfin si j'aimais plus Dieu, je me recueillirais d'abord, et la douceur de la charité me retirerait de la sensualité.

Je me refugie donc chez vous qui êtes la voie, la vérité et la vie, je me présente à vous, parceque vous m'avez donné de vouloir être conduit par vous, nourri de vous, vivre par vous, vous voyez donc ce qui me manque pour pouvoir vous plaire, achevez ce que vous avez commencé, sauvez moi puisque vous m'avez racheté.

Mon âme bénissez le Seigneur, et tout ce qui est au-dedans de moi bénissez son saint nom, car qui est ce qui est plus digne de vous bénir que celui que j'ai reçue pour être en lui.

Ô père céleste que votre bonté est grande de daigner me

filium dare dignaris, o fili! quanta est tua humiliatio, quod in me veneris, o spiritus! quanta est tuae charitatis effusio erga creaturam, erga nihilum.

Perdo me in contemplatione horum, et utinam ita perderem, ne unquam redirem ad me, sed quia necdum ita absorberi possum in te, quin carnem exuam, redeo ad me, ut sentiam miserias meas.

Vellem itaque elevari ad thronum gloriae tuae, ut tibi cum beatis spiritibus laudes canerem, et te affectu illorum diligerem, sed humiliare anima mea sub onere corporis tui, sequere vias, per quas te ducit Dei voluntas.

Suscepi Domine ducem itineris mei, quem desideravi, nutritus sum veritate, quam anhelavi, vivificatus sum vita, quam petii, hinc me trado, ut statuat gressus meos in viis mandatorum suorum.

O quam felix essem, si semper in via veritatis ambulans viverem, sed adhuc procul est a me haec beatitudo, qui in tenebris inter mendacia et vanitates ambulo.

Dolui ante de illis, quae feci, ecce gemendum est mihi de illis, quae facturus sum, cum necdum venit hora eliberationis meae e carcere corporis hujus.

Sentio Domine, quod si te semper diligerem, fors ab omnibus, de quibus gemere debeo, immunis essem, sed non manet haec perfecta charitas, ubi adhuc reperitur cupiditas.

Dum igitur pondus charitatis alleviatur, trahit me pondus cupiditatis, sed pondus charitatis alleviatur, quia hoc pondus cupiditatis e natura sua ab omnibus sensualibus objectis aggravatur.

Ex his nosco miserias meas, ex his agnosco, quod me debeam unice et integre resignare tibi, ut obtineam ex misericordia, quod assequi non possum ex justitia mea; quod si enim justitia tua fuerit in me, et justitiae et misericordiae coronam largieris mihi.

En igitur me trado tibi, qui voluntatem meam misericor-

donner votre fils! ô fils adorable que votre humiliation est grande de venir en moi! ô esprit saint que l'effusion de votre charité est abondante envers une créature, envers un néant!

Je me perds dans la contemplation de tout cela, et plut à Dieu que je me perdis de telle sorte que je ne revins plus à moi-même, mais parceque je ne puis encore être tellement absorbé en vous, que je me dépouille entièrement de ma chair, je reviens à moi pour sentir mes misères.

Je voudrais donc être élevé au trône de votre gloire pour vous chanter des louanges avec les esprits bienheureux, et pour vous aimer avec leur ardeur, mais humiliez vous ô mon âme sous le fardeau de votre corps, suivez les voies par lesquelles la volonté de Dieu vous conduit.

J'ai reçu, Seigneur, le guide de mon voyage, que je désirais, j'ai été nourri de la vérité après laquelle je soupirais, j'ai été vivifié de la vie que je demandais, c'est pour cela que je me livre pour qu'il dirige mes pas dans les voies de ses commandemens.

Ô combien je serais heureux si je vivais en marchant toujours dans la voie de la vérité, mais ce bonheur est encore éloigné de moi, qui marche dans les ténèbres parmi les vanités et les mensonges.

J'ai été fâché auparavant de ce que j'ai fait, en voilà qu'il me faut gémir de ce que je ferai, puisque l'heure de ma délivrance de la prison de ce corps n'est pas encore venue.

Je sens, Seigneur, que si je vous aimais toujours je serais peut-être exempt de tout ce dont je dois gémir, mais cette parfaite charité ne se trouve pas où est encore la cupidité.

Lors donc que le poids de la charité devient léger je suis entraîné par le poids de la cupidité, mais le poids de la charité devient léger parceque ce poids de la cupidité par sa nature devient pesant par tous les objets des sens.

Par là je connais mes misères, par là je connais que je dois uniquement et entièrement me résigner à vous pour obtenir de votre miséricorde ce que je ne puis avoir par ma justice, car si votre justice est en moi, vous me donnerez la couronne de justice et de miséricorde.

Me voilà donc je me livre à vous qui par un effet de

diter subjecisti tibi, subjice me illi, ut in quantum conditio mea permittit, faciam, quod volo, evitans, quod nolo.

Sed sim Deus talis, prout vis, ut virtus tua appareat in debilitate mea, neque esse inpeccabilis donec vivo; hinc volo semper accedere ad te, ut purifices me, dans diligere te.

Caput XXVI.

Dies est laetitiae et triumphalis, in quo Ecclesia militans in terris Ecclesiae triumphantis in coelis singulariter colens gloriam congaudet felicitati illorum, quos jam tu Deus author omnis beatitudinis eliberatos e vinculis carnis absorpsisti in immensitate charitatis tuae.

Triumphi Ecclesiae quoque militantis recolitur memoria, cum in hac die fanum omnium Deorum veteris Romae, gloriae tuae, Deus, in multitudine sanctorum tuorum manifestatae dicavit Romana Ecclesia.

Luge igitur et laetare anima mea de Ecclesiae triumphantis et militantis gloria, et ut Deo digniorem reddas gloriam, uniri desidera in spiritu capiti ejus; ede, bibe de mensa Regis hujus magni, participa de altari divini sacrificii.

Haec sunt magna incitamenta gaudii, sed est in me et incitamentum gemitus, quem ipsa diei solemnitas provocat, indignitas mea renovat.

Quo sensibilior est itaque debilitati intellectus mei gloria tua ex reflexione tantae solemnitatis, quae celebratur in coelis et in terris: eo magis dolere debeo de cogitationibus, verbis et operibus, quibus tibi non tantum gloriam non praestiti, sed fors gloriae tuae derogavi.

O superbia, crimen hominis tam novum et antiquum, vivis in me, quia vivo, vives, donec vixero.

Quid potest plus derogare gloriae tibi debitae, Deus,

votre miséricorde vous êtes assujeti ma volonté, assujetissez moi à elle, afin qu'autant que ma condition le permet je fasse ce que je veux en évitant ce que je ne veux pas.

Mais que je sois tel, ô mon Dieu, que vous voulez afin que votre puissance éclate dans ma faiblesse, je ne puisse être impeccable tant que je vis; c'est pour cela que je veux m'approcher toujours de vous pour que vous me purifiez en me donnant de vous aimer.

Chapitre XXVI.

C'est un jour de joie et de triomphe auquel l'église militante sur la terre honorant d'une manière singulière la mémoire de l'église triomphante dans le ciel se rejouit du bonheur de ceux que vous avez déjà absorbés dans l'immensité de votre charité après les avoir délivrés des liens de la chair ô Dieu auteur de toute félicité.

On célèbre aussi la mémoire du triomphe de l'église militante puisque dans ce jour l'Église Romaine a dédié ô mon Dieu à votre gloire manifestée dans la multitude de vos saints le temple de tous les Dieux de l'ancienne Rome.

Courage donc ô mon âme, rejouissez vous de la gloire de l'église triomphante et militante, et pour rendre à Dieu une gloire plus digne de lui, souhaîtez d'être unie en esprit à son chef, mangez, buvez à la table de ce grand Roi, participez à l'autel de son divin sacrifice.

Ce sont là de grands motifs de joie, mais il y a aussi en moi un sujet de gémissement, que la solemnité même de ce jour excite, que mon indignité renouvelle.

Plus donc votre gloire devient sensible à la faiblesse de mon entendement par la considération d'une si grande solemnité qui se célèbre dans les cieux et sur la terre, plus je dois avoir de la douleur des pensées, des paroles et des œuvres par lesquels bien loin de vous glorifier j'ai peut être dérogé à votre gloire.

Ô superbe, vice de l'homme si nouveau et si ancien, vous vivez en moi parceque je vis, et vous vivrez tant que je vivrai.

Qu'est ce qui peut plus déroger à la gloire qui vous est

quam oppositio creaturae, et hoc se tot tam variis modis manifestat in me.

Radix omnis oppositionis est non servare mandata tua, et haec non servare est te necdum diligere, prout praecipis.

Tu dicis o Salvator meus : qui servat mandata mea, ille est, qui diligit me, qui ergo non servat, non diligit, et heu! qui te non diligit, se tibi opponit, quia jubes, ut diligat te.

Scio Domine te non omnem hanc oppositionem, non omnem defectum in charitate, non omnem superbiam poenis inferni punire, et haec est consolatio timentis te, sed afflictio diligentis subsistit, quia se quoquo modo tibi oppositum esse sentit, et hinc te necdum satis diligere agnoscit.

Doleo igitur Domine de eo, quidquid tibi modo debito non praestiti, quidquid praestare omisi, quia haec negligendo dilectioni tibi debitae non satisfeci.

Respice me, ut ego quoque respiciam me, da diligere te, ut glorificem te, ecce sumam corpus et sanguinem tuum, ut unitus tecum in communione sanctorum tuorum praestem laudem tibi.

O sors felix, status meus infelix, ille me in infelicitate felicem, hic in felicitate infelicem reddit.

Sors mea est corpore salvatoris Dei mei pasci, sed status conditionis meae est, qui felicitatem meam nec concipere nec illa frui potest, quia ab illo, quem sumo, elongatum tenet.

Ecce illum sumpsi in terris, quem omnes sancti adorant in coelis, panem comedi, quo illi fruuntur, quia illo pasti in diebus peregrinationis eorum non defecerunt in via.

Magna est misericordia tua erga hominem Domine, quem justitia tua merito condemnavit ad vitae suae miserias, bonitas tamen tua de tam salutari remedio, de tam forti nutrimento providere dignata est illi.

due ô mon Dieu que l'opposition de la créature, et elle se manifeste en moi par tant et de si différentes manières.

La racine de cette opposition est de ne pas garder vos commandemens, et ne les pas garder c'est ne pas vous aimer encore comme vous l'ordonnez.

Vous dites ô mon Sauveur : celui qui garde mes commandemens est celui qui m'aime, celui donc qui ne les garde pas ne vous aime pas, et hélas celui qui ne vous aime pas, s'oppose à vous parceque vous ordonnez qu'il vous aime.

Je sais, Seigneur, que vous ne punissez pas par les peines de l'enfer toute opposition, tout défaut de charité, toute superbe, et c'est là la consolation de celui qui vous craint, mais la douleur de celui qui vous aime subsiste toujours parcequ'il se sent en quelque manière opposé à vous, et par là il reconnaît qu'il ne vous aime pas encore assez.

J'ai donc de la douleur ô mon Dieu, de tout ce que je ne vous ai pas rendu de la manière qui vous est due, de tout ce que j'ai omis de rendre, parcequ'en le négligeant, je n'ai pas satisfait à l'amour qui vous est dû.

Regardez moi afin que je me regarde moi-même, donnez moi de vous aimer pour vous glorifier, voilà que je vais prendre votre corps et votre sang pour qu'uni avec vous dans la communion de vos saints je célèbre vos louanges.

Ô sort bienheureux, ô que mon état est malheureux, celui-là me rend heureux dans l'infélicité même, celui-ci me rend malheureux dans la félicité.

Mon sort est d'être nourri du corps de Dieu mon sauveur, mais l'état de ma condition est de ne pouvoir ni comprendre ni jouir de mon bonheur, parcequ'il me tient éloigné de celui que je reçois.

Voilà que j'ai pris sur la terre celui que tous les saints adorent dans le ciel : j'ai mangé le pain dont ils jouissent, parceque nourries de ce pain céleste dans les jours de leur pélerinage ils n'ont pas défailli en chemin.

Votre miséricorde, Seigneur, est grande envers l'homme que votre justice a condamné à bon droit à toutes les misères de sa vie, votre bonté cependant a daigné lui donner un si salutaire remède et une nourriture si pleine de force.

Sed, o Deus, omnipotens es, sed quid potuisses animae meae dare praeter te, quod illi nutrimenti loco esse potuisset? tu enim creasti illam pro te, nihil illam nutrire potest praeter te.

Hinc inquieta est, donec perveniat ad te, quia et in instabilitate conditionis suae demonstrat non esse mansionem suam super terram.

Inquietum est cor hominis, sed in te quietem nec quaerit nec reperit nisi, dum tu trahere digneris illum, sed etiam dum trahis, ille quoque trahit, quae ipsi adjacent, quae illum a te retrahunt.

O Deus, quam est felix tranquillitas, quam tranquilla felicitas et aeterna beatitudo sanctorum tuorum, qui jam cives patriae suae effecti sunt.

Triumphant de mundo, carne, et de Diabolo, et separati, mundati ab omni macula et coinquinatione, absorpti in immensitate tua sunt in te et tu in illis, nec unquam separabuntur a te.

Illi gloriantur in te, et tu gloriaris in illis, illi te fruuntur, et tu satiando non satias, quia semper te fruuntur, et nunquam satis fruuntur, sed non amplius desiderant, quia habent, quod desideraverant, et tamen frui non cessant, quia quo fruuntur bonum est, et bonum esse nunquam desinet.

Talis est debilis idea, quam mihi repraesentat sensualitas, per quam unde denominetur bonum scio, sed quid sit bonum, nescio.

Fecit me agnoscere gratia tua bonum, quod hanc sensualitatem excedit, sed in quo consistet hoc bonum, quia capere nequeo, ideo languet in me desiderium sensuale, quamvis ad nullum aliud feratur voluntas, fac igitur Domine, ut me ad illud trahat charitas, in quo me tam elongatum tenet sensualitas.

Caput XXVII.

Assimilas, Domine, Redemptor meus, in hodierno Evangelio Regnum coelorum grano sinapis et fermenti, eo quod

Mais ô mon Dieu vous êtes tout puissant; mais qu'auriez vous pu donner à mon âme hors de vous, qui pût lui servir de nourriture? car vous l'avez créée pour vous, rien hors de vous ne peut la nourrir.

C'est pour cela qu'elle est inquiète jusqu'à ce qu'elle arrive à vous, parcequ'elle fait voir dans l'instabilité de sa condition, que sa demeure n'est pas sur la terre.

Le cœur de l'homme est inquiet, mais il ne cherche ni ne trouve en vous son repos, si vous ne daignez l'attirer, mais lors même que vous l'attirez il entraîne de son coté les choses qui lui sont propres et qui le retirent de vous.

Ô mon Dieu combien heureuse est la tranquillité, combien tranquille est la félicité, et l'éternelle béatitude de vos saints qui sont déjà devenus citoyens de leur patrie.

Ils triomphent du monde de la chair, et du Diable, et séparés purifiés de toute tache et souillure absorbés dans votre immensité, ils sont en vous et vous en eux, et ils ne seront jamais séparés de vous.

Ils se glorifient en vous et vous vous glorifiez en eux, ils jouissent de vous, et vous en les rassasiant ne les rassasiez cependant jamais assez, mais ils ne désirent rien de plus, parcequ'ils ont ce qu'ils avaient désiré, et cependant ils ne cessent d'en jouir parceque ce dont ils jouissent est bon, et ne cessera jamais d'être bon.

Telle est la faible idée que me représente la sensualité, par laquelle je sais d'où ce bien tire sa dénomination, mais je ne sais quel est ce bien.

Votre grâce m'a fait connaître un bien qui excède cette sensualité, mais parceque je ne peux comprendre en quoi consiste ce bien, c'est pour cela que ce désir sensuel languit en moi quoique ma volonté ne se porte à aucun autre, faites donc, Seigneur, que la charité m'entraîne vers ce bien dont la sensualité me tient si éloigné.

Chapitre XXVII.

Vous comparez, Seigneur mon Redempteur dans l'évangile d'aujourd'hui le royaume du ciel à un grain de sénevé et

illud omnium seminum minimum excrescit in similitudine arboris, hujus exigua quantitas multam farinam fermentat.

Fecit me gratia tua agnoscere harum parabolarum veritatem, sed heu, necdum sentio granum charitatis tuae crevisse in me in arborem, sed nec fermentum illius satis fermentasse massam humanitatis meae.

Propterea radix cupiditatis pululare non cessat in me, et fermentum concupiscentiae corrumpit farinam boni grani, quod plantasti in me.

Non cesso Domine semper idem dicere tibi, quia cessare necdum dedisti facere, quod nolo.

Si itaque de his non gemerem, te desiderare cessarem, et si te non desiderarem, non te diligerem.

Homo in vita mundana cum facere non potest, quod vult, impotentiam suam pro magna miseria reputat, et ideo elevatas conditiones affectat, ut quod vult, facere valeat, et haec est cupiditatis proprietas, quae voluntatem suam sequi non posse dolet. Sed, o Domine, vides non hoc esse desiderii mei incitamentum, illa enim, quae vellem, illa sunt, quae jubes, sed hoc est doloris argumentum, quod illa quoque, quae nolens facio, non ita sunt nolentis, quin sint et volentis fermenti, quod est in me.

Nolo Domine imperfectiones, tepiditates, segnities, dissipationes, distractiones meas, sed haec omnia eveniunt nolenti, sed non ita nolenti, ut dum eveniunt, non agantur ab irreflexa voluntate consentiente.

Haec autem irreflexa voluntas quid mihi demonstrat, nisi frigiditatem meam in diligendo te, qui enim scit vere diligere, nescit irreflexe agere.

Sentio Domine me nescire, quid dico et peto, quia te incessanti actu diligere non permittit humana conditio, vellem tamen, ut eo perveniret dilectionis meae extensio, quia te multum diligere jubes, et diligi dignus es, quia Deus meus es.

au levain, en ce que le premier qui est le plus petit de tous les grains devient semblable à un arbre, et qu'une petite quantité du second fait lever beaucoup de farine.

Votre grâce me fait reconnaître la vérité de ces paraboles, mais hélas je ne sens pas encore que le grain de votre charité ait cru en moi comme un arbre, et que le levain ait fait assez fermenter en moi la masse de mon humanité.

C'est pour cela que la racine de la cupidité ne cesse de pousser en moi, et le levain de la concupiscence corrompt la farine du bon grain que vous avez planté en moi.

Je ne cesse, Seigneur, de dire toujours la même chose parce que vous ne m'avez pas encore donné de cesser de faire ce que je ne veux pas.

Si donc je ne gémissais pas de tout cela je cesserais de vous désirer, et si je ne vous désirais pas, je ne vous aimerais pas.

Lorsque l'homme dans cette vie mondaine ne peut faire ce qu'il voudrait il regarde cette impuissance comme une grande misère, et c'est pour cela qu'il recherche les conditions élevées pour pouvoir faire ce qu'il veut, et c'est la propriété de la cupidité qui est fâchée de ne pouvoir suivre sa volonté. Mais ô mon Dieu vous voyez que ce n'est pas là le motif de mon désir; car ce que je voudrais est cela même que vous commandez, mais c'est pour moi un sujet de douleur que les choses que je fais malgré moi ne sont pas tant malgré moi qu'il n'y entre aussi de la volonté du levain qui est en moi

Je ne veux pas, Seigneur, mes imperfections, mes tiédeurs, ma paresse, mes dissipations, mes distractions, mais tout cela me vient malgré moi, mais non tant malgré moi qu'une volonté consentente sans réflexion n'y ait aussi part.

Mais que me marque cette volonté sans réflexion si ce n'est ma froideur à vous aimer; car celui qui sait véritablement aimer, ne sait ce que c'est qu'agir sans réflexion.

Je sens, Seigneur, que je ne sais ce que je dis, et ce que je demande parceque la condition humaine ne permet pas de vous aimer par un acte continuel, je voudrais pourtant que mon amour s'étendit jusques là parceque vous commandez et que vous êtes digne d'être beaucoup aimé parceque vous êtes mon Dieu.

Non conqueror igitur de fragilitatibus conditionis meae, quia ad illas tua me condemnavit justitia, sed gemo de debilitate dilectionis, quam tam saepe videtur vincere cupiditas.

Desiderium itaque te diligendi Deus me ducit ad illum, qui ex dilectione dedit animam suam pro me, ut mihi mereatur posse diligere te.

Respice me Jesu mi venientem ad altare tuum, et patrem tecum in te et per te diligere, et in hunc finem te sacramentaliter sumere volentem : en me trado tibi, redde te mihi, ut diligas in me patrem, quem diligere nequeo sine te.

Te sumpsi, Deus filius, salvator meus, et te sumens Regnum coelorum sumpsi, secundum parabolam evangelii, respectu exilitatis specierum vere grano sinapis, fermentoque comparabile, sed hoc divinum granum cecidit in terram aridam, hoc salutare fermentum in massam luridam conditum est.

Scio o Domine omnia haec te egisse propter te, non propter dignitatem meam, et ideo vellem omne, quod tibi posset praestare gloriam in me.

Nihil autem reperio in me praeter indignitatem meam, sed etiam haec demonstrat magnitudinem bonitatis et misericordiae tuae.

Quia omnes salutares instinctus a te sunt, te suggerente accessi ad altare tuum et recepi te : voluisti igitur tam indignae creaturae suggerere, ut reciperet te, ut in indignitate mea pateat miseratio tua.

Tu nosti, Domine, in quo consistat vel maxime indignitas mea, quia quamvis totus indignus sum, heu est in me multum, per quod adhuc indignior sum, quam sum ex eo, quod creatura, quod caro, quod pulvis sum.

Est in me praeter haec fomentum malitiae et peccati, quod me merito abominabilem, non solum indignum, posset reddere coram te, si Deus non esses, et qua Deus non ageres mecum.

Je ne me plains donc pas des fragilités de ma condition parceque votre justice m'y a condamné, mais je gémis de la faiblesse de mon amour qui semble si souvent surmonté par la concupiscence.

Le désir donc de vous aimer ô mon Dieu me conduit à celui qui par amour a donné sa vie pour moi pour me mériter de pouvoir vous aimer.

Regardez moi ô mon Jésus, qui viens à votre autel, et qui veux aimer votre père en vous et par vous, et qui pour cela veux vous recevoir sacramentellement : voilà que je me livre à vous, rendez-vous à moi afin que vous aimiez en moi votre père que je ne peux aimer sans vous.

Je vous ai reçu ô Dieu le fils mon Sauveur, et en vous recevant j'ai le royaume des cieux suivant la parabole de l'Évangile comparable à cause de la petitesse des espèces au grain de séneve, et au levain, mais cette divine semence est tombée dans une terre aride, ce salutaire levain est caché dans une lourde masse.

Je sais, Seigneur, que vous avez fait tout cela pour vous et non que j'en sois digne, et c'est pour cela que je voudrais tout ce qui pourrait vous rendre gloire en moi.

Mais je ne trouve rien en moi que mon indignité, mais aussi elle me decouvre la grandeur de votre bonté et de vos miséricordes.

Parceque tous les mouvemens salutaires viennent de vous, par votre inspiration je me suis approché de votre autel, et je vous ai reçu ; vous avez donc voulu suggérer à une si indigne créature de vous recevoir afin que dans mon indignité éclate votre miséricorde.

Vous savez, Seigneur, en quoi consiste le plus mon indignité, parceque quoique je sois tout indigne, il y a hélas en moi beaucoup de choses par lesquelles je suis encore plus indigne que je ne le suis comme créature, comme chair et pouissère.

Il y a outre cela en moi un levain de malice et de péché qui pourrait me rendre non seulement indigne mais abominable devant vous si vous n'étiez Dieu, et comme Dieu n'agissiez avec moi.

Ex nihilo eduxisti me, redemisti me, secundum captum meum facilius est tibi salvare me, quam fuit creasse et redemisse me.

Non provocavit te o Deus ad plasmandum et redimendum me meum meritum; hinc profecto nec in salvando mea oberit indignitas, quia nihil te Deo magis dignum est, quam donorum tuorum gratuitas.

Noli proinde exaudire gemitus et preces meas, ecce consentio et peto, sed respice te, respice misericordias tuas, ut facias mecum secundum illas.

Vellem igitur potius cessare loqui tibi, et ipsas operationes intellectus suspendere coram te, ut insensibilis, immobilis, et quasi inanimatum praesentarem me ad faciendam voluntatem tuam.

Sed o Domine tu scis miserias meas, et dissipationes involuntarias fantasiae meae, quae in tam sancto silentio, in tam beato somno subsistere nequit, nec ego tantam gratiam petere audeo; quia et hoc velle, fors meum velle esset, non tuum.

Fac igitur Deus in me, quidquid ego nec cogitare, nec petere, nec velle scio, quod convenit gloriae tuae, et voluntati tuae de me.

Caput XXVIII.

Ad celebrandam adventus tui memoriam vocat me Ecclesia, o Jesus Salvator meus, fac me audire vocem vocantis matris meae, tu enim es, qui me vocas per hanc sponsam tuam.

Celebrare memoriam adventus tui est considerare immensum et infinitum amorem tuum erga hominem, et hujus ingratitudinem erga te.

Tu creasti eum, et deliciae tuae sunt cum filiis hominum, ille recessit a te creatore, tu tamen, cum inimicus tuus esset, dilexisti illum.

Quo te duxit dilectio, o sapientia patris, Deus aeterne, ut

Vous m'avez tiré du néant, vous m'avez racheté, suivant ma manière de penser il vous est plus facile de me sauver qu'il ne vous l'a été de m'avoir créé et racheté.

Ce n'est pas mes mérites ô mon Dieu qui vous ont excité à me créer et à me racheter, et c'est pour cela que mon indignité ne vous empêchera pas de me sauver, parcequ'il n'y a rien de plus digne de vous, ô mon Dieu, que l'effusion gratuite de vos dons.

N'écoutez donc pas mes gémissemens et mes prières, j'y consens et je le demande, mais regardez vous vous-même, regardez vos miséricordes pour en agir avec moi selon leur étendue.

Je voudrais donc plutôt cesser de vous parler et suspendre devant vous les opérations de mon entendement, afin que devenu insensible, immobile, et comme inanimé je me présentasse pour faire votre volonté.

Mais, Seigneur, vous connaissez mes misères et les dissipations involontaires de mon imagination, qui ne peut subsister dans un si saint silence, dans un si heureux sommeil, et je n'osa pas même demander une si grande grâce, parceque ce vouloir serait peut-être le mien, et non le vôtre.

Faites donc en moi ô mon Dieu tout ce que je ne sais ni penser ni demander ni vouloir, ce qui convient à votre gloire et à votre volonté sur moi.

Chapitre XXVIII.

L'Église m'appele ô Jésus mon sauveur pour célébrer la mémoire de votre avenement, faites moi entendre la voix de ma mère qui m'appelle, car c'est vous qui m'appelez par votre épouse.

Célébrer la mémoire de votre avènement, c'est considérer votre amour immense et infini envers l'homme, et son ingratitude envers vous.

Vous l'avez créé et vos délices sont d'être avec les enfans des hommes, il s'est éloigné de vous son créateur, vous l'avez cependant aimé lors même qu'il était votre ennemi.

Jusqu'où vous a conduit l'amour ô sagesse increéée du

de sinu ejus descendens, corpus peccati assumens, te exinanires, ut hominem redimeres!

Saepe haec me fecit contemplari gratia tua, sed quo plus agnosco tam stupendam, tam adorabilem dilectionem tuam, o quam justum est, ut confitear frigiditatem meam!

Agnosco, confiteor et ecce denuo me statuo in judicium coram memet ipso, ut condemnans me confitear tibi delicta mea, et petam diligere te; sed num proficiam, num deficiam, ignoro, quia ferme semper vel quod nolo facio, vel quod facio, prout volo, non facio.

Non quaero horum causam, sentio enim legem in carne mea, quae contrariatur mihi, sed haec lex, haec contrarietas quo est fortior, eo dilectio mea est debilior.

Cum igitur in memoriam revoco quotidianas cogitationes, verba et opera, et quid quomodo fecerim, recogito, quam parum, quam tepide, te amem, reperio.

Haec tibi toties dico et repeto, sed quid tibi aliud dicere valeo, siquidem te diligere desidero.

Tu Jesu mi, qui venisti in mundum ex dilectione, fac, ut ad te accedam in dilectione; omnia, quae fecisti, mihi manifestant, quantum dilexisti, sed heu omnia, quae ago, mihi demonstrant, quantum te necdum diligo.

Tu, qui venturus es secundum nativitatis tuae memoriam, ecce ades secundum sacramentalem praesentiam, da te igitur sic mihi praesentem, ut te digne recipiam nascentem.

Te peto a te, ut diligam te, qui tam ineffabili modo dilexisti me; sed ut dilectio mea sit digna te, dilige te per me.

Advenisti in me Jesu mi, fac, ut adventus tui semper celebrem diem, ut te, quem tua in me duxit dilectio, mea per te retineat dilectio.

Extende Domine misericordiam tuam super omnes, qui adventus tui in mundum memoriam in spiritu tuo celebrandam proposuerunt, respice super oves curae meae commissas,

père Dieu éternel à descendre de son sein à prendre le corps du péché et à vous anéantir pour racheter l'homme !

Votre grâce m'a souvent fait contempler tout cela, mais plus je reconnais un amour si étonnant et si adorable, plus il est juste que je vous confesse ma froideur.

Je reconnais, je confesse, et de nouveau je me présente en jugement devant moi-même, afin que me condamnant je vous confesse mes péchés, mais je ne sais si j'avance ou si je défaillis, parceque presque toujours ou je fais ce que je ne veux pas, ou ce que je fais je ne le fais pas comme je voudrais.

Je n'en cherche pas la cause, car je sens dans ma chair une loi qui me contrarie, mais plus cette loi, cette contrariété est forte, plus mon amour est faible.

Lors donc que je me rappelle mes pensées, mes paroles et mes œuvres journalières, et que je réfléchis sur ce que j'ai fait et comment je l'ai fait, je trouve combien peu, combien timidement je vous aime.

Je vous dis et vous répète cela si souvent, mais que puis-je vous dire autre chose puisque je désire de vous aimer.

Vous ô mon Jésus qui êtes venu dans le monde par amour, faites que je m'approche de vous dans l'amour, tout ce que vous avez fait me manifeste combien vous m'avez aimé, mais hélas tout ce que je fais me fait connaître combien je ne vous aime pas encore.

Vous qui devez venir selon la mémoire de votre nativité voilà que vous êtes ici selon une présence sacramentelle, donnez vous donc à moi présent d'une telle manière que je vous reçoive dignement naissant.

Je vous demande à vous-même pour vous aimer, vous qui d'une manière si ineffable m'avez aimé, mais pour que mon amour soit digne de vous, aimez vous par moi-même.

Vous êtes venu en moi ô mon Jésus, faites que je célèbre toujours la mémoire de votre avénement afin que mon amour vous retienne en moi par vous-même que votre amour a fait venir en moi.

Étendez, Seigneur, votre miséricorde sur tous ceux qui se sont proposés de célébrer dans votre esprit la mémoire de votre avénement dans le monde, jettez les yeux sur les brebis

et super omnes unitos mecum in charitate, ut quisquis statui suo convenientes et gloriae tuae deservientes recipiat gratias, et te advenisse in cor suum sentiat.

O Deus, vellem cunctis diebus vitae meae ferventer et alacriter servire tibi, sed singulariter hoc sacro tempore : doce me tuam voluntatem, accende in me tuam charitatem.

Excita Domine potentiam tuam et veni, ut ab imminentibus peccatorum periculis mereamur te protegente eripi, te adjuvante liberari.

Haec est summa omnis desiderii mei Domine, quod Ecclesia tua in sua collecta exprimit : inprime cordi meo fervorem in petendo, da charitatem in operando.

Nihil peto a te, Domine, dum te diligere non peto, et ideo vellem, ut omnis vocis expressio esset dilectio.

O Deus, nemo te summum bonum esse agnoscit, qui te non diligit, nec enim ipsa natura in eo depravata est, quod bonum non diligat, sed in eo, quod bonum per se noscere nequeat.

Das te Deus noscere omnibus qua Deum, sed te noscere qua summum bonum gratia est, quae hominem ducit ad te, non enim omnis hominum multitudo scit, quid sit summum bonum, quod dum das sentire, das te diligere.

Verum est Domine, quod dum te das cognoscere qua Deum, sub hoc praedicato, quidquid es, exprimitur, sed aliud est cognoscere corde, aliud profiteri ore.

Unus audit nomen tuum et timet, quia tecum solummodo respicit justitiam; alter audit te nominari et diligit, quia misericordiam tuam sentit.

Sic te multi omnipotentem, justum, misericordem esse sciunt, sed summum bonum esse illi proprie sciunt, qui sentiunt, et hi sunt, qui te diligunt.

Sed hoc sentire non consistit solummodo in sensuum or-

que vous m'avez confiées et sur tous ceux qui sont unis avec moi dans la charité, afin que chacun reçoive les grâces convenables à son état et qui peuvent servir à votre gloire, et ressente que vous êtes venu dans son cœur.

Ô mon Dieu, je voudrais tous les jours de ma vie vous servir avec ferveur et avec empressement, mais particulièrement dans ce saint temps : apprenez moi votre volonté, allumez en moi votre charité.

Excitez votre puissance, Seigneur, et venez afin que par votre protection nous méritions d'être préservés, et par votre secours être delivrés des périls du péché qui nous menacent.

C'est là l'abrégé de tous mes désirs ô mon Dieu, que l'Église exprime dans sa collecte : imprimez dans mon cœur la ferveur pour demander, donnez moi la charité pour opérer.

Je ne vous demande rien, Seigneur, lorsque je ne vous demande pas de vous aimer, et c'est pour cela que je voudrais que toute l'expression de ma voix ne fut qu'amour.

Ô mon Dieu! celui qui ne vous aime pas ne reconnait pas que vous êtes le souverain bien, car la nature n'est pas corrompue en ce qu'elle n'aime pas le bien, mais en ce que par elle-même elle ne peut connaître le bien.

Vous vous faites ô mon Dieu connaître à tous comme Dieu, mais vous connaître comme le souverain bien est une grâce qui conduit l'homme à vous, car toute la multitude des hommes ne sais pas ce que c'est que le souverain bien, et lorsque vous donnez de le sentir vous donnez de vous aimer.

Il est vrai, Seigneur, que lorsque vous vous faites connaître comme Dieu tout ce que vous êtes est exprimé par ce mot, mais autre chose est de vous connaître du cœur, et de vous confesser de bouche.

L'un entend votre nom et craint parcequ'il ne regarde en vous que votre justice, l'autre vous entend nommer et il vous aime parcequ'il sent votre miséricorde.

C'est ainsi que plusieurs savent que vous êtes tout-puissant, juste et miséricordieux, mais ceux-là proprement savent que vous êtes le souverain bien qui lek ressentent, et ce sont ceux-là qui vous aiment.

Mais le sentir ne consiste pas seulement dans l'organisa-

ganisatione, sed in intellectus cognitione et voluntatis adhaesione : hinc, qui te diligit, mandata tua diligit, in te vivit, quia, quod vis, cupit.

Caput XXIX.

Ecce Domine hebes, tepidus, languidus sum, respice me, vellem enim esse coram te, ut examinans me, videam quantum absum a te.

Quidquid in me a me est, heu! quam merito abominabile est coram te, nihil igitur in me reperio, quod placere potest tibi.

Tu vides o Deus, quod adhuc sim in hac miseria conditionis meae, quam toties affero in conspectum tuum, undique me pungit mortalis infirmitas, undique me circumdat carnis cupiditas.

A te, quem desidero, elongatus gemo, illa, quae taedent me, adhaerent mihi, nec his carere, nec te possidere valeo.

Tu me revocas Jesu mi, et ego accedo; das te mihi, et ego te recipio, sed heu, quam parum tecum maneo, quia omnes fragilitates meae me avocant a te.

Vellem te amare, et cor meum glacie frigidius est, voluntas mea est tecum, sed sensus mei longe sunt a te.

Omnia volo in mensura voluntatis tuae, displicet tamen mihi esse in me aliquid, quod tibi debitum non praestat obsequium dilectionis, quam a me desideras.

Hanc vellem praestare tibi, quam jubes, sed sensus mei refragantur voluntati, et quod plus est, contrariantur mandato tuo.

O quam gravis sum mihimet ipsi, dum haec recogito, taedet vitae meae, dum respicio.

Sed quid possum contra me, si tu non adjuvas me, velle dedisti, posse non reperio, sed fors et hoc, quod possum, negligo.

tion des sens, mais dans la connaissance de l'entendement et l'attachement de la volonté : c'est pour cela que celui qui vous aime aime vos commandemens, vit en vous parcequ'il souhaîte ce que vous voulez.

Chapitre XXIX.

Me voilà, Seigneur, hébété, tiède, languissant, regardez moi, car je voudrais être devant vous afin qu'en m'examinant je vis combien je suis éloigné de vous.

Tout ce qui est en moi de moi qu'il est à juste titre abominable devant vous. je ne trouve donc rien en moi qui puisse vous plaire.

Vous voyez ô mon Dieu, que je suis encore dans cette misère de ma condition que j'apporte si souvent en votre présence; l'infirmité humaine me pique de tous côtés, la concupiscence de la chair m'environne de toutes parts.

Je gémis éloigné de vous que je désire, les choses qui m'ennuyent s'attachent à moi, et je ne peux ni en être délivré ni vous posséder.

Vous me rappelez ô mon Jésus et je m'approche, vous vous donnez à moi et je vous reçois, mais hélas combien peu je reste avec vous parceque toutes mes fragilités m'éloignent de vous.

Je voudrais vous aimer et mon cœur est plus froid que la glace, ma volonté est avec vous, mais mes sens sont éloignés de vous.

Je veux tout dans la mesure de votre volonté, il me deplait cependant qu'il y ait en moi quelque chose qui ne vous rend pas l'hommage d'amour qui vous est dû et que vous exigez de moi.

Je voudrais vous rendre celui que vous me commandez, mais mes sens s'opposent à ma volonté et qui plus est sont rebelles à votre précepte.

Ô que je me suis fâché à moi-même lorsque je repasse tout cela, je m'ennuye de ma vie lorsque j'y réfléchis.

Mais que puis-je contre moi-même si vous ne m'aidez pas, vous m'avez donné le vouloir, je ne trouve pas le pouvoir, mais peut-être que je néglige ce que je puis.

Et haec incertitudo est nova causa gemitus, tenebrae ignorantiae meae sunt iteratae causae doloris.

Doleo igitur Domine de omnibus negligentiis meis, doleo de effectibus fragilitatis meae, sed te necdum ferventer diligere adhuc plus doleo; si enim te ferventer diligerem, haec, de quibus doleo, non incurrerem, respice igitur me, fac, ut digne suscipiam te.

Sileo Domine in conspectu tuo, et utinam attenti omnes sensus et potentiae animae meae adorationis in humili silentio praestarent obsequium tibi, qui viscera mea ingredi dignatus es.

Sileo Domine, quia me tibi integre trado, sileo, quia petere ignoro.

Suspendimini aut potius recedite a me gemitus miseriarum mearum, ad quas, si me juste condemnatum credo, quid de illis gemo, quae tam juste patior?

Contrarior tibi Deus, quia sum in statu oppositionis, sed corporis animalis sensus, brutis simile animal corpus, contrariatur tibi, voluntas enim mea, cor animae meae te miserente tuum est, et te vel minime offendere horret, volenter aut reflexe.

Possum igitur tibi dicere in veritate, quod velim, quod vis, et quia hoc volo, et praeter hoc nihil volo, manifestas mihi, quod diligam te.

Quid petii, Domine, quid petii? dum te sensibiliter diligere nequire dolui: profecto ignoravi, quid petii? quia non dilectionem, sed effectus ejus petii, et hos non sentire dolui.

Silebo igitur deinceps, nec loquar tibi, quia et loqui et petere ignoro.

Praesentabo me tibi tanquam mutus infirmus, qui nec verba proferre, nec infirmitatem suam medico edicere potest, sed accedens ad illum se projicit coram illo.

Et cette incertitude est un nouveau sujet de gémissement, les ténèbres de mon ignorance sont de nouvelles causes de douleur.

Je suis donc fâché, Seigneur, de toutes mes négligences, des effets de ma fragilité, mais je suis encore plus fâché de ne pas vous aimer encore ardement; car si je vous aimais ardemment, je ne tomberais pas dans ces cas là; regardez moi donc, faites que je vous reçoive dignement.

Je me tais, Seigneur, en votre présence, et plut à Dieu que tous mes sens attentifs et toutes les puissances de mon âme dans un humble silence rendissent hommage à vous qui avez daigné entrer au dedans de moi.

Je me tais, Seigneur, parceque je me livre entièrement à vous, je me tais parceque je ne sais pas demander.

Demeurez en suspens, ou plutôt éloignez vous de moi ô gémissemens de mes misères, et puisque je m'y crois si justement condamné pourquoi gémis-je de ce que je souffre à si juste titre?

Je vous suis contraîre ô mon Dieu parceque je suis dans un état d'opposition avec vous, mais les sens de mon corps animal, mon corps semblable aux brutes vous est rebelle, car ma volonté, le cœur de mon âme est à vous, et a horreur de vous offenser le moins du monde de propos délibéré ou avec réflexion.

Je puis donc vous dire dans la vérité que je veux ce que vous voulez, et parceque je le veux, et ne veux rien hors de là, vous me faites voir que je vous aime.

Qu'ai-je demandé, Seigneur, qu'ai-je demandé lorsque j'ai eu de la douleur de ne pouvoir vous aimer sensiblement: certainement je n'ai pas su ce que je demandais parceque je n'ai pas demandé l'amour, mais ses effets, et que j'ai été fâché de ne les pas ressentir.

Je me tairai donc dorénavant et je ne vous parlerai pas, parceque je ne sais ni parler ni demander.

Je me présenterai à vous comme muet, infirme qui ne peu proférer une parole, ni exprimer sa maladie à son médecin, mais qui s'approchant de lui se prosterne devant lui.

Sic accedam, Domine, ad altare tuum, et utinam semper in tali dispositione possem esse in conspectu tuo.

Hoc tamen, quod esse opto, contrarium est sensibus meis, quibus carere nequeo.

Momentum vix praeterit, quin intellectus, memoriaque repraesentant inania me nolente, unde video, quod nec silere, nec tam mutus esse valeo, quin loquar cogitationibus, si non verbis.

Verum Domine, quae erunt hae cogitationes, si tu non moderaveris illas? nolenter incipient, inconsiderate continuabunt, per inania discurrent, praeteritas foeditates repraesentabunt : manda Domine angelis tuis, ut custodiant me in viis meis, quia in tuis ambulare indesinenter non possum.

Caput XXX.

Tu solus noscere potes dispositionem meam, in qua ecce me praesento tibi Deus, quodsi enim absque omni operatione potentiarum animae subsistere possem, coram te constitutus, nec loqui, sed nec cogitare mallem.

Ille sum, qui fui, et talem me esse puderet, si talem non esse a me dependeret, sed quidquid habeo a te, non a me est, quod enim a me habeo, nihil est.

Tu vides, o Deus, quod de fragilitatibus et imperfectionibus meis loquar non de peccatis volitis et cognitis, a quibus tua me praeservat gratia : hinc illa memoro, sine quibus esse non valeo.

Dum me respicio, meum reperio nihilum, dum te contemplari volo, cogor ad silentium, sentio tamen te esse summum bonum meum.

Dum igitur te comtemplor, cogor ad silentium, quia magnalia tua eloqui, magnitudinem tuam capere non valeo, sed non ideo me creasti, ut eloquar, et capiam, quae tua sunt, sed ut te diligam.

C'est ainsi que je m'approcherai, Seigneur, de votre autel, et plut à Dieu que je pus toujours dans cette disposition être en votre présence.

Cela cependant que je désire d'être est contraire à mes sens dont je ne puis me dépouiller.

Il ne se passe presque pas de moment que mon entendement et ma volonté ne me représentent malgré moi des choses frivoles, par où je vois que je ne puis ni me taire ni être tellement muet que je ne parle par mes pensées si non par mes paroles.

Mais, Seigneur, quelles seront ces pensées si vous ne les réglez, elles commenceront malgré moi, elles continueront inconsidérément, elles se repandront dans des choses vaines, elles me représenteront mes turpitudes passées: commandez, Seigneur, à vos anges de me garder dans mes voies, parceque je ne puis marcher continuellement dans les vôtres.

Chapitre XXX.

Vous seul pouvez connaître ma disposition dans laquelle voilà que je me présente à vous mon Dieu; car si je pouvais subsister devant vous sans aucune opération des puissances de mon âme, j'aimerais mieux ne pas parler ni même penser.

Je suis le même que j'ai été, et j'aurais honte d'être tel s'il dépendait de moi de n'être pas tel; mais tout ce que j'ai est de vous et non de moi, car ce que j'ai de moi n'est rien.

Vous voyez, ô mon Dieu, que je parle de mes fragilités et de mes imperfections, et non des pêchés volontaires et connus dont votre grâce me préserve : c'est pour cela que je fais mention des choses sans lesquelles je ne peux être.

Lorsque je me regarde je trouve mon néant, lorsque je veux vous contempler je suis réduit au silence, je sens cependant que vous êtes mon souverain bien.

Lors donc que je vous contemple je suis contraint de me taire parceque je ne suis pas capable d'exprimer vos merveilles, de comprendre votre grandeur, mais vous ne m'avez pas créé pour parler et comprendre ce qui est à vous, mais pour vous aimer.

Reductus ad silentium non examino, quae sit mea erga te dilectio, quam dedisti, reddo, non enim plus praestare valeo.

Meum itaque nihilum cogit me ad silentium, et suspendit gemitum, quia non meus sed tuus esse cupio.

Tu vides miserias meas melius me, tu cogitasti de me, dum ego non cogitabam de te, tu me liberabis, dum misereri volueris.

Non tuum est rejicere, cui dedisti diligere, tu vides, quod mea infirmitas est naturae meae proprietas.

Pauca sunt, quae facio, longe plura, quae negligo, omnia tepida, quae ago : amolli petram cordis, unde haec emanant, adapta me, ut tibi haec plus placeant.

Scio Domine, quod et aviditas mea tibi dat gloriam, quia me docet, quid ex me valeam, urget, ut ad te confugiam, ne a te recedam.

Quid est in ligno ariditas, quid in terra siccitas, projice scintillam, et ardebit ariditas, da guttam, et abundabit siccitas.

Te recepi Jesu mi, fac, ut in silentio cordis loquar tibi, sed adhuc plus vellem silere coram te, quia vera vocis tuae exauditio fit in silentio.

Sed nec silere scio, nec loqui valeo, mutum me reddit tua magna miseratio, loquacem facit miseriarum mearum et justorum gemituum elocutio.

Quidquid de te considero, me reddit mutum, quidquid in me respicio, causat gemitum, sed gemere nollem, quia juste patior, misericordias tuas considerare vellem, quïa ad diligendum provocor.

Sim igitur coram te, o cordis solatium, sis in me semper o verum gaudium, sit mundus totus altum silentium, sit tua voluntas meum desiderium.

Réduit au silence je n'examine pas quel est mon amour envers vous, je vous rends celui que vous m'avez donné ne pouvant faire davantage.

Mon néant me contraint donc au silence et suspend mes gémissemens, parceque je souhaîte être à vous et non à moi.

Vous voyez mes misères mieux que moi, vous avez pensé à moi lorsque je ne pensais pas à vous, vous me délivrerez lorsque vous voudrez avoir pitié de moi.

Il ne convient pas de rejeter celui à qui vous avez donné d'aimer, vous voyez que mon infirmité est une propriété de ma nature.

C'est peu de chose que je fais, j'en néglige encore davantage, tout ce que je fais est tiède, amollissez la pierre de mon cœur d'où tout cela procède, ajustez moi afin que ces choses vous plaisent davantage.

Je sais Seigneur, que mon avidité même vous glorifie, parcequ'elle m'apprend ce que je peux par moi, elle me presse de recourir à vous, et ne m'en plus retirer.

Qu'est l'aridité dans le bois si ce n'est la capacité de bruler, qu'est la sécheresse dans la terre si ce n'est la rareté de l'eau. Jettez une étincelle et l'aridité brûlera, donnez une goutte d'eau, et la sécheresse deviendra abondante.

Je vous ai reçu ô mon Jésus, faites que dans le silence du cœur je parle à vous, mais je voudrais encore mieux me taire devant vous, parceque c'est dans le silence qu'on entend véritablement votre voix.

Mais je ne sais me taire ni ne peux parler, votre grande miséricorde me rend muet, et l'expression de mes misères et de mes justes gémissemens me rend fécond en paroles.

Tout ce que je considère de vous me rend muet, tout ce que je regarde en moi me cause des gémissemens, mais je ne voudrais pas gémir parceque c'est justement que je souffre, je voudrais considérer vos miséricordes parcequ'elles m'excitent à vous aimer.

Que je sois donc devant vous ô consolation de mon cœur, que vous soyez toujours en moi ô ma véritable joie, que tout le monde soit dans un profond silence, que votre volonté soit mon désir.

Non mihi sunt durae meae miseriae, dum mente volvo, quid tuae justitiae debeam pro factis meae malitiae, ut tibi nunc praestem cor poenitentiae.

Recedite a me mundana gaudia, non quaero in vobis mea solatia, sed tua expecto mi Jesu proemia, quae mihi non rapiet humana malitia.

Turbatur multis mea humanitas, angitur externis misera mortalitas, sed tua succurrens divina charitas, me ducet ad patriam vera humilitas.

Et gemitus itaque et desideria mea sunt effectus humânitatis necdum soli voluntati tuae acquiescentis.

Hinc silentium deest mihi dilectionis, in quo consistit tranquillitas cordis.

Vera voluntatis resignatio fit in silentio, cum enim nihil voluero, quid tibi Deus loqui potero.

Ipsa laus tua vera praestatur in silentio, quia haec est supremi juris tui agnitio, unde tibi debetur omnis submissio.

Tenes me submissum in hoc silentio, sit procul a me omnis locutio, refrenetur in me omnis cogitatio, ut in me sit semper vera dilectio.

Caput XXXI.

Adauge Deus fidem meam, ut in timore et tremore accedam majestatem tuam, et praesentem me tibi.

Angeli et Archangeli puri illi et beati spiritus velant faciem suam coram te, et ego accedere audeo ad te, quia vocare dignaris me.

Admittis me in conspectum tuum omni momento, et dum me tibi praesento, tui obliviscor, dissipantur cogitationes meae, et quia te non video, per inania discurro et divagor.

Mes misères ne me paraissent plus dures lorsque je réfléchis à ce que je dois à votre justice pour les faits de ma malice ; afin que je vous offre un cœur de pénitence.

Éloignez-vous de moi joies mondaines, je ne cherche pas en vous mon soulagement ; mais j'attends ô mon Jésus vos récompenses que la malice des hommes ne sera pas capable de me ravir.

Mon humanité se trouble de bien de choses, ma misérable mortalité est inquiétée par les choses exterieurs ; mais votre divine charité venant à mon secours la véritable humilité me conduira à ma patrie.

Mes gémissemens donc et mes désirs sont des effets de l'humanité qui ne se repose pas encore dans votre seule volonté.

C'est pour cela que le silence de l'amour me manque, dans lequel consiste la tranquilité du cœur.

La véritable résignation de la volonté se fait dans le silence, car lorsque je ne voudrai rien de quoi pourrai-je vous parler ô mon Dieu.

C'est dans le silence qu'on vous rend un véritable hommage de louanges parceque c'est une reconnaissance de votre souverain domaine auquel on doit toute soumission.

Tenez moi soumis dans ce silence, éloignez de moi toute parole, réprimez en moi toute pensée afin que le véritable amour soit toujours en moi.

Chapitre XXXI.

Augmentez, Seigneur, ma foi afin que dans la crainte et le tremblement je m'approche de votre majesté et me présente devant vous.[1]

Les anges et les archanges ces purs et bienheureux esprits voilent leur face devant vous, et moi j'ose m'approcher de vous parceque vous daignez m'appeler.

Vous m'admettez en votre présence à tous momens, et lorsque je me présente à vous je vous oublie, mes pensées se dissipent, et parceque je ne vous vois pas, je m'égare dans des choses frivoles.

Os meum loquitur tibi, lingua profert laudes tuas, cor meum longe est a te, quia quod nolo facio, et sic agere est mea misera conditio.

Agnosco hanc veritatem, sed amaritudinem doloris non sentio, capio meam indignitatem, deflere ignoro.

Sic contrarior mihimetipsi, doleo et dolere nescio, capio et ignoro, sentio et insensibilis subsisto.

Luctatur spiritus cum sensibus, voluntas cum intellectu, fides cum sensualitate, et subsisto in tepiditate, et propter hanc luctam nec a me recedere, nec ad te propius accedere valeo.

Statui Domine de his, tibi melius notis quam mihi, silere in conspectu tuo, et tamquam mutum praesentare tibi, ut miserearis mei, sed nec silere, nec dolere, nec miserias meas eloqui, nec satis sentire scio.

Usquequo durabit tam temeraria, tam arrogans tepiditas mea, quam Principes terrae in conspectu suo non paterentur, et tu pateris, quia illi vana simulacra, fragilia vasa, tu, Deus es.

Innumerae sunt fragilitates et imperfectiones meae, et vel praecipue me taedent dissipationes et distractiones, dum tibi praesento, sed tu noscis interiora mea, tu scis, in quem finem creaveris me, tuum est adjuvare me, quia ego nequeo salvare me sine te.

Magna est, o Domine, insensibilitas cordis mei, omnis affectus teneritudinis, devotionis, aut timoris et tremoris ignari, sed tu, qui plasmator es illius, potes illud mutare non ego.

Ecce in hunc finem, ut sanctissimam voluntatem tuam in omnibus in fidelitate et perseverantia sequi possim, accedo ad sumendam medicinam animae meae talis qualis nolens sum, sum tamen, quia homo sum. Projicio me in te, absorbe, recipe, vel saltem sustine me.

Ma bouche vous parle, ma langue profère vos louanges, mon cœur est éloigné de vous parceque je fais ce que je ne voudrais pas, et d'agir ainsi est un effet de ma misérable condition.

Je reconnais cette vérité, mais je ne sens pas l'amertume de la douleur, je comprends mon indignité, mais je ne sais pas la déplorer.

C'est ainsi que devenu contraire à moi-même je gémis et je ne sais pas gémir, je comprends et j'ignore, je sens et je reste insensible.

Mon esprit combat avec mes sens, ma volonté avec mon entendement, la foi avec la sensualité, je reste dans la tiédeur, et à cause de ce combat je ne puis ni m'éloigner de moi-même ni m'approcher davantage de vous.

J'ai résolu, Seigneur, de me taire en votre présence de ces choses que vous connaissez mieux que moi et de me présenter muet devant vous pour que vous aiez pitié de moi, mais je ne sais ni me taire, ni gémir, ni exprimer, ni sentir assez mes misères.

Jusqu'à quand durera ma téméraire et présomptueuse tiédeur, que les Princes de la terre ne souffriraient point en leur présence, et vous la souffrez parcequ'ils ne sont que de vains fantômes et des vases fragiles et que vous êtes Dieu.

Mes fragilités et mes imperfections sont innombrables, mais principalement mes dissipations et mes distractions m'ennuyent lorsque j'e me présente à vous, mais vous connaissez mon intérieur, vous savez pour quelle fin vous m'avez créé, c'est à vous à m'aider parceque je ne peux me sauver sans vous.

L'insensibilité de mon cœur est grande ô mon Dieu puisqu'il ne connait point les mouvemens de tendresse, de dévotion, de crainte et de tremblement, mais vous qui l'avez formé vous pouvez le changer et non pas moi.

Voilà que pour me rendre capable de suivre en tout avec fidélité et pérséverance votre sainte volonté je m'approche pour prendre la médecine de mon âme tel que je ne voudrais pas être, mais que je suis cependant parceque je suis homme; je me jette donc entre vos bras, recevez ou du moins soutenez moi.

O quam felix est hominis sors, quae eum capacem reddit Deum, Dominum, salvatorem suum manducare, et secum illo tam realiter unire; sed quam infelix conditio, quae hanc felicitatem nequit per se sensibiliter agnoscere.

Credo te, Domine, vere realiter sumpsisse in S. S. sacramento, credo, quidquid sancta Ecclesia credendum proponit, sed quod credo, sentio in intellectu, necdum sentio in corde, quia in tepiditate subsisto.

Nescio Domine, quid dico, quia quod dico, non sat distincte intelligo, deest multum fervori fidei, sed ubi sit hic fervoris defectus, adhuc ignoro.

Intellectum interrogo, et firmiter credere, et per gratiam tuam multa profunda mysteriorum intelligere reperio, et sentio.

Memoriam examino, et quia repraesentat mihi omnia, quae seu majestatis tuae venerationem, seu indignitatis meae cognitionem, seu bonitatis tuae immensitatem, seu judiciorum severitatem inprimere possent, illam quoque arguere nequeo.

Quid necesse de voluntate loqui, quam Deus tu ex inifinita misericordia tibi subjecisti, et ego illam dedi tibi, hanc vere sentio, quod vellet quidquid vis, et quod nollet, quidquid non vis.

Cor meum carneum et inclinationes ejus sensuales examino, nec illud aliquid diligere reperio, quod tibi praeferret, aut cui singulari adhaesione adhaereret.

Quid ergo est o Domine in me, manifesta quaeso mihi, quod me tam tepidum, tam insensibilem, tam frigidum reddit in orationibus meis, ut reparem, quod in me a me est, patiar in tranquillitate, quod a te necdum in me est.

Tu vides, o Deus, quod in his non sensibilem affectum et amorem quaero, nisi in quantum dignaberis dare mihi, dum tibi visum fuerit, sed vellem, in quantum possum, tibi majorem praestare gloriam.

Ô qu'heureux est le sort de l'homme qui le rend capable de recevoir son Seigneur et Sauveur, et de s'unir à lui si réellement et si intimement, mais que sa condition est malheureuse de ne pouvoir connaître sensiblement une si grande félicité.

Je crois, Seigneur, vous avoir pris réellement dans le très-saint sacrement, je crois tout ce que la sainte Église me propose de croire, mais ce que je crois je le sens dans l'entendement et non encore dans le cœur, parceque je reste dans la tiédeur.

Je ne sais, Seigneur, ce que je dis parceque je ne comprends pas assez distinctement ce que je dis, il manque beaucoup à la ferveur de la foi, mais où est ce défaut de ferveur je ne le sais pas encore.

J'interroge mon entendement et je trouve et ressens qu'il croit fermement et que par votre grâce il comprend beaucoup de profonds mystères.

J'examine ma mémoire et parcequ'elle me représente tout ce qui peut m'imprimer de la vénération pour votre divine majesté, tout ce qui peut me donner la connaissance de mon indignité, ou la crainte de vos jugemens, je ne puis non plus m'en prendre à elle.

Qu'est il besoin de parler de ma volonté que vous ô mon Dieu par votre infinie miséricorde vous êtes assujetti, et je vous l'ai entièrement livrée, je sens véritablement qu'elle voudrait tout ce que vous voulez, et qu'elle ne voudrait pas ce que vous ne voulez pas.

J'examine mon cœur charnel et mes inclinations sensuelles et je trouve qu'il n'aime rien à quoi il ne vous préfère, à quoi il s'attachat d'un amour particulier.

Qu'y a-t-il donc en moi Seigneur, manifestez le moi, je vous prie, ce qui me rend si tiède, si insensible, si froid dans mes prières, pour que je répare ce qui est en moi de moi, et que je souffre tranquillement ce qui n'est pas encore en moi de vous.

Vous voyez ô mon Dieu que je ne cherche pas en tout cela un amour et des mouvemens sensibles, qu'autant que vous daignerez me les donner lors'qu'il vous sera agréable, mais je voudrais autant que je le puis vous rendre une plus grande gloire.

Vellem Domine, et me velle sentio, ut omnes sensus, omnes artus, omnes sanguinis mei guttae sentirent praesentiam tuam, ut arescerent, contremiscerent, et sic in amore diffluerent.

Sed o Deus insipientia est fors mea credere, quod his differentibus, in animalitate mea productis effectibus major vel minor praestaretur tibi gloria, tu enim spiritus es, et gloriam a spiritu et veritate desideras.

Tuum est igitur, o anima, dare Deo tuo gloriam per agnitionem nihili tui, tuum est diligere per subjectionem voluntatis, et sic diligendo ac laudando adorare per annihilationem tuam in holocaustum charitatis, et haec agnoscere, velle, et praestare posse dedisti; unde lauderis.

Caput XXXII.

In die nativitatis Domini.

O profundum sacrae hujus noctis silentium, quam profunda cooperis mysteria, quae in te operata est divina sapientia.

In te scala Jacob in realitate apparuit, quae terrena coelestibus junxit, quia a sinu patris in sinum virginis contiguitatem non interrupit.

Non te capere quaerit mea infirmitas, quae semet ipsam noscere nequit, sed tibi praestare vellet, quod vis, modo, quo jubes.

Hebetata ac suspensa subsistit in me omnis meditandi facultas, magnitudo mysterii magnitudine charitatis tegitur, et quis effectum charitatis Dei enarrare valebit?

Non mirabor mori in cruce, qui pro me natus est in stabulo, sed quomodo capiam descendisse pro me de coelo, qui nascitur in stabulo.

Je voudrais, Seigneur, et je sens que je veux que tous mes sens, que tous mes membres, que toutes les gouttes de mon sang sentissent votre présence afin qu'ils tremblassent qu'ils séchassent de frayeur, et qu'ainsi ils se dilatassent et se répandissent dans l'amour.

Mais ô mon Dieu c'est peut-être une folie à moi de croire que par ces différens effets produits dans mon animalité il vous en revient une plus grande ou une moindre gloire, car vous êtes esprit et vous ne cherchez votre gloire que dans l'esprit et la vérité.

C'est donc à vous ô mon âme à rendre gloire à votre Dieu par la connaissance de votre néant, c'est à vous à aimer par la subjection de votre volonté, et ainsi dans l'amour et les louanges adorer par votre anéantissement en holocauste de charité, et vous m'avez donné, Seigneur, de connaître, de vouloir et de pouvoir vous rendre ces différens hommages dont soyez à jamais glorifié.

Chapitre XXXII.

Pour le jour de la nativité du Seigneur.

Ô profond silence de cette sacrée nuit que vous cachez de profonds mystères que la divine sagesse a opéré en vous.

En vous a paru en réalité l'échelle de Jacob, qui a joint les choses terrestres aux célestes parceque du sein du père au sein d'une vierge elle n'a pas interrompu la contiguité.

Mon infirmité ne cherche pas à vous comprendre puisqu'elle ne peut se connaître elle-même, mais elle voudrait vous rendre ce que vous voulez de la manière que vous voulez.

Toute faculté de méditer demeure en moi hébétée et comme suspendue, la grandeur de ce mystère est cachée par la grandeur de la charité et qui est ce qui pourrait exprimer l'ardeur de la charité de Dieu ?

Je ne m'étonnerai pas de voir mourir en croix celui qui est né pour moi dans une étable, mais comment comprendrai-je que celui qui naît dans cette étable est descendu du ciel pour moi.

Accurro Domine ecce ad hoc spectaculum, quia hominibus bonae voluntatis pax publicatur. Pax in cambium bonae voluntatis datur.

Suscipe voluntatem, da pacem, cum enim pacem dederis, dilectionem dabis, cum in te nonnisi amor quiescere potest, quia tu centrum ejus es.

Suscipere digne vellem salvatorem, et mysterium digne celebrasse crederem, quia digne suscipere est amare, digne celebrare est diligere.

Omnia sic recurrunt ad centrum, unde exeunt, omnia in amore uniuntur, quia tu Jesu mi ideo descendisti, ut omnia ad te traheres, et patri unires.

Traxisti ad praesepe tuum praeprimis humiles, in custodia gregis vigilantes pastores, sic humilitatem traxit humilitas, sed hanc ipsam humilitatem produxit charitas.

Nescio, quid est in me, quod tibi placere potest, ut me trahas, sed heu, scio, quod tibi disciplicere potest, ut me rejicias, sed si ad te non accederem, adhuc a te plus recederem.

Humilitatis confessio est miseriarum et indignitatis meae agnitio, agnosco illas et confiteor in humilitate, trahe humilitatem, sed fac me adhaerere illi.

Ecce tu, qui natus es in stabulo, ingressus es stabulum viscerum meorum, nec proinde majus mysterium tua nativitas, quam tua est erga me bonitas.

Omnibus miseriis conditionis humanae indutus natus es in illo, gloriosus triumphator mortis et daemonis venisti in me, ecce tam humilis es in gloria, sicut gloriosus fuisti in humilitate.

Sequela dilectionis tuae erga hominem fuit tua humiliatio, et hujus effectus fuit tua glorificatio, sit quaeso in me effectus adventus tui humiliatio et dilectio.

J'accours, Seigneur, à ce spectacle, parceque la paix est annoncée aux hommes de bonne volonté, la paix est donnée en échange de la bonne volonté.

Recevez ma volonté, donnez moi la paix, car lorsque vous m'aurez donné la paix vous me donnerez l'amour, puisque l'amour ne peut se reposer qu'en vous parceque vous êtes son centre.

Je voudrais recevoir dignement mon sauveur et je croirais avoir dignement célébré ce grand mystère parceque le recevoir dignement c'est l'aimer, célébrer dignement ce mystère c'est l'aimer.

C'est ainsi que toutes choses tendent au centre d'où elles partent, tout ce qui s'unit avec vous s'unit dans l'amour parceque ô mon Jésus vous êtes descendu pour attirer tout à vous et à votre père.

Vous avez préférablement attiré à votre crêche les humbles en la personne des pasteurs qui veillaient sur leurs troupeaux ainsi l'humilité a attiré l'humilité, mais c'est la charité qui a produit cette même humilité.

Je ne sais ce qui est en moi qui peut vous plaire pour m'attirer, mais hélas je sais ce qui peut vous déplaire pour me rejéter, mais si je ne m'approchais, je m'en éloignerais encore davantage.

La confession de ma bassesse est la connaissance de mes misères et de mon indignité, entrainez ma bassesse, mais faites que je sois attaché avec elle.

Voilà que vous qui êtes né dans une étable venez d'entrer dans l'étable de mes entrailles, et c'est pour cela que votre nativité n'est pas un plus grand mystère que l'est votre bonté envers moi.

Revêtu de toutes les misères de la condition humaine vous êtes né dans une étable, vainqueur glorieux de la mort, vous êtes venu en moi et voilà que vous êtes aussi humble dans la gloire que vous avez été glorieux dans votre humiliation.

Cette humiliation a été une suite de votre amour envers l'homme et son effet a été votre glorification; que l'effet de votre venue soit en moi, je vous supplie, l'humiliation et l'amour.

Non haec peto, ut glorificer, sed ut per haec te glorificem, nihil enim est in stabulo meo, quod te dignum est, nihil, quod te glorificare possit, hinc nisi tu dederis, nihil a me recipies.

Sed o Domine agnosco, quod mihi des multa, et quod tibi restituam pauca, unde video, quanta sit in me infidelitas, et quanta deberet esse humilitas.

Quoties me despiceres, quam digne rejiceres, si humilis non esses, nam prout in te humilitas est bonitas, ita et bonitas est humilitas.

Bonitas igitur et humilitas tua dat te mihi, et nisi haec et illa me dederit tibi, me tibi dare nequeo, quia ex me nihil boni habeo.

Nihil a te exigere possum ex justitia, nihil tibi dare valeo ex mea malitia; ecce quam procul a me eris, nisi mei miserearis.

Parum proficio ex tuis, multum deficio ex meis; quantum elongabor, si me non traxeris.

Sentio in me cupiditatem, quae meam corrumpit humilitatem, et heu! quam tepidam reddit charitatem.

Dedisti mihi bonam voluntatem, sed haec nequit coercere humanitatem, quia destruere non valet cupiditatem.

Hanc tibi semper recenseo miseriam, ne unquam perdam ejus memoriam, quia non habeo ad quem confugiam, nec a quo petam, ut quod mihi deest, obtineam.

Je ne demande pas tout cela pour être glorifié, mais pour vous glorifier par là, il n'y a rien dans mon étable qui soit digne de vous, rien qui puisse vous glorifier, et c'est pour cela que vous ne recevrez rien de moi si vous ne me le donnez vous-même.

Mais, Seigneur, je reconnais que vous me donnez beaucoup et que je vous rends peu, par où je vois combien grande est l'infidélité qui est en moi, et combien grande devrait être mon humilité.

Combien de fois vous me mépriseriez, et à combien juste titre vous me rejetteriez si vous n'étiez pas humble, car comme en vous l'humilité est bonté, de même la bonté est aussi humilité.

Votre bonté donc et votre humilité vous donne à moi et si l'une et l'autre ne me donnait à vous, je ne saurais m'y donner parceque je n'ai rien de bon de moi-même.

Je ne puis rien exiger de vous par justice, je ne puis rien vous donner de ma malice, voilà donc combien vous serez éloigné de moi si vous n'avez pitié de moi.

Je profite peu de ce qui est à vous, je manque beaucoup par ce qui est à moi, combien m'éloignerai-je si vous ne m'entrainez.

Je sens en moi la cupidité qui corrompt mon humilité, et hélas combien ne rend elle pas tiède la charité.

Vous m'avez donné une bonne volonté, mais elle ne peut maîtriser l'humanité, parcequ'elle ne peut détruire la cupidité.

Je vous représente toujours ma misère, de peur que je n'en perde le souvenir, parceque je n'ai personne à qui recourir ni à qui demander pour obtenir ce que me manque.

IGAZÍTANDÓK.

Lap		Sorban	Helyett:	Olvasd:
3.	fel.	7.	revoras	revocas
4.	al.	1.	furta	fucum
24.	fel.	16.	adhus	adhuc
25.	al.	19.	verttate	veritate
28.	fel.	15.	eliberatnm	eliberatum
42.	al.	10.	Poloniam	Coloniam (Kölln)
„	„	3.	gisponens	disponens
45.	„	12.	. . . .	1696.
46.	„	18.	ejuz	ejus
50.	fel.	15.	1696.	1690.
„	al.	15.	1686.	1687.
51.	fel.	14.	primus	XXXI.
„	al.	11.	Paulus	Joannes
53.	fel.	9.	compestria	campestria
„	„	16.	Petróczium	Petrőczium
56.	al.	8.	Petróczii	Petrőczii
57.	„	5.	qraefuerat	praefuerat
61.	fel.	11.	Manegatti	Menegatti
64.	„	13.	Perriculosum	Periculosum
67.	„	18.	Georgior Primop actam	Georgio Primo pactam
75.	„	13.	proterea	propterea
80.	„	12.	necessitudinibus	ne cespitem (ne ingadozzak)
102.	al.	18.	Octobris	Octobris (1700)
103.	fel.	18.	Februario	Februario (1701)
106.	al.	9.	Judicem	Judicis
109.	fel.	1.	generali	Generali
112.	„	10.	Angliae	Galliae
114.	al.	19.	insupporitabili	insupportabili
126.	fel.	5.	castelliana	Castelliana
127.	al.	15.	castellianae	Castellianae
140.	fel.	13.	mense Julio	mense Julio (1702)
142.	„	1.	blebe	plebe
„	al.	13.	Potocsium	Potockium

Lap		Sorban	Helyett:	Olvasd:
146.	fel.	7.	Pasman	Pázmán
150.	"	2.	beregrinum	peregrinum
"	"	20.	Climetz	Clinetz
170.	al.	3.	Doloricki	Dolorucki
173.	fel.	5.	arcem meam	arcem meam (Munkács)
177.	al.	13.	1710	1711
178.	"	6.	Starisiolo	Stariszelo;
179.	"	1.	suhstantiam	substantiam
"	"	19.	Krikizova	Kukizova
183.	fel.	1.	Balize	Baluze
"	"	5.	Krikizova	Kukizova
186.	al.	3.	Esposui	Exposui
195.	"	17.	Visovzka	Visocka
261.	fel.	15.	Stephanum	Samuelem
265.	"	10.	Qauntis	Quantis
266.	al.	2.	delutat	delectat
273.	fel.	5.	derivares.	derivaret.
"	al.	2.	ili	illi
"	fel.	12.	operte	aperte
276.	"	2.	commitere	committere
278.	"	2.	Noc	Nec
"	al.	15.	differe	differre
282.	fel.	14.	atenti	attenti
285.	"	15.	Arudens	Prudens
286.	"	6.	viae	irae
289.	"	1.	imisquam	nimisquam
"	"	2.	gloriac	gloriae
"	al.	8.	admiti	admitti
294.	"	3.	eim	enim
"	"	8.	vele	velle
295.	fel.	11.	obsante	obstante
"	"	14.	clandestina	clandestina consulens,
296.	al.	3.	vice	vices
300.	"	18.	modatae	mandata
305.	fel.	7.	caputum	captum
"	"	17.	delutabilia	delectabilia
"	al.	14.	obcoecuti	obcoecati
307.	fel.	6.	feist	fuit
"	al.	4.	tanem	tamen
308.	"	17.	extubatio	exturbatio
321.	fel.	16.	orga	erga
"	"	20.	dient	dicent
322	al.	17.	intera	interea

Lap		Sorban	Helyett:	Olvasd:
325.	fel.	7.	solumodo	solummodo
„	„	10.	lIteras	literas
„	al.	16.	infećtatione	infestatione
„	„	14.	roposuit	proposuit
326.	fel.	13.	Kegato	Legato
„	„	14.	sigeificavi	significavi
„	al.	6.	sollicundine	sollicitudine
327.	„	11.	distectione	distractione
328.	fel.	5.	conspurrant	conspurcant
„	al.	15.	fastidicutem	fastidientem
332.	„	14.	tisubans	titubans
„	„	11.	vide	video
338.	fel.	13.	postequam	posteaquam
339.	„	12.	Veziris	Vezirio
„	„	21.	quamdice	quamdiu
„	al.	13.	evaga	erga
340.	„	14.	propositionis	propositiones
„	„	4.	obsinuit	obstinuit
341.	fel.	12.	Christani	Christiani
„	„	15.	tempore	tempora
342.	„	15.	Demonstratus	Demonstras
344.	„	1.	Nominum	hominum
345.	„	3.	producef	producet
346.	„	4.	donee	donec
347.	„	10.	facultata	facultate
349.	al.	16.	debam	debeam
„	„	10.	sam	tam
351.	fel.	1.	pecati	peccati
353.	„	11.	quamdice	quamdiu
356.	„	7.	fuae	tuae
357.	al.	18.	volutati	voluntati
359.	fel.	8.	colloquiam	colloquium
„	al.	2.	foliae	folia
366.	fel.	13.	conspureata	conspurcata
„	„	19.	laetitae	laetitiae

